

Toronto University Library

Presented by

Mess^{rs} Joseph Praer & Co

through the Committee formed in
The Old Country

to aid in replacing the loss caused by
The disastrous Fire of February the 14th 1890

2 misl

163

NOVA

SCRIPTORUM LATINORUM

BIBLIOTHECA

NOVA
SCRIPTORUM LATINORUM
BIBLIOTHECA

AD OPTIMAS EDITIONES RECENSITA

ACCURANTIBUS PARISIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORIBUS

ET COLLIGENTE J. P. CHARPENTIER

RHETORICES PROFESSORE

EDIDIT

C. L. F. PANCKOUCKE

EQUES LEGIONI HONORIS ADSRIPTUS



LIPSIÆ
APUD JOH. AMBR. BARTH

M DCCC XXXVI.

SUETONIUS.

LL
S9449G

CAII
SUETONII TRANQUILLI
OPERA

SELECTIS VARIORUM
ANIMADVERSIONIBUS

SUISQUE INSTRUXIT

E. GROS

IN INSTITUTO LEOVITICI MAGNE COLLEGIO HUMANIORUM LITTERARUM
PROFESSOR

VOLUMEN PRIMUM.

LIPSIÆ
APUD JOH. AMBR. BARTH

M DCCC XXXVI

11
204402

143-98-
4/8/91
L

NOTITIA

DE SUETONII VITA ET SCRIPTIS.

NATUS est C. Suetonius Tranquillus circa initia imperii Vespasiani* ; vixitque temporibus Trajani et Adriani. Pater ejus Suetonius Lenis, bello Othoniano, fuit tertiæ decimæ legionis tribunus angusticlavius**. Cetera de ejus vita parum comperta. Scimus tamen eum tribunatum militum fuisse consecutum, quem honorem statim in propinquum suum Cæsenn. Silvanum transtulit. Fuit quoque magister epistolarum imperatoris Adriani. Quum vero apud Sabinam, principis uxorem, familiaris ageret, eo munere privatus est.

Amicitia sibi in primis devinxit C. Plinium Cæcilium Secundum, qui ipse nos edocet cur Nostrum tantopere

* Ut conicere licet ex ipsius verbis, *in Ner.*, LVII : « Denique, quum post viginti annos (scilic. a morte Neronis) adolescente me existisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, etc. » Mortem sibi conscivit Nero, anno 819 post Romam conditam. Ille igitur *Pseudo-Nero*, cujus meminit Noster, existit anno 839. Quum vero tunc temporis Suetonius esset jam adolescens, liquet eum fuisse natum circa initia Vespasiani, qui imperatoriam dignitatem anno 820 assecutus est.

** Cf. *Othon.*, x.

dilexerit * : « Suetonium Tranquillum probissimum, honestissimum, emendatissimum virum, et mores ejus secutus et studia jampridem, in contubernium assumsi; tantoque magis diligere cœpi, quanto propius inspexi.»

Quanquam sine liberis fuit, C. Plinii gratia et intercessione a Trajano obtinuit *jus trium liberorum*, h. e., immunitates quibus frui dabatur tantummodo civibus qui tres liberos habebant.

Multa scripta C. Suetonius Tranquillus composuit, quorum nonnulla exstant; multo plura interciderunt **. Præsertim vero innotuit libro de vita XII Cæsarum.

Apud quem minime quærenda vel in describendo Livii majestas, vel Taciti gravitas in dicendo : illæ enim adeo eximiæ dotes quum a Suetonii ingenio, tum ab operis proposito pariter alienæ fuisse videntur. Quippe in exponendis rebus domesticis, pingendisve principum moribus multo magis occupatus, quam in narrandis rebus publice gestis, non historiam suscepit omnibus suis numeris absolvendam; at potius commentarios condidit, in quibus collecta relinqueret quæ historia velut sua dignitate inferiora non libenter admisisset. Quos dum pervolvimus, cavendum sane a nimia multorum admiratione qui sollicitam ejus de privatis rebus curam tanti faciunt, ut parum absint, quin primas Suetonio latinos inter historicos assignent; nec minus a nonnullorum *** haud scio an dicam injustitia. Quidam enim,

* *Epist.*, x, 95.

** Vide infra, *Opera deperdita*.

*** Cf. *Judicia et Testimonia eruditorum de Suetonio et ejus*

quoniam assidua manu versaverunt Tacitum, qui, licet *intra quorundam vitam finitus, et tanquam a scena remotior, plura pæne præcipit quam narrat, arcanorum consiliorum curiosus indagator et sagax**, torrentisque instar lectores crebris vibrantibusque sententiis abripit, Suetonium dente maligno carperunt, ideo quod in opere suo tempora tam variis vicibus memoranda complexus, paucissima de re publica vix attigerit, totus quasi in minutioribus quam diligentissime congerendis.

Horum in sententiam pedibus eundum mihi videretur, si cum Livio aut Tacito congregi Suetonius habuisset in animo. Provinciam vero minus arduam sustinere voluit. Non in magnifico tanquam historiæ theatro loquentes agentesve Cæsares exhibet; at intra domesticos parietes nos ducit, ut, deposita majestate, quales re ipsa essent, apparerent non jam circumfulgente imperatoriæ dignitatis fulgore; tumque plane in lucem ederet quidquid vel egerint, vel dixerint. Nihil omisit quod posteris tradere pretium operæ erat; nec quidquam obstitit, quin vitia ejusque et propriam indolem expresserit, veri usque tenax: imo nonnunquam veritatis, verbis sit venia, accuratior indagator et interpres, ea nostris oculis subjicit omni velamento nudata, quæ non detegenda haud immerito dixeris; nisi cauta manu et illa indignatione animi quæ, dum in vitia acerrime invehitur, vitiorum odium et horrorem ingenerat: Suetonius autem talia

scriptis, quæ collegit Sam. Pitiscus in C. Sueton. opera, ed. II, Leovardiæ, vol. primo.

* COFFIN., de *Hist. utilitatibus* oratio.

in propatulo ponit, eadem animi tranquillitate qua Titi dotes egregias.

Vitas Cæsarum excipit liber *de illustribus Grammaticis*, necnon alter *de claris Rhetoribus*.

Unde jure colligas Suetonium *grammaticum* fuisse et *rhetorem*. In his libris permulta habebis de litterariæ rei apud Latinos historia, quæ nusquam alibi reperias. Genus vero dicendi emendatum quidem et candidum, sed tenue et jejunum; judicium rectum, at semper friggens; res diligenter expositæ, subtilitatis parum.

Quos libros subsequuntur Terentii, Juvenalis, etc., vitæ: a peritioribus criticis existimantur esse fragmenta amplioris operis, quod vel interruptum pendet, vel nostram usque ad ætatem non pervenit integrum.

Plinii vitam Suetonio indignam pronuntiant Casaubonus et Vossius, de hoc plane audiendi.

OPERA SUETONII DEPERDITA.

- I. Liber unus *de Ludis Græcorum*. Suidas in Τράγκυλλον. — Τράγκυλλος ὁ Σιοητόνιος χρηματίσας, γραμματικὸς Ῥωμαῖος, ἔγραψε περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν βιβλίον α'.
- II. Libri duo *de Spectaculis et certaminibus Romanorum*. Idem, l. c. : Περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίσις θεωρικῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β'. Horum meminit Servius *ad Georg.*, lib. III, v. 24: « Apud majores theatri gradus tantum fuerunt. Nam scena de ligno tantum ad tempus fiebat; unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pegmata a ludorum theatralium editoribus. Scena autem quæ fiebat, aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, quum subito tota machinis quibusdam convertebatur, et aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc, quum tractis

tabulatis hac atque illac species picturæ nudabatur interior... Quod Varro et Suetonius commemorant. »

- III. Liber unus *de Anno Romanorum*. Suidas, ub. sup. : Περὶ τοῦ κατὰ Ῥωμαίους ἐνιαυτοῦ βιβλίον α'. Hujus meminit Censorinus, *de Natali die*, cap. xx : « Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt; sed magis Junio Gracchano et Fulvio Varroni et Suetonio, aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse. »
- IV. Liber unus *de Notis quibus critici in libris utebantur*. Suidas, l. c. : Περὶ ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων α'.
- V. Liber unus *de Republica Ciceroniana adversus Didymum grammaticum*. Suidas, l. c. : Περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας α'. Ἀντιθέγει δὲ τῷ Διδύμῳ.
- VI. Liber unus *de Nominibus propriis, deque generibus vestium*. Suidas, l. c. : Περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδιῶν ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς τις ἀμφιέννυται. Libri de re vestiaria meminit quoque Servius *ad Æn.*, vii, 612 : « Suetonius in libro de genere vestium dicit tria esse genera trabearum. Unum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum : habet tamen album aliquid. Tertium augurale, de purpura et cocco. »
- VII. Liber unus *de Ominosis verbis*. Suidas, l. c. : Περὶ δυσφήμων λέξεων, ἧτοι βλασφημιῶν, καὶ πόθεν ἐκάστη. Exemplum habet auctor Etymologici magni : Ἀρχελίπαρος, ὁ λιπαρῶν ἵνα ἀρχῆς τύχη : ἧ ἐκ τοῦ ἀρχεῖν λιπαίνόμενος. Οὕτω Τράγκυλλος περὶ βλασφημιῶν.
- VIII. Libri duo *de Roma ejusque institutis*. Suidas, l. c. : Περὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἡθῶν βιβλία β'.
- IX. Libri septem *de Familia Cæsarum*. Suidas, l. c. : Συγγενικὸν Καίσαρων. Περιέχει δὲ καὶ βίους καὶ διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ, βιβλία γ'.
- X. Liber unus *de Stemmatibus illustrium Romanorum*. Suidas, l. c. : Στέμμα Ῥωμαίων ἐπιστήμων.
- XI. Libri tres *de Regibus*. Horum meminit Ausonius, *Ep.* xix : « His longe jucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris quos ille de regibus dedit, in epitomen

- coegisti tanta elegantia, solus ut mihi videre assecutus, quod contra naturam est, brevitatis ut obscura non esset. »
- XII. *De Institutione officiorum.* De quo Priscianus, VI, p. 697, ed. Putsch. : « Quod tamen comprobatur etiam Suetonius, diversos ponens usus in libro, qui est de institutione officiorum. »
- XIII. *Prætorum libri.* Priscian., VIII, p. 793 : « Suetonius in VIII *Prætorum* : Fasti dies sunt, in quibus jus fatur, id est, dicitur; nefasti in quibus non dicitur. » Cf. idem VIII, p. 794.
- XIV. *Liber de Vitiis corporalibus.* Hunc memorat Servius ad Virg., *Ecl.* III, 8. Idem, ad *Æn.*, VII, 627 : « Arvina secundum Suetonium in libro *de Vitiis corporalibus* est pingue durum, quod est inter artem et viscus. »
- XV. *Liber de Rebus variis.* Sosipater Charis., *Instit. gramm.*, lib. II, p. 175, ed. Putsch. : « Suetonius Tranquillus *præverbium* putat dici debere quod ante, vel *adverbium*, quod post verbum appellatio etiam nomenque nonnunquam ponatur. » Idem, *ibid.*, p. 210 : « C. Julius Romanus, *de Præpositionibus* libro ἀφορισμῶν ita refert : Suetonius Tranquillus *de Rebus variis* : Præpositiones, inquit, omnes omnino sunt græcæ duodeviginti : qui numerus inter omnes criticos grammaticos perfecte convenit. »

INDEX

EDITIONUM C. SUETONII*.

1470. Editio Princeps, ex recognitione *Jo. Anton. Campanii*. Romæ.
Eodem anno, Romæ prodiit iterum, sed ex diverso codice descripta.
1471. Suetonii Vitæ XII Cæsarum. Venetiis.
1472. C. Suetonius Tranquillus de XII Cæsaribus. Romæ.
1474. Suetonius de Grammaticis et Rhetoribus ex recensione *Johannis Aloisii Tuscani*. Venetiis.
1475. C. Suetonius Tranquillus de XII Cæsaribus. Mediolani.
— Suetonius de Grammaticis; forte Romæ impressa.
1478. C. Suetonii Tranquilli de Grammaticis et Rhetoribus clariss. Florentiæ.
1480. Suetonii Vitæ Cæsarum, cum *Domitii Calderini* vita Suetonii, in-fol. Mediolani.
1488. C. Suetonii Tranquilli de Vita XII Cæsarum, cum *Philipp. Beroaldi* vita Suetonii, in-fol. Bononiæ.
1489. Suetonius, cum Scriptoribus Historiæ Augustæ, in-fol. Venetiis.
1490. C. Tranquilli Suetonii Vitæ XII imperatorum, cum *Antonii Sabellici* commentar. In-fol. Venetiis.

* Ex Fabricii *Bibliotheca latina*, a Jo. Aug. Ernesti aucta.

1490. Suetonius inter Historiæ Augustæ Scriptores. Venetiis per *Johannem Rubeum de Vercellis*.
1491. Suetonius cum comment. *M. Ant. Sabellici*, in-fol. Mediol.
1493. Caius Tranq. Suetonius de Vitis duodecim Cæsarum, cum comment. *M. Antonii Sabellici*, in-fol. Venetiis.
- Suetonii Tranq. Vitæ XII Cæsarum, cum commentario *Philippi Beroaldi*, in-fol. min. Bononiæ.
1494. Suetonius cum commentario *Philippi Beroaldi*, in-fol. Mediolani.
1496. Suetonius Tranquillus cum *Philippi Beroaldi et M. Ant. Sabellici* commentariis, in-fol. Venetiis.
1499. Suetonius cum commentario *Beroaldi et Sabellici*, in-fol. Venetiis.
- Inter Hist. Augustæ Scriptores.
- C. Suetonii Tranquilli Vitæ XII Cæsarum. Editio ad Jersonianam an. 1471 expressa.
- C. Suetonii Vitæ XII Cæsarum, in-fol. Repetitio ed. Mediolani 1480.
- Suetonius, de Grammaticis et Rhetoribus claris libellus, in-4 min.
- C. Suetonius Tranquillus de Ill. Grammaticæ et Rhetoricæ Scriptoribus, ex recognitione *Jo. Al. Tuscani*.
- Suetonius Tranquillus de claris Grammaticis. Suetonius Tranquillus de claris Rhetoribus, in-4. Venetiis. Editio rarissima.
1500. Suetonius Tranquillus cum *Philippi Beroaldi et M. Antonii Sabellici* commentariis, in-fol. Venetiis. Repetitio edit. 1496.
1506. Suetonius Tranquillus cum *Philippi Beroaldi et M. Antonii Sabellici* commentariis, in-fol. Venetiis.
- Suetonius Tranquillus cum *Phil. Beroaldi* commentario, in-fol. Bononiæ. Repetitio ed. Bonon. 1493.
1508. C. Suetonii Tranq. de Vita XII Cæsarum, in-8. Lugduni.
- Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus. Venetiis, apud Aldum.
1509. C. Suetonius Tranq. de Duodecim Cæs. vitis, per *Guidonem Morillonum*, in-8. Parisiis.
- Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Asulani.

1510. C. Suetonii Tranq. de Vita XII Cæsarum, in-8. Florentiæ.
1511. C. Suetonii Tranquilli de clarissimis Rhetoribus et Grammaticis libellus, ex castigatione *Georgii Valle* et *Philippi Beroaldi*. Impressum Lips. In-4.
- Suetonius de Grammaticis et Rhetoricis, in-8. Parisiis.
1514. Suetonius de claris Grammaticis, in-4. Argentorati.
1515. C. Suetonii Tranquilli de Vita duodecim Cæsarum libri XII, in-4. Argentorati.
- C. Suetonii Tranquilli Vitæ duodecim Cæsarum diligentissime recognitæ, in-8. Florentiæ.
- Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Flor.
1516. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, in-8. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri.
1518. Ex recognitione *Des. Erasmi Roterodami* C. Suetonius Tranquillus, Dion Cassius Nicaeus, etc. In-fol. Basileæ.
- Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri.
1519. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, in-8. Florentiæ. Aldinam 1516 secuta.
1520. C. Suetonius Tranq. de Vita XII Cæsarum, in-4. Argentor.
- C. Suetonii Tranq. Cæsares, in-8. Lugduni.
- C. Suetonii Tranq. de Vita duodecim Cæsarum libri duodecim, in-4. Selestadii.
1521. Aldina II, C. Suetonius Tranquillus, in-8. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri.
- Suetonius de Vita duodecim Cæsarum, in-4. Argentorati.
- De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-4. Argentorati.
- De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Basileæ.
1522. Suetonii Cæsares, in-8. Parisiis.
1523. Suetonius de Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Antverpiæ.
1526. De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Basileæ.
1527. Suetonius, inter Scriptores Hist. Augustæ ex recognitione *Des. Erasmi Roterod.*, in-fol. Coloniae.
- Suetonius cum annotationibus *Des. Erasmi Roterod.* et *Egnatii*, in-8. Ex officina Simonis Colinaei Parisiensis typographi.
1529. De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Parisiis.
1530. De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Basileæ.

1531. De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Lugduni.
1532. Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Antverpiæ.
1533. Omnia quam antehac emendatiora. Annotationes *Des. Erasmi et Egnatii* cognitu dignæ. C. Suetonius Tranquillus, Ælius Spartianus, etc., in-fol. Basileæ.
— Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Par.
1534. Suetonius, in-8. Lugduni. Sequitur *Erasmicam*.
1535. Suetonius ex *Erasmi* cognitione, cum notis *Egnatii*, in-8. Parisiis.
1536. Suetonius de Grammaticis et Rhetoribus. in-8. Paris.
— Suetonius. Parisiis.
— Suetonius de claris Grammaticis, in-8. Venet., ap. Aldum.
1537. C. Suetonii Tranq. XII Cæsares, cum *Egnatii et Erasmi* annotationibus, in-8. Lugduni.
— De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Parisiis.
1539. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, cum *Egnatii et Des. Erasmi Roterod.* in Suetonium annot., in-8. Lugduni.
— — cum *Erasmi, Longolii, Egnatii* notulis, in-8. Coloniae. Haud magni pretii editio.
— — De Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Parisiis.
1541. Suetonius, in-8. Lugduni.
— De Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Parisiis.
1542. De claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Basileæ.
1543. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, in-8. Parisiis.
— Suetonius cum annot. *Erasmi* et compendio *Assis Budaici* et aliis quibusdam, in-8. Parisiis.
— In-8. Coloniae. Repetitio ed. 1539.
1544. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, in-8. Lugduni.
— Suetonius, de Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Parisiis.
1545. Suetonius de claris Grammaticis et Rhetoribus, in-8. Par.
1548. C. Suetonii Tranq. XII Cæsares, cum *Ph. Beroaldi et M. Ant. Sabellici* commentariis, et *Jo. Bapt. Egnatii* aliorumque annotationibus, in-8. Lugduni. Editio nitida.
— C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, cum *Egnatii et Erasmi* annotationibus, in-12. Lugduni.
1550. Suetonius de Grammaticis et Rhetoribus, in-4. Lutetiæ.

1551. Suetonii Tranq. XII Cæsares, cum *Jo. Bapt. Egnatii* et *Erasmii* annotationibus, in-12. Lugduni.
1553. C. Suetonii Tranq. XII Cæsares, in-8. Coloniae Agrippinae.
— Ex ed. *Glareani*. Basileæ. Notas habens non vulgaris doctrinæ.
1555. Suetonius Octavius Cæsar Augustus, in-4. Lutetiae.
1556. C. Suetonii de Grammaticis et Rhetoribus libri duo castigati et indice aucti, in-4. Pictavis.
1558. C. Suetonii Tranq. Cæsares, cum *Egnatii* et *Erasmii* annotationibus, in-12. Lugduni.
— — Lugduni, in-8. Repetitio ed. 1534.
1560. Basileæ. Repetitio ed. *Glareani* 1553.
— Parisiis, in-18.
1565. C. Suetonii Tranq. Cæsares, in-8. Lugduni.
— Libri II de illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus, cum *Achillis Stati* commentatione, in-8. Romæ.
— C. Suetonii Tranq. libri II de illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus, cum *Achillis Stati* commentatione falso nuper Lugduni *Jo. Bapt. Egnatii* nomine inscripta et edita, in-8. Lutetiae.
1568. Coloniae, in-8.
— Inter Scriptores Historiæ Romanæ ab Henr. Stephano publicatos, in-8.
1574. C. Suetonii Tranquilli XII Cæsares, *Theod. Pulmanni Craneburgii* opera et studio emendati, in-8. Antverpiæ.
1585. C. Suetonii Tranq. Cæsares, de illustr. Gramm. et Rhetor., in-12. Lugduni.
1587. Cum comm. *Lævini Torrentii* auctiori et figg., in-4. Antverpiæ.
1588. C. Suetonii Tranq. XII Cæsares, cum seorsim adjectis *Jo. Bapt. Egnatii*, *Erasmii Roterod.*, *Henr. Glareani* et *Theod. Pulmanni* annotationibus, inter Scriptores Hist. Aug., in-fol. Francof.
1590. C. Suetonii Tr. XII Cæsares: ejusdem de illustribus Grammaticis liber; de claris Rhetoribus liber, in-12. Lugd.
1591. C. Suetonii Tr. XII Cæsares, et in eos *Lævini Torrentii* commentarius auctior et emendatior, in-4. Antverpiæ.
— Lugduni, in-12.
1595. C. Suetonii Tranquilli de XII Cæsaribus libri VIII, ex re-

- censione *Isaac. Casauboni*, cum ejusdem animadvers., in-4. Genevæ.
1596. C. Suetonii Tranq. duodecim Cæsares, et de illustribus Grammaticis et claris Rhetoribus libri duo, in-8. Lugduni Bat.
1597. Lugduni Bat., in-16.
1603. Titus Fl. Vespasianus, ex Suetonii libro VIII, cum interpr. et emendatione *Theod. Marcilii*, in-8. Parisiis.
1605. C. Suetonius Tranquillus de Cæsaribus, in-4. Lugduni. Repetitio ed. *Casauboni* 1595.
1607. — Ex recensione *Is. Casauboni*, in-12. Aureliæ Alobr.
1609. In Historiæ Romanæ Scriptoribus Lat., in-fol. Aurel. All.
1610. C. Suetonii Tranq. de Cæsaribus et Grammaticis et Rhetoribus libri, ab *Is. Casaubono* ex fide vetustissimorum librorum recensiti, etc. editio altera, ab auctore emendata et aucta, in-fol. Parisiis.
1611. C. Suetonius Tranquillus, ex rec. *Is. Casauboni* cum ejusdem animadv. et *Marcilii* expositionibus, in-4. Paris.
- Cum notis *Casauboni*, in-4. Lugduni.
- Ex *Jani Gruteri* recensione cum ejus notis, inter Script. Hist. Augustæ, in-fol. Hanovriæ.
1615. Ex rec. *Casauboni*, cum appendice notarum, in-4. Col. All.
1617. Ex rec. *Casauboni*, cum ejusd. annot., in-4. Antverpiæ.
1620. Suetonius Tranquillus de XII Cæsaribus, in-8. Duaci.
1621. C. Suetonius Tranquillus, in-24. Amstelodami.
1623. C. Suetonii Tranq. de XII Cæsaribus, et de illustr. Grammaticis et Rhetoribus omnia, quam maxima fieri potuit diligentia, ultima hac editione recognita et emendata, in-12. Parisiis.
- — In collectione Scriptorum veterum Hist. Rom. Genevensi repetita ex illa 1609 in-fol.
1627. — E museo *Isaaci Pontani*, in-12. Amstelodami.
1630. — Cum annot. diversorum, in-16. Amstelodami.
1632. — Cum notis *M. Zuerii Boxhornii*. Lugduni Batav.
1634. — In-8. Antverpiæ.
1635. Suetonius *Theod. Pulmanni* opera et studio emendatus, in-8. Antverp., repetitio ed. 1574.
1644. C. Suetonius Tranquillus, in-12. Parisiis, ex typogr. regia.
1645. — Lugduni Batav., in-12. *Boxhornii* ed. altera.

1647. *Schildii* I. — C. Suetonius Tranquillus, et in eum commentarius, exhibente *Jo. Schildio*, in-8. Lugduni Batav.
- — Cum *Is. Casauboni* animadv. et dissert. politicis *Jo. Henr. Bœcleri*, in-4. Argentorati.
1650. Suetonius, in-16. Amstel. ap. Lud. Elzevir.
1651. — Cum notis variorum, in-8. Lugduni Bat.
1652. *Schildii* II, cum not. varior., in-8. Lugd. Bat. Repet. ed. 1647.
1653. — In collect. Hist. Rom. Script. Lat. vet., in-fol. Genevæ.
1656. C. Suetonius et in eum commentarius, exhibente *Joan. Schildio*. Editio quarta, in-8. Lugduni Bat.
1661. Lugduni Bat. itemque Amstel., in-12. *Boxhornii* ed. III.
- C. Suetonius Tranq. opera omnia cum not. diversorum, in-12. Oxonii.
1662. — Lugduni Bat., in-8. *Schildii* ed. v.
1663. — Cum annott. diversorum, in-16. Amstelod.
1667. — Lugduni Bat., in-8. *Schildii* ed. VI.
1668. C. Suetonii Tranq. quæ exstant et in eum *M. Zuerii Boxhornii* not., in-12. Amstelod. *Boxhornii* ed. IV.
1671. Cum annott. diversorum, in-16. Amstel. typis Dan. Elzevir.
1672. *Græviana* I. — C. Suetonius Tranq. ex recensione *Jo. Georgii Grævii*, cum ejusd. animadv. et commentar. *Læv. Torrentii* et *Is. Casauboni*. His accedunt notæ diversorum, in-4. Trajecti ad Rhenum.
1675. C. Suetonii opera quæ exstant *Carol. Patinus* notis et numismatibus illustravit, in-4. Basileæ.
1676. C. Suetonii Tranq. opera, cum notis brevibus et selectis, in-8. Oxonii.
1677. C. Suetonius, accurante *Dan. Hartnaccio*, in-12. Dresdæ.
1684. C. Suetonii Tranq. opera omnia, quæ exstant, interpretat. et not. illustravit *Aug. Babelonius*, ad usum Delphini, in-4. Parisiis.
1686. — Cum notis *Boxhornii*, in-12. Amstelod.
1688. C. Suetonius Tranq. cum. *Is. Casaub.* animadv. et dissert. politicis *Jo. Hen. Bœcleri* iterumque uberrimo indice, in-4. Argentorati.
1690. *Pitisci* I. — C. Suetonii Tranq. opera, et in illa comment. *Sam. Pitisci*, cum var. animadv., in-8. Traj. ad Rhenum.
- — In-8. Oxonii. Repetitio ed. 1676.

- *Græviana* II. — Ex recensione *Jo. Georg. Grævii*, cum ejusd. et varior. annot., in-4. Trajecti ad Rhenum.
1695. — Cum *Boxhornii*, *Torrentii*, *Casauboni*, *Grævii*, etc., notis, accurante *Dan. Hartnaccio*, in-12. Dresdæ.
1697. — Ex recensione *Grævii*, cum ejusd. animadv., in-8. Amst.
1698. C. Suetonii Tranq. Vitæ XII Cæsarum et quæ ex illustribus Grammaticis ac claris Rhetoribus supersunt. Adjectis emendationibus *Jac. Gronovii*, in-12. Lugduni Bat.
1700. C. Suetonius Tranq., cum annot. divers., in-16. Amstel.
1703. *Græviana* III, eaque locupletissima. — C. Suetonius Tranq. ex recensione *Jo. Georg. Grævii* cum ejusd. et variorum animadv., in-4. Trajecti ad Rhenum.
1705. C. Suetonii Tranq. Cæsarum XII vitæ et alia quæ exstant, cum *Boxhornii*, *Torrentii*, *Casauboni*, *Grævii* et aliorum annot., accurante *Dan. Hartnaccio*, in-12. Dresdæ.
1706. — Cum notis ad modum *Minellii*, in-12. Lipsiæ.
1707. C. Suetonii Tranq. opera quæ exstant, in-4. Basileæ. Repetitio ed. 1675.
1708. Ex recens. et cum not. *Jo. Georg. Grævii* et aliorum, in-4. Trajecti ad Rhenum.
1714. — Cum notis *Granvillii*, in qua resecta sunt obscena omnia.
- *Pitisci* II. — C. Suetonii Tranq. opera. — Editio secunda priori ornatio et limatio, in-4. Leovardiæ.
- — Opera, cum notis *Boxhornii*. Ed. noviss., in-12. Traj. Bat.
1718. — Opera omnia, quæ exstant. Interpretatione et notis illustravit *Aug. Babelonius*, in usum Delphini, in-8. Londini.
1722. — Cum notis *Christ. Junckeri*, in-8. Lipsiæ.
1723. — In Hist. Rom. epitomis, Florentiæ editis, in-8.
1732. — Cum anglica versione *Jo. Clarke*, in-8. Londini.
1736. — C. Suetonius Tranq., cum notis variorum integris. Curante *P. Burmanno*, qui et suas annot. adjecit, in-4. Amstelodami.
1748. Inter Script. Hist. Aug. a *Bennone Casp. Harrisio* editos. Heidelbergæ.
- C. Suetonius Tranq., ex recensione et cum animadv. *Jo. Aug. Ernesti*, in-8. Lipsiæ.
1751. C. Suetonius Tranq., ex recensione *Fr. Oudendorpii*, qui variantes lectiones, suasque animadv. adjecit, intermixtis varior. adnot., in-8 maj. Lugduni Bat.

1755. C. Suetonius Vitæ XII Cæsarum, in-12. Halæ.
 1761. — XII Cæsares, ex *Oudendorp.* edit. expressi, in-12. Edimb.
 1762. Suetonius Chrestomathia illustratus a *P. Millero*, in-8. Ulmæ.
 1767. C. Suetonius Tranq., in-12. Lugduni Bat.
 1771. — Cum gallica versione *de la Harpe*, in-8. Paris.
 — — Cum gallica versione et obs. *Henr. Ophelot de la Pause*, in-8. Paris.
 1775. C. Suetonius Tranq., ex recensione et cum animadv. *Jo. Aug. Ernesti.* Editio secunda emendatior, in-8. Lipsiæ.
 1778. C. Suetonii Tranq. Cæsarum XII vitæ, in-12. Halæ.
 1782. — Ex recensione *Burmanni*, in-8. Norimb.
 — C. Suetonius Tranq. de XII Cæsaribus, ad optimas editiones collatus, in 8. Herbipoli.
 1783. C. Suetonius Tranq. ad optimas editiones collatus. Studiis societatis Bipontinæ; editio accurata, in-8. Biponti.
 1788. C. Suetonii Tranq. quæ supersunt omnia, in-8. Manhemii.
 1800. C. Suetonius Tranq. ad optimas editiones collatus. Studiis societatis Bipontinæ. Editio secunda, emendatior et auctior, in-8. Argentorati.
 1801. C. Suetonii Tranq. opera in usum scholarum accommodata, 8 voll. Halæ.
 1802. C. Suetonii Tranq. opera; textu ad codd. mss. recognito, cum *Jo. Aug. Ernesti* animadv. et *Is. Casaub.* comment. edidit *Frid. Aug. Wolfus*, in-4. 8 voll. Lipsiæ.
 1806. C. Suetonii Tranq. Vitæ duodecim Cæsarum, erlâulert vor *Joh. Heindr. Bremi.* Turici. 8 voll.
 1809. C. Suetonii Tranq. Julius Cæsar et Cæsar Octav., in usum scholarum, 8 voll. Posnan.
 1816-1818. C. Suetonii Tranq. opera. Textu ad præstantissimas editiones recognito, continuo commentario illustravit, clavem Suetoniam adjecit *Detler. Car. Guill. Baumgartner-Crusius*, 8 voll. Lipsiæ. Editio optima.
 1820. — Eadem repetita, cum brevior annott. in usum scholarum.
 1824. C. Suetonii Tranq. opera, sedula recensione accurata, editore *Jo. Carex.* Londini.
 — C. Suetonii quæ supersunt omnia, 8 voll. Manhemii.
 — Suetonii vitæ XII imperatorum, curante *G. H. Lünemann*, in tom. 1 collect. cui titulus : *Bibliotheca nova classica.* Hannoveriæ.

1828. C. Suetonii Tranq. duodecim Cæsares et minora quæ supersunt opera, *Baumgartnerii-Crusii* commentario, excursibus *Ernestii* et annotationibus variorum novisque illustravit *Car. Benedict. Hase*, Academ. litt. et inscriptt. instit. Franc. socius. Exstant in tom. xcv et xcvi collect. cui titulus : *Bibliotheca classica latina*, edita a *Nicol. Elig. Lemaire*, Parisiis.

C. SUETONII TRANQUILLI

C. J. CÆSAR.

I. C. CAIUS JULIUS CÆSAR..... annum agens sextum decimum, patrem amisit : sequentibusque consulibus, flamen Dialis destinatus, dimissa Cossutia, quæ, familia equestri, sed admodum dives, prætextato desponsata fuerat, Corneliam, Cinnæ quater consulis filiam, duxit uxorem, ex qua illi mox Julia nata est; neque ut repudiaret compelli a dictatore Sulla ullo modo potuit. Quare et sacerdotio, et uxoris dote, et gentilitiis hæreditatibus multatus, diversarum partium habebatur : ut etiam discedere e medio, et, quamquam morbo quartanæ aggravante, prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seque ab inquisitoribus pecunia redimeret; donec per virgines vestales, perque Mamercum Æmilium et Aurelium Cottam, propinquos et affines suos, veniam impetravit. Satis constat, Sullam, quum deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris aliquamdiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse, sive divinitus, sive

aliqua conjectura : *Vincerent, ac sibi haberent; dummodo scirent, eum, quem incolumem tanto opere cuperent, quandoque optimatum partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum; nam Cæsari multos Marios inesse.*

II. Stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi prætoris contubernio; a quo ad arcessendam classem in Bithyniam missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudiciæ: quem rumorem auxit, intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per causam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. Reliqua militia, secundiore fama fuit, et a Thermo in expugnatione Mytilenarum corona civica donatus est.

III. Meruit et sub Servilio Isaurico in Cilicia, sed brevi tempore. Nam Sullæ morte comperta, simul spe novæ dissensionis, quæ per M. Lepidum movebatur, Romam prope rediit. Et Lepidi quidem societate, quamquam magnis conditionibus invitaretur, abstinuit: cum ingenio ejus diffisus, tum occasione, quam minorem opinione offenderat.

IV. Ceterum, composita seditione civili, Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit: absolutoque, Rhodum secedere statuit, et ad declinandam invidiam, et ut per otium ac requiem Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro, operam daret. Huc dum hibernis jam mensibus trajicit, circa Pharmacusam insulam a prædonibus captus est: mansitque apud eos, non sine summa dignatione, prope quadraginta dies, cum uno medico et cubi-

culariis duobus. Nam comites servosque ceteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde quinquaginta talentis, expositus in litore, non distulit, quin e vestigio classe deducta persequeretur abeuntes; ac redactos in potestatem, supplicio, quod illis sæpe minatus inter jocum fuerat, afficeret. Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam; auxiliisque contractis, et præfecto regis provincia expulso, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide.

V. Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cujus vim Sulla deminuerat, enixissime juit. L. etiam Cinnæ, uxoris fratri, et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti, post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea re concionem.

VI. Quæstor Juliam amitam, uxoremque Corneliam, defunctas laudavit e more pro rostris. Et in amitæ quidem laudatione, de ejus ac patris sui utraque origine sic refert: *Amitæ meæ Julicæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* In Cornelicæ autem locum Pompeiam duxit. Q. Pompeii filiam, L. Sullæ

neptem; cum qua deinde divortium fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio; quem inter publicas cærimonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat, ut senatus quæstionem de pollutis sacris decreverit.

VII. Quæstori ulterior Hispania obvenit: ubi quum mandatu prætoris, jure dicundo conventus circumiret, Gadesque venisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: et quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuo efflagitavit, ad captandas quam primum majorum rerum occasiones in urbe. Etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) conjectores ad amplissimam spem incitaverunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes: *quando mater, quam subjectam sibi vidisset, non alia esset, quam terra, quæ omnium parens haberetur.*

VIII. Decedens ergo ante tempus, colonias latinas, de petenda civitate agitantes, adiit: et ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent: nec eo secius majora mox in urbe molitus est.

IX. Siquidem ante paucos dies, quam ædilitatem iniret, venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et Antronio, post designationem consulatus, ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur, et trucidatis, quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equi-

tum diceretur, constitutaque ad arbitrium republica, Sullæ et Autronio consulatus restitueretur. Meminerunt hujus conjurationis Tanusius Geminus in Historia, M. Bibulus in Edictis, C. Curio pater in Orationibus. De hac significare videtur et Cicero in quadam ad Axium epistola, referens, *Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo cædilis cogitarat*. Tanusius adjicit, Crassum, pœnitentia vel metu, diem cædi destinatum non obiisse, et idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedisse. Convenisse autem Curio ait, ut togam de humero dejiceret. Idem Curio, sed et M. Actorius Naso, auctores sunt, conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente : cui, ob suspicionem urbanæ conjurationis, provincia Hispania ultro extra ordinem data sit; pactumque, ut simul foris ille, ipse Romæ, ad res novas consurgerent, per Ambronas et Transpadanos : destitutum utriusque consilium morte Pisonis.

X. Ædilis, præter comitium ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit, porticibus ad tempus extructis, in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus exponeretur. Venationes autem ludosque et cum collega, et separatim, edidit : quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet; nec dissimularet collega ejus M. Bibulus, evenisse sibi quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur, ita suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici. Adjecit insuper Cæsar etiam gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus, quam destinaverat, paribus. Nam quum multiplici

undique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere Romæ liceret.

XI. Conciliato populi favore, tentavit per partem tribunorum, ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur, nactus extraordinarii imperii occasionem, quod Alexandrini regem suum, socium atque amicum a senatu appellatum, expulerant, resque vulgo improbabatur. Nec obtinuit, adversante optimatum factione: quorum auctoritatem ut quibus posset modis invicem demineret, tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta, restituit; atque in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione, ob relata civium romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.

XII. Subornavit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adjutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatum senatus coercuerat: ac sorte iudex in reum ductus, tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac iudicis acerbitas profuerit.

XIII. Deposita provinciæ spe, pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione. In qua reputans magnitudinem æris alieni, quum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur, domum se nisi pontificem non reversurum. Atque ita potentissimos duos competitores, multumque et ætate et dignitate antecedentes, superavit, ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus, tulerit.

XIV. Prætor creatus, detecta conjuratione Catilinæ, senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente pœnam, solus municipatim dividendos, custodiendosque publicatis bonis, censuit. Quin et tantum metum iniecit asperiora suadentibus, identidem ostentans, quanta eos in posterum a plebe romana maneret invidia, ut D. Silanum, consulem designatum, non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipse sensisset exceptam: obtinissetque adeo, transductis ad se jam pluribus, et in his Ciceronis consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoad usque manus equitum romanorum, quæ armata præsidii causa circumstabat, immoderatus perseveranti necem comminata est: etiam strictos gladios usque eo intentans, ut sedentem una proximi deseruerint, vix pauci complexu togaque objecta protexerint. Tunc plane deterritus, non modo cessit, sed etiam in reliquum anni tempus curia abstinuit.

XV. Primo præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat. Verum impar optimatum conspirationi, quos, relicto statim novorum consulum officio, frequentes obstinatosque ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit.

XVI. Ceterum Cæcilio Metello, tribuno plebis, turbulentissimas leges adversus collegarum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit; donec ambo administratione reipublicæ decreto

patrum submoverentur. Ac nihilo minus permanere in magistratu, et jus dicere ausus, ut comperit paratos, qui vi ac per arma prohiberent, dimissis lictoribus, abjectaque prætexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo post sponte et ultro confluentem, operamque sibi in asserenda dignitate tumultuosius pollicentem, compescuit. Quod quum præter opinionem evenisset, senatus, ob eundem cœtum festinato coactus, gratias ei per primos viros egit : accitumque in curiam, et amplissimis verbis collaudatum, in integrum restituit, inducto priore decreto.

XVII. Recidit rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ nominatus, et apud Novium Nigrum quæstorem a L. Vettio iudice, et in senatu a Q. Curio : cui, quod primus consilia conjuratorum detexerat, constituta erant publice præmia. Curius e Catilina se cognovisse dicebat : Vettius etiam chirographum ejus, Catilinæ datum, pollicebatur. Id vero Cæsar nullo modo tolerandum existimans, quum, implorato Ciceronis testimonio, quædam se de conjuratione ultro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit : Vettium, pignoribus captis, et direpta suppellectile male mulctatum, ac pro rostris in concione pæne discerptum, conjecit in carcerem : eodem Novium quæstorem, quod compelli apud se majorem potestatem passus esset.

XVIII. Ex prætura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu sponsorum removit : ac neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus est : incertum, metune iudicii, quod

privato parabatur, an quo maturius sociis implorantibus subveniret. Pacataque provincia, pari festinatione, non expectato successore, ad triumphum simul consulatumque decessit. Sed quum, edictis jam comitiis, ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset urbem, et ambienti ut legibus solveretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere.

XIX. E duobus [consulatus] competitoribus, L. Lucceio, Marcoque Bibulo, Lucceium sibi adjunxit: pactus, ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleteret, nummos de suo, communi nomine, per centurias pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, concordi et consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e republica fieri. Igitur cum Bibulo consul creatur. Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, silvæ callesque decernerentur. Qua maxime injuria instinctus, omnibus officiis Cn. Pompeium assectatus est, offensum patribus, quod, Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta sua: Pompeioque M. Crassum reconciliavit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: ac societatem cum utroque inivit, ne quid ageretur in republica, quod displicisset ulli e tribus.

XX. Inito honore primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur et publi-

carentur. Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fascēs non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. Lege autem Agraria promulgata, obnuntiantem collegam armis foro expulit. Ac postero die in senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre, aut censere aliquid auderet, qualia multa sæpe in levioribus turbis decreta erant, in eam coegit desperationem, ut quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret. Unus ex eo tempore omnia in republica, et ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, quum quid per jocum testandi gratia signarent, non *Cæsare et Bibulo*, sed *Julio et Cæsare consulibus* actum scriberent, bis eundem præponentes, nomine atque cognomine: utque vulgo mox ferrentur hi versus:

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est:
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Campum Stellatē, majoribus consecratum, agrumque Campanum, ad subsidia reipublicæ vectigalem relictum, divisit extra sortem ad viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent. Publicanos, remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit, ac, ne in locatione novorum vectigalium immoderatus licerentur, propalam monuit. Cetera item, quæ cuique libuissent, dilargitus est, contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem jussit. L. Lucullo liberius resistenti, tantum calumniarum me-

tum injecit, ut ad genua ultro sibi accideret. Cicerone in judicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus, frustra jam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona, transluxit. Postremo in universos diversæ factionis induxit Vettium præmiis, ut se de inferenda Pompeio nece sollicitatum a quibusdam profiteretur, productusque pro rostris auctores ex compacto nominaret : sed uno atque altero frustra, nec sine suspitione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis consilii eventum, interceptisse veneno indicem creditur.

XXI. Sub idem tempus Calpurniam, L. Pisonis filiam, successuri sibi in consulatu, duxit uxorem : suamque, Julianam, Cn. Pompeio collocavit, repudiato priore sponso Servilio Cæpione, cujus vel præcipua opera paulo ante Bibulum impugnaverat. Ac post novam affinitatem Pompeium primum rogare sententiam cœpit, quum Crassum soleret, essetque consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias consul kalendis januariis instituisset, eum toto anno conservaret.

XXII. Socero igitur generoque suffragantibus, ex omni provinciarum copia Galliam potissimum elegit, cujus emolumento et opportunitate, idonea sit materia triumphorum. Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit : mox per senatum, Comatam quoque ; veritis patribus, ne, si ipsi negassent, populus et hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret, invitis et gementibus adversariis adeptum se, quæ concupisset ; proinde ex eo insultaturum omnium capi-

tibus : ac negante quodam per contumeliam, *Facile hoc ulli femine fore*, respondit, quasi alludens, *In Assyria quoque regnasse Semiramis, magnamque Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.*

XXIII. Functus consulatu, C. Memmio Lucioque Domitio prætoribus de superioris anni actis referentibus, cognitionem senatui detulit : nec illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes absumpto, in provinciam abiit; et statim quæstor ejus in præjudicium aliquot criminibus arreptus est. Mox et ipse a L. Antistio, tribuno plebis, postulatus, appellato demum collegio, obtinuit, quum reipublicæ causa abesset, reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteritatis, in magno negotio habuit obligare semper annuos magistratus, et e petitoribus non alios adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui sibi recepissent propugnaturus absentiam suam; cujus pacti non dubitavit a quibusdam jusjurandum atque etiam syngrapham exigere.

XXIV. Sed quum L. Domitius, consulatus candidatus, palam minaretur, consulem se effecturum, quod prætor nequisset, adempturumque ei exercitus; Crassum Pompeiumque, in urbem provinciæ suæ Lucam extractos, compulit, ut detrudendi Domitii causa consulatum alterum peterent, et ut in quinquennium sibi imperium prorogaretur. Qua fiducia ad legiones, quas a republica acceperat, alias privato sumptu addidit : unam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque gallico; *Alauda* enim appellabatur : quam disciplina cultuque romano institutam et ornatam, postea universam civitate donavit. Nec deinde ulla belli occasione, ne injusti

quidem ac periculosi, abstinuit, tam fœderatis, quam infestis ac feris gentibus ultro laccessitis : adeo ut senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint. Sed prospere decedentibus rebus, et sæpius et plurimum, quam quisquam unquam, dierum supplicationes impetravit.

XXV. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, hæc fere. Omnem Galliam, quæ saltu Pyrenæo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis et tricies centum millia passuum, præter socias ac bene meritas civitates, in provinciæ formam redegit, eique quadringentis in singulos annos stipendii nomine imposuit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est et Britannos, ignotos antea; superatisque pecunias et obsides imperavit : per tot successus ter, nec amplius, adversum casum expertus : in Britannia, classe vi tempestatis prope absumpta; et in Gallia, ad Gergoviam legione fusa; et in Germanorum finibus, Titurio et Aurunculeio legatis per insidias cæsis.

XXVI. Eodem temporis spatio matrem primo, deinde filiam, nec multo post nepotem amisit. Inter quæ consternata P. Clodii cæde republica, quum senatus unum consulem, nominatimque Cn. Pompeium, fieri censuisset, egit cum tribunis plebis, collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, ut absentis sibi, quandocunque imperii tempus expleri cœpisset,

petitio secundi consulatus daretur : ne ea causa maturius, et imperfecto adhuc bello, decederet. Quod ut adeptus est, altiora jam meditans, et spei plenus, nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus, publice privatimque omisit. Forum de manubiis inchoavit; cujus area super sestertium millies constitit. Munus populo epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo. Quorum ut quam maxima exspectatio esset, ea, quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat. Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reservandosque mandabat. Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites romanos, atque etiam per senatores armorum peritos erudiebat; precibus enitens, quod epistolis ejus ostenditur, ut disciplinam singulorum suscipere, ipsique dictata exercentibus darent. Legionibus stipendium in perpetuum duplicavit. Frumentum, quoties copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit; ac singula interdum mancipia ex præda viritim dedit.

XXVII. Ad retinendam autem Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octaviam, sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditionem ei detulit, sibi que filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto Sullæ destinatam. Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna senatus, gratuito, aut levi fœnore, obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere, vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo congiario persequebatur : liberos insuper servulosque cujusque, prout domino patronove gratis quis esset. Tum reorum, aut obæra-

torum, aut prodigæ juventutis, subsidium unicum ac promptissimum erat : nisi quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut subveniri posset a se : his plane palam *bello civili opus esse* dicebat.

XXVIII. Nec minore studio reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat : aliis captivorum millia dono offerens ; aliis citra senatus populique auctoritatem, quo vellent, et quoties vellent, auxilia submit- tens : superque Italiæ, Galliarumque et Hispaniarum, Asiæ quoque et Græciæ potentissimas urbes præcipuis operibus exornans : donec, attonitis jam omnibus, et quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus consul edicto præfatus, de summa se republica acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus ; quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus : et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea obrogasset. Acciderat autem, ut is legem de jure magistratum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet, per oblivionem ; ac mox, lege jam in æs incisa, et in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus provincias Cæsari et privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem et ultra præscriptum data esset.

XXIX. Commotus his Cæsar, ac judicans, quod sæpe ex eo auditum ferunt, difficilius se principem civitatis a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi, summa ope restitit, partim per inter-

cessores tribunos, partim per Servium Sulpicium alterum consulem. Insequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in consulatu successerat, eadem tentante, collegam ejus Æmilium Paulum, Caiumque Curionem, violentissimum tribunorum, ingenti mercede defensores paravit. Sed quum obstinatius omnia agi videret, et designatos etiam consules e parte diversa, senatum litteris deprecatus est, ne sibi beneficium populi adimeretur; aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent: confisus, ut putant, facilius se, simul atque libuisset, veteranos convocaturum, quam Pompeium novos milites. Cum adversariis autem pepigit, ut, dimissis octo legionibus, transalpinaque Gallia, duæ sibi legiones, et Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur, quoad consul fieret.

XXX. Verum neque senatu interveniente, et adversariis negantibus, ullam se de republica facturos pactionem, transiit in citeriorem Galliam; conventibusque peractis, Ravennæ substitit, bello vindicaturus, si quid de tribunis plebis intercedentibus pro se gravius a senatu constitutum esset. Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: causas autem alias fuisse opinantur. Cn. Pompeius ita dictitabat, quod neque opera consummare, quæ instituerat, neque populi expectationem, quam de adventu suo fecerat, privatis opibus explere posset, turbare omnia ac permiscere voluisse. Alii timuisse dicunt, ne eorum, quæ primo consulatu adversus auspicia legesque et intercessionem gessisset, rationem reddere cogeretur: quum M. Cato identidem, nec

sine jurejurando, denuntiaret delaturum se nomen ejus, simul ac primum exercitum dimisisset; quumque vulgo fore prædicarent, ut si privatus redisset, Milonis exemplo circumpositis armatis causam apud judices diceret. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos profligatosque adversarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens: *Hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.* Quidam putant captum imperii consuetudine, pensitatisque suis et inimicorum viribus, usum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse videbatur et Cicero, scribens *de Officiis* tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse convertit:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

XXXI. Quum ergo sublatam tribunorum intercessionem, ipsosque urbe cessisse nuntiatum est, præmissis confestim clam cohortibus, ne qua suspicio moveretur, et spectaculo publico per dissimulationem interfuit, et formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, consideravit, et ex consuetudine convivio se frequenti dedit. Dein post solis occasum, mulis e proximo pistrino ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est: et quum luminibus extinctis decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites pedibus evasit; consecutusque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis

erat, paulum constitit, ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos, *Etiam nunc, inquit, regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.*

XXXII. Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximia magnitudine et forma in proximo sedens, repente apparuit, arundine canens: ad quem audiendum quum præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos et æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen, et ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, *Eatur, inquit, quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat. Jacta alea esto.*

XXXIII. Atque ita trajecto exercitu, adhibitis tribunis plebis, qui pulsi supervenerant, pro concione fidem militum, flens, ac veste a pectore discissa, invocavit. Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam quum in alloquendo exhortandoque sæpius digitum lævæ manus ostentans affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi; extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur: promissumque jus annulorum cum millibus quadringenis, fama distulit.

XXXIV. Ordo et summa rerum, quas deinceps gessit, sic se habent. Picenum, Umbriam, Etruriam occupavit: et L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus, Corfinium præsidio tenebat, in deditionem redacto atque dimisso, secundum Superum mare Brun-

disium tetendit, quo consules Pompeiusque confugerant, quamprimum transfretaturi. Hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus, Romam iter convertit: appellatisque de republica patribus, validissimas Pompeii copias, quæ sub tribus legatis, M. Petreio, et L. Afranio, et M. Varrone in Hispania erant, invasit; professus ante inter suos, *ire se ad exercitum sine duce, et inde reversurum ad ducem sine exercitu*. Et quanquam obsidione Massiliæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summaque frumentariæ rei penuria retardante, brevi tamen omnia subegit.

XXXV. Hinc urbe repetita, in Macedoniam transgressus, Pompeium, per quatuor pæne menses maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prælio fudit: et fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum Ptolemæo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit; neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, et intra mœnia copiosissimi ac sollertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Ægypti victor Cleopatrarum fratrique ejus minori permisit: veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, et inde Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuntiis: quem, Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, jamque multiplici successu præferocem, intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, una profligavit acie; crebro commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus de tam imbelli

genere hostium contigisset. Dehinc Scipionem ac Jubam, reliquias partium in Africa refoventes, devicit : Pompeii liberos in Hispania.

XXXVI. Omnibus civilibus bellis nullam cladem, nisi per legatos suos, passus est : quorum C. Curio in Africa periit; C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem; P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum, amiserunt. Ipse prosperrime semper, ac ne ancipiti quidem unquam fortuna, præterquam bis, dimicavit : semel ad Dyrrhachium; ubi pulsus, non instante Pompeio, negavit eum vincere scire : iterum in Hispania ultimo prælio, quum desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitavit.

XXXVII. Confectis bellis, quinquies triumphavit; post devictum Scipionem quater eodem mense, sed interjectis diebus : et rursus semel, post superatos Pompeii liberos. Primum et excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, novissimum Hispaniensem, diverso quemque apparatu et instrumento. Gallici triumphi die Velabrum prætervehens, pæne curru excussus est, axe diffracto : ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus. Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, VEM, VIDI, VICI : non acta belli significantem, sicut ceteri, sed celeriter confecti notam

XXXVIII. Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia, quæ initio civilis

tumultus numeraverat, vicena millia nummum dedit. Assignavit et agros, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur. Populo præter framenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit; et hoc amplius, centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit. Adjecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam duo prandia. Nam quum prius parce, neque pro liberalitate sua præbitum judicaret, quinto post die aliud largissimum præbuit.

XXXIX. Edidit spectacula varii generis : munus gladiatorium; ludos etiam regionatim urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones; item Circenses, athletas, naumachiam. Munere in foro depugnavit Furius Leptinus, stirpe prætoria, et Q. Calpenus, senator quondam, actorque causarum. Pyrrhicham saltaverunt Asiæ Bithyniæque principum liberi. Ludis Decimus Laberius, eques romanus, mimum suum egit : donatusque quingentis sestertiis et annulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transit. Circensibus, spatio circi ab utraque parte producto, et in gyrum euripo addito, quadrigas bigasque et equos desultores agitaverunt nobilissimi juvenes. Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum. Venationes editæ per dies quinque, ac novissime pugna divisa in duas acies; quingenis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc et inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur, sublata metæ, inque earum locum bina castra

ex adverso constituta erant. Athletæ, stadio ad tempus exstructo, in regione Martii campi certaverunt per triduum. Navali prælio, in minore Codeta defosso lacu, biremes ac triremes quadriremesque Tyriæ et Ægyptiæ classis, magno pugnantorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undique confluit hominum, ut plerique advenæ aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positos manerent; ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi, et in his duo senatores.

XI. Conversus hinc ad ordinandum reipublicæ statum, fastos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstate, neque vindemiarum autumno, competerent. Annumque ad cursum solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset, et intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum ex kalendis januariis novis temporum ratio congrueret, inter novembrem ac decembrem mensem interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur, quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.

XLI. Senatam supplevit; patricos allegit; prætorum, ædilium, quæstorum, minorum etiam magistratum numerum ampliavit; nudatos opere censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemnatos, restituit. Comitiam cum populo partitus est, ut, exceptis consularibus competitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur; pro parte altera, quos ipse edidisset. Et edebat

per libellos circum tribus missos scriptura brevi : « Cæsar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant. » Admisit ad honores et proscriptorum liberos. Judicia ad duo genera judicium redegit, equestris ordinis ac senatorii : tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit : atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi cœtus recensiois causa moveri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex iis, qui recensiti non essent, subsortitio a prætore fieret.

XLII. Octoginta autem civium millibus in transmarinas colonias distributis, ut exhaustæ quoque urbis frequentia suppeteret, sanxit, ne quis civis major annis viginti, minorve quadraginta, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset : ne quis senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus, peregre proficisceretur : neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, et liberalium artium doctores, quò libentius et ipsi urbem incolerent, et ceteri appeterent, civitate donavit. De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exspectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuis-

set : qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Cuncta collegia, præter antiquitus constituta, distraxit. Pœnas facinorum auxit : et quum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsultabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.

XLIII. Jus laboriosissime ac severissime dixit. Repe-tundarum convictos etiam ordine senatorio movit. Diremit nuptias prætorii viri, qui digressam a marito post biduum statim duxerat, quamvis sine probri suspicione. Peregrinarum mercium portoria instituit. Lecticarum usum, item conchyliatæ vestis, et margaritarum, nisi certis personis et ætatibus, perque certos dies, ademit. Legem præcipue sumptuariam exercuit : dispositis circa macellum custodibus, qui opsonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad se; summissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui, si qua custodes fefellissent, jam apposita e triclinio auferrent.

XLIV. Jam de ornanda instruendaque urbe, item de tuendo ampliandoque imperio, plura ac majora in dies destinabat : in primis Martis templum, quantum nusquam esset, exstruere, repleto et complanato lacu, in quo naumachiæ spectaculum ediderat, theatrumque summæ magnitudinis Tarpeio monti accubans : jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque et necessaria in paucissimos conferre libros : bibliothecas græcas et latinas, quas maximas posset, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum : siccare Pomptinas paludes : emittere Fucinum lacum : viam munire

a mari supero per Apennini dorsum ad Tiberim usque : perfodere Isthmum : Dacos, qui se in Pontum per Thraciam effuderant, coercere : mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec, nisi ante expertos, aggređi prœlio. Talia agentem atque meditantem mors prævenit : de qua priusquam dicam, ea, quæ ad formam, et habitum, et cultum, et mores, nec minus, quæ ad civilia et bellica ejus studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

XLV. Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera; nisi quod tempore extremo repente animo linq̄ui, atque etiam per somnum exterreri solebat. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt; calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, sæpe obtrectorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice assueverat, et ex omnibus decretis sibi a senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut usurpavit libentius, quam jus laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. Usam enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura. Unde emanasse Sullæ dictum, *optimates sapius admonentis, «ut male præcinctum puerum caverent.»*

XLVI. Habitavit primo in Subura modicis ædibus : post autem pontificatum maximum in sacra via domo

publica. Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt : villam in Nemorensi a fundamentis inchoatam, magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse, quamquam tenuem adhuc et obæratum : in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta circumtulisse.

XLVII. Britanniam petisse spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum sua manu exegisse pondus : gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui semper animosissime comparasse : servitia rectiora politioraque immenso pretio, et cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.

XLVIII. Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis, uno, quo sagati palliative, altero, quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent. Domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit, ut pistorem, alium quam sibi panem convivis subjicientem, compedibus vinxerit ; libertum gratissimum, ob adulteratam equitis romani uxorem, quamvis nullo querente, capitali pœna affecerit.

XLIX. Pudicitia ejus famam nihil quidem præter Nicomedis contubernium læsit, gravi tamen et perenni opprobrio, et ad omnium convicia exposito. Omitto Calvi Licinii notissimos versus :

.....Bithynia quidquid
Et pædicator Caesaris unquam habuit.

Prætereo actiones Dolabellæ et Curionis patris, in quibus cum Dolabella *pellicem reginae, spondam interio-*

rem regis lecticæ, ac Curio *stabulum Nicomedis*, et *Bithynicum fornicem* dicunt. Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum, *Bithynicam reginam* : «eique regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum.» Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conventu maximo quum Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutavit. Sed C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse objecit, cum reliquis exoletis, pleno convivio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero vero, non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, a satellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veste purpurea decubuisse, floremque ætatis a Venere orti in Bithynia contaminatum : quondam etiam in senatu defendenti Nysæ causam, filie Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti, «Remove, inquit, istæ, oro te; quando notum est, et quid ille tibi, et quid illi tute dederis.» Gallico denique triumpho milites ejus inter cetera carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiaverunt :

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Eecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias :

Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

L. Pronum et sumptuosum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasque et illustres feminas corrupisse : in quibus Posthumiâ Servii Sulpicii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii

Maciam. Nam certe Pompeio, et a Curionibus patre et filio, et a multis exprobratum est, quod «cujus causa post tres liberos exegisset uxorem, et quem gemens Ægisthum appellare consuisset, ejus postea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset.» Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam : cui et proximo suo consulatu sexagies sestertio margaritam mercatus est, et bello civili super alias donationes, amplissima prædia ex auctionibus hastæ nummo addixit : quum quidem, plerisque vilitatem mirantibus, facetissime Cicero, «Quo melius, inquit, emptum sciatis, Tertia deducta est :» existimabatur enim Servilia, etiam filiam suam Tertiam Cæsari conciliare.

LI. Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc disticho apparet, jactato æque a militibus per Gallicum triumphum :

Urbani, servate uxores, mœchum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuisti : hic sumpsisti mutuum.

LII. Dilexit et reginas, inter quas Eunoen Mauram Bogudis uxorem : cui maritoque ejus plurima et immensa tribuit, ut Naso scripsit : sed maxime Cleopatram, cum qua et convivia in primam lucem sæpe protraxit, et eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenuis Ægyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset : quam denique accitam in urbem, non nisi maximis honoribus præmiisque auctam remisit, filiumque natum appellare nomine suo passus est : quem quidem nonnulli Græcorum similem quoque Cæsaris et forma et incessu tradiderunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo,

senatui affirmavit : quæ scire C. Matium, et C. Oppium, reliquosque Cæsaris amicos : quorum C. Oppius, quasi plane defensione ac patrocinio res egeret, librum edidit, « Non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat. » Helvius Cinna, tribunus plebis, plerisque confessus est habuisse se scriptam paratamque legem, quam Cæsar ferre jussisset, quum ipse abesset, uti uxores liberorum quærendorum causa, quas et quot vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, et impuditiæ eum, et adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione « omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem » appellat.

LIII. Vini parcissimum ne inimici quidem negaverunt. Verbum M. Catonis est : « Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. » Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse, ne hospitem aut negligentiam, aut rusticitatis videretur arguere.

LIV. Abstinentiam neque in imperiis, neque in magistratibus præstitit. Ut enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania a proconsule et a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni, et Lusitanorum quædam oppida, quanquam nec imperata detrectarent, et adveniendi portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque deum donis referta expilavit, urbes diruit, sæpius ob prædam quam ob delictum : unde factum ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam pro-

vinciasque divideret. In primo consulatu tria millia pondi auri furatus e Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates ac regna pretio dedit, ut qui uni Ptolemæo prope sex millia talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit. Postea vero evidentissimis rapinis ac sacrilegiis, et onera bellorum civilium, et triumphorum ac munerum sustinuit impendia.

LV. Eloquentia militarique re aut æquavit præstantissimorum gloriam, aut excessit. Post accusationem Dolabellæ haud dubie principibus patronis annumeratus est. Certe Cicero ad Brutum, oratores enumerans, negat «se videre cui Cæsar debeat cedere»: aitque, «eum elegantem, splendidam quoque, atque etiam magnificam, ac generosam quodammodo, rationem dicendi tenere:» et ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: «Quid? oratorum quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?» Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc Strabonis Cæsaris secutus videtur; cujus etiam ex oratione, quæ inscribitur *Pro Sardinis*, ad verbum nonnulla transtulit in Divinationem suam. Pronuntiasset autem dicitur voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur: ut *Pro Q. Metello*, quam non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inscriptam quidem *Pro Metello*, sed, *quam scripsit Metello*, quum ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum seque adversus com-

munium obtrectatorum criminationes purgantis. *Apud milites quoque in Hispania*, idem Augustus orationem esse vix ipsius putat : quæ tamen duplex fertur : una, quasi priore habita prælio; altera, posteriore; quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione.

LVI. Reliquit et rerum suarum Commentarios, Gallici, Civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique et Hispaniensis, incertus auctor est. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium : qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit. De Commentariis Cæsaris Cicero in eodem libro sic refert : « Commentarios scripsit, valde quidem probandos : nudi sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta : sed dum voluit alios habere parata unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volent calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit. » De iisdem Commentariis Hirtius ita prædicat : « Adeo probantur omnium iudicio, ut prærepta, non præbita, facultas scriptoribus videatur. Cujus tamen rei major nostra, quam reliquorum est admiratio. Ceteri enim, quam bene atque emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos perscripserit, scimus. » Pollio Asinius parum diligenter, parumque integra veritate compositos putat, quam Cæsar pleraque et quæ per alios erant gesta, temere crediderit, et quæ per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit, existimatque rescripturum et correcturum fuisse. Reliquit et *De Analogia* libros duos, et *Anticatones* totidem, ac præterea poemata,

quod inscribitur *Iter*. Quorum librorum primos in transitu Alpium, quum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret; sequentes sub tempus Mundensis proclii fecit; novissimum, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicesimo die pervenit. Epistolæ quoque ejus ad senatum exstant, quas primus videtur ad paginas et formam memorialis libelli convertisse, quum antea consules et duces nonnisi transversa charta scriptas mitterent. Exstant et ad Ciceronem, item ad familiares domesticis de rebus: in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset: quæ si quis investigare et persequi velit, quartam elementorum litteram, id est, *d* pro *a*, et perinde reliquas commutat. Feruntur et a puero et ab adolescentulo quædam scripta: ut *Laudes Herculis*, tragœdia *Œdipus*, item *Dicta collectanea*. Quos omnes libellos vetuit Augustus publicari, in epistola, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit.

LVII. Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria rheda, centena passuum milia in singulos dies: si flumina morarentur, nando trajiciens, vel innixus inflatis utribus, ut persæpe nuntios de se præveniret.

LVIII. In obeundis expeditionibus dubium, cautior an audentior. Exercitum neque per insidiosa itinera

duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs; neque in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus, et navigationem, et accessum ad insulam explorasset. At idem, obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium gallico habitu penetravit ad suos. A Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit, cessantibusque copiis, quas subsequi jusserat, quum ad arcessendas frustra sæpe misisset, novissime ipse clam noctu parvulum navigium solus obvoluto capite conscendit; neque aut, quis esset, ante detexit, aut gubernatorem cedere adversæ tempestati passus est, quam pæne obrutus fluctibus.

LIX. Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus unquam vel retardatus est. Quum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem et Jubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa*. Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix et invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.

LX. Prælia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat; ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, quum minime quis moturum speraret: nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est; quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans, nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum unquam hostem fudit, quin castris quoque exueret: ita

nulum spatium perterritis dabat. Ancipiti prælio eques dimittebat, et in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

LXI. Utebatur autem equo insigni, pedibus prope humanis, et in modum digitorum unguis fissis : quem natum apud se, quum haruspices imperium orbis terræ significare domino pronuntiassent, magna cura aluit; nec patientem sessoris alterius primus ascendit : cujus etiam instar pro æde Veneris Genetricis postea dedicavit.

LXII. Inclinatam aciem solus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinensque singulos, et contortis faucibus convertens in hostem : et quidem adeo plerumque trepidos, ut aquilifer moranti se cuspidem sit comminatus; alius in manu detinentis reliquerit signum.

LXIII. Non minora illa constantiæ ejus, immo majora etiam, indicia fuerint. Post aciem Pharsalicam, quum præmissis in Asiam copiis per angustias Hellesponti vectoria navicula trajiceret, C. Cassium, partis adversæ, cum decem rostratis navibus obvium sibi neque refugit : et cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus, supplicem ad se recepit.

LXIV. Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subita compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, quum desilisset in mare, nando per ducentos passus evasit ad proximam navem, elata læva, ne libelli, quos tenebat, madeficerent; paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.

LXV. Militem neque a moribus, neque a fortuna probabat, sed tantum a viribus; tractabatque pari seve-

ritate atque indulgentia. Non enim ubique ac semper, sed quum hostis in proximo esset, coercerat : tum maxime exactor gravissimæ disciplinæ, ut neque itineris neque prælii tempus denuntiaret, sed paratum et intentum momentis omnibus, quo vellet, subito educeret. Quod etiam sine causa plerumque faciebat, præcipue pluviis et festis diebus. Ac subinde, observandum se admonens, repente interdiu vel nocte subtrahebat; augebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret.

LXVI. Fama vero hostilium copiarum perterritos non negando minuendove, sed insuper amplificando ementiendoque, confirmabat. Itaque quum expectatio adventus Jubbæ terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, « Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum decem legionibus, equitum triginta, levis armaturæ centum millibus, elephantis trecentis. Proinde desinant quidam quærere ultra aut opinari, mihi que, qui compertum habeo, credant : aut quidem vetustissima nave impositos, quocunque vento, in quascunque terras, jubebo aveli. »

LXVII. Delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur : sed desertorum ac seditiosorum et inquisitor et punitor acerrimus, connivebat in ceteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat; jactare solitus, *milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse* : nec *milites* eos pro concione, sed blandiori nomine *commilitones* appellabat : habebatque tam cultos, ut argento et

auro politis armis ornaret, simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Diligebat quoque usque adeo, ut audita clade Tituriana barbam capillumque submiserit; nec ante dempserit, quam vindicasset. Quibus rebus et devotissimos sibi, et fortissimos reddidit.

LXVIII. Ingresso civile bellum centuriones cujusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt; et universi milites gratuitam et sine frumento stipendioque operam, quum tenuiorum tutelam locupletiores in se contulissent. Neque in tam diuturno spatio quisquam omnino descendit: plerique capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare adversus eum vellent, recusarunt. Famem et ceteras necessitates, non quum obsiderentur modo, sed et si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, ut Dyrrachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, *cum feris sibi rem esse*, dixerit, amoverique ocus, nec cuiquam ostendi jusserit, ne patientia et pertinacia hostis animi suorum frangerentur. Quanta fortitudine dimicarint, testimonio est, quod, adverso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se ultro depoposcerunt: ut consolandos eos magis imperator quam puniendos, habuerit. Ceteris præliis innumeras adversariorum copias, multis partibus ipsi pauciores, facile superarunt. Denique una sextæ legionis cohors, præposita castello, quatuor Pompeii legiones per aliquot horas sustinuit, pæne omnis confixa multitudine hostilium sagittarum, quarum centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel Cassii

Scævæ centurionis, vel C. Acilii militis : ne de pluribus referam. Scæva, excusso oculo, transfixus femore et humero, centum et viginti ictibus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit. Acilius navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextra, et abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynægiri exemplum imitatus, transiluit in navem, umbone obvios agens.

LXIX. Seditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino moverunt, civilibus aliquas; sed ut celeriter ad officium redierint, nec tam indulgentia ducis quam auctoritate. Non enim cessit unquam tumultuantibus, atque etiam obviam semper iit. Et nonam quidem legionem apud Placentiam, quamquam in armis adhuc esset Pompeius, totam cum ignominia missam fecit : ægreque, post multas et supplices preces, nec nisi exacta de sontibus pœna, restituit.

LXX. Decumanos autem Romæ, cum ingentibus minis, summoque etiam urbis periculo, missionem et præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere : sed una voce, qua *Quirites* eos, pro militibus, appellarat, tam facile circumegit, et flexit, ut ei, *militēs esse*, confestim responderint, et quamvis recusantem ultro in Africam sint secuti : ac sic quoque seditionisissimum quemque et prædæ et agri destinati tertia parte multavit.

LXXI. Studium et fides erga clientes ne juveni quidem defuerunt. Masintham, nobilem juvenem, quum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut

Jubæ regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronuntiatum, et abstrahentibus statim eripuit, occultavitque apud se diu : et mox, ex prætura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium, fascisque lictorum, lectica sua avexit.

LXXII. Amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti se per silvestre iter, correptoque subita valetudine, et deversoriolo, quod unum erat, loco cesserit, et ipse humi ac sub divo cubuerit. Jam autem rerum potens, quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores provexit. Quum ob id culparetur, professus est palam, « si grassatorum et sicariorum ope in tuenda sua dignitate usus esset, talibus quoque se parem gratiam relaturum. »

LXXIII. Simultates contra nullas tam graves excepit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmii, cujus asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Calvo post famosa epigrammata de réconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior scripsit. Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem, eadem die adhibuit cœnæ, hospitioque patris ejus, sicut consuevit, uti perseveravit.

LXXIV. Sed et in ulciscendo natura lenissimus. Piratas, a quibus captus est, quum in deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat, jugulari prius jussit, deinde suffigi. Cornelio Phagitæ, cujus quondam nocturnas insidias æger ac latens, ne per-

duceretur ad Sullam, vix præmio dato evaserat, nunquam nocere sustinuit. Philemonem, a manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte puniit. In P. Clodium, Pompeiæ uxoris suæ adulterum, atque eadem de causa pollutarum cærimoniæ reum, testis citatus, negavit se quidquam comperisse; quamvis et mater Aurelia, et soror Julia, apud eosdem iudices omnia ex fide retulissent: interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem, « Quoniam, inquit, meos tam suspitione quam crimine, iudico carere oportere. »

LXXV. Moderationem vero clementiamque quum in administratione, tum in victoria belli civilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui reipublicæ defuissent; ipse medios et neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeii ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Motis apud Ilerdam deditionis conditionibus, quum, assiduo inter utrasque partes usu atque commercio, Afranius ac Petreius deprehensos intra castra Julianos subita pœnitentia interfecissent, admissam in se perfidiam non sustinuit imitari. Acie Pharsalica proclamavit, *ut civibus parceretur*: deincepsque nemini non suorum, quem vellet unum partis adversæ servare, concessit: nec ulli perisse nisi in prælio reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio et Fausto, et L. Cæsare juvene; ac ne hos quidem voluntate ipsius interemptos putant: quorum tamen et priores post impetratam veniam rebellaverant; et Cæsar, libertis servisque ejus ferro et igni crudelem

in modum enectis, bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat. Denique tempore extremo, etiam, quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permisit, magistratusque et imperia capere. Sed et statuas L. Sullæ atque Pompeii a plebe disjectas reposuit. Ac, si qua posthac aut cogitarentur Gravius adversus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare. Itaque et detectas conjurationes conventusque nocturnos non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet esse sibi notas; et acerbe loquentibus satis habuit pro concione denunciare, ne perseverarent. Aulique Cæcinæ criminosisimo libro, et Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam, civili animo tulit.

LXXXVI. Prægravant tamen cetera facta dictaque ejus, ut et abusus dominatione, et jure cæsus existimetur. Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, statuas inter reges, suggestum in orchestra; sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia et pro tribunali, thensam et ferculum Circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis e suo nomine. Ac nullos non honores ad libidinem cepit, et dedit. Tertium et quartum consulatum titulo tenuis gessit, contentus dictaturæ potestate, decretæ cum consulatibus simul: atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses; ita ut medio tempore comitia nulla habuerit, præter

tribunorum et ædilium plebis; præfectosque pro prætoribus constituerit, qui præsentem se res urbanas administrarent. Pridie autem kalendas januarias repentina consulis morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia, spreto patriæ more, magistratus in plures annos ordinavit: decem prætoribus viris consularia ornamenta tribuit: civitate donatos, et quosdam e semibarbaris Gallorum, recepit in curiam. Præterea monetae, publicisque vectigalibus, peculiare servos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriae relinquebat, curam et imperium Rufioni, liberti sui filio, exoleta suo, demandavit.

LXXVII. Nec minoris impotentiae voces propalam edebat, ut T. Ampius scribit: Nihil esse rempublicam, appellationem modo sine corpore ac specie. Sullam necesse litteras, qui dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eoque arrogantiae progressus est, ut, haruspice tristia et sine corde exsta sacro quodam nuntiante, futura diceret lætiora quam vellet; nec pro ostento ducendum, si pecundi cor defuisset.

LXXVIII. Verum præcipuam et inexpiabilem sibi invidiam hinc maxime movit. Adeuntes se cum plurimis honorificentissimisque decretis universos patres conscriptos, sedens pro æde Veneris Genitricis excepit. Quidam putant retentum a Cornelio Balbo, quem conaretur assurgere: alii, ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem C. Trebatium ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse. Idque factum ejus tanto intolerabilius est visum, quod ipse triumphantem et subsellia tri-

bunitia prætervehenti sibi, unum e collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus sit, ut proclamaverit : « Repete ergo a me, Aquila, rempublicam tribunus; » et nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione polliceri : « si tamen per Pontium Aquilam licuerit. »

LXXIX. Adjecit ad tam insignem despecti senatus contumeliam multo arrogantius factum. Nam quum sacrificio latinarum revertente eo, inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam e turba statuæ ejus coronam lauream candida fascia præligatam imposuisset, et tribuni plebis Epidius Marullus Cæsetiusque Flavus coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent; dolens seu parum prospere motam regni mentionem, sive, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos graviter increpitos potestate privavit : neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere valuit, quanquam et plebi regem se salutanti, « Cæsarem se, non regem esse, » responderit; et lupercalibus, pro rostris a consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Jovi Optimo Maximo miserit. Quin etiam valida fama percrebuit, migraturum Alexandriam vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhaustaque Italia delectibus, et procuratione urbis amicis permessa : proximo autem senatu, L. Cottam quindecimvirum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur.

LXXX. Quæ causa conjuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Consilia igitur,

dispersim antea habita, et quæ sæpe bini ternive ceperant, in unum omnes contulerunt : ne populo quidem jam præsentī statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in senatum allectis, libellus propositus est : « Bonum factum : ne quis senatori novo curiam monstrare velit. » Et illa vulgo canebantur :

Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in curiam.
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

Q. Maximo suffecto, trimestrique consule theatrum introeunte, quum lictor animadverti ex more jussisset, ab universis conclamatum est, non esse consulem eum. Post remotos Cæsetium et Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium. Subscripsere quidam L. Bruti statuæ : Utinam viveres. Item ipsius Cæsarī statuæ :

Brutus, quia reges eiecit, consul primus factus est :
Hic, quia consules eiecit, rex postremo factus est.

Conspiratum est in eum a sexaginta amplius, C. Cassio, Marcoque et D. Bruto principibus conspirationis. Qui primum cunctati, utrumne illum in campo, per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus divisīs e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent; an in Sacra via, vel in aditu theatri adorirentur : postquam senatus idibus martis in Pompeii curiam edictus est, facile tempus et locum prætulerunt.

LXXXI. Sed Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis denunciata est. Paucos ante menses, quum in colonia

Capua deducti lege Julia coloni ad extruendas villas sepulcra vetustissima disjicerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant; tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inventa est, conscripta litteris verbisque græcis, hac sententia: «Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.» Cujus rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubiconi flumini consecrarat, ac vagos et sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum, quod non ultra martias idus proferretur. Pridie autem easdem idus avem regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ ibidem discerpserunt. Ea vero nocte, cui illuxit dies cædis, et ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. Et Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patuerunt. Ob hæc simul et ob infirmam valetudinem diu cunctatus an se contineret, et, quæ apud senatum proposuerat, agere differret, tandem D. Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudum opperientes destitueret, quinta fere hora progressus est: libellumque insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis ceteris,

quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. Dein pluribus hostiis cæsis, quum litare non posset, introiit curiam spreta religione, Spurrinamque irridens, et ut falsum arguens, quod sine ulla noxa idus martiæ adessent: quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præterisse.

LXXXII. Assidentem conspirati, specie officii, circumsteterunt: illicoque Cimber Tillius, qui primas partes susceperat, quasi aliquid rogaturus propius accessit; renuentique et gestu in aliud tempus differenti ab utroque humero togam apprehendit: deinde clamantem, «Ista quidem vis est,» alter e Cassiis aversum vulnerat, paulum infra jugulum. Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit; conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est. Utque animadvertit, undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvitur: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus et viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito; etsi tradiderunt quidam, M. Bruto irruenti dixisse, *Κχι σὺ τέλευσον*. Exanimis, diffugientibus cunctis, aliquandiu jacuit, donec lecticæ impositum, dependente brachio, tres servuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, ut Antistius medicus existimabat, letale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus conjuratis, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere: sed metu M. Antonii consulis et magistri equitum Lepidi, destiterunt.

LXXXIII. Postulante ergo L. Pisone socero, testa-

mentum ejus aperitur : recitaturque in Antonii domo, quod idibus septembribus proximis in Lavicano suo fecerat, demandaveratque virgini Vestali maximæ. Q. Tubero tradit, heredem ab eo scribi solitum, ex consulatu ipsius primo usque ad initium civilis belli, Cn. Pompeium; idque militibus pro concione recitatum. Sed novissimo testamento tres instituit heredes, sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, et L. Pinarium et Q. Pedium ex quadrante reliquo : in ima cera C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit : pluresque percussorum in tutoribus filii, si quis sibi nasceretur, nominavit; D. Brutum etiam in secundis heredibus. Populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecentos sestertios legavit.

LXXXIV. Funere indicto, rogos exstructus est in Martio campo juxta Juliæ tumulum : et pro rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata; intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus, et ad caput tropæum, cum veste in qua fuerat occisus. Præferentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus urbis, portaret in campum. Inter ludos cantata sunt quædam ad miserationem et invidiam cædis ejus, accommodata ex Pacuvii Armorum judicio :

Men' servasse, ut essent, qui me perderent?

Et ex Electra Atilii alia, ad similem sententiam. Laudationis loco consul Antonius per præconem pronuntiavit senatusconsultum, quo omnia ei divina simul at-

que humana decreverat : item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant : quibus per pauca a se verba addidit. Lectum pro rostris in forum magistratus et honoribus functi detulerunt. Quem quum pars in Capitolini Jovis cella cremare, pars in curia Pompeii, destinaret, repente duo quidam, gladiis succincti, ac bina jacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt : confestimque circumstantium turba virgulta arida; et cum subselliis tribunalia, quidquid præterea ad manum aderat, congestit : deinde tibicines et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam injecere flammæ, et veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exulti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta sua, quæ gerebant, et liberorum bullas atque prætextas. In summo publico luctu exterarum gentium multitudo circulatim, suo quæque more lamentata est : præcipueque Judæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.

LXXXV. Plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit : atque ægre repulsa, obvium sibi Helvium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius is esset, quem graviter pridie concionatum de Cæsare requirebat, occidit : caputque ejus præfixum hastæ circumtulit : postea solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque, PARENTI PATRIÆ. Apud eandem longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere, perseveravit.

LXXXVI. Suspicionem Cæsar quibusdam suorum re-

liquit, neque voluisse se diutius vivere, neque curasse, quod valetudine minus prospera uteretur: ideoque, et quæ religiones monerent, et quæ renuntiarent amici, neglexisse. Sunt qui putent, confisum eum novissimo illo senatusconsulto ac jurejurando, etiam custodias Hispanorum, cum gladiis sectantium se, removisse. Alii e diverso opinatum, insidias undique imminentes subire semel confessum satius esse, quam cavere semper. Alii ferunt dicere solitum, non tam sua, quam reipublicæ interesse, uti salvus esset: se jam pridem potentiæ gloriæque abunde adeptum: rempublicam, si quid sibi eveniret, neque quietam fore, et aliquanto deteriore conditione civilia bella subituram.

LXXXVII. Illud plane inter omnes fere constitit, talem ei mortem pæne ex sententia obtigisse. Nam et quondam, quum apud Xenophontem legisset, Cyrum ultima valetudine mandasse quædam de funere suo, aspernatus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremque optaverat. Et pridie quam occideretur, in sermone nato super cœnam, apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitæ commodissimus, repentinum inopinatumque prætulerat.

LXXXVIII. Periit sexto et quinquagesimo ætatis anno: atque in Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primos consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti: et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. Curiam in qua occisus

est obstrui placuit, Idusque Martias *parricidium* nominari, ac ne unquam eo die senatus ageretur.

LXXXIX. Percussorum autem fere neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio; nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem violaverant, interemerunt.

OCTAVIUS AUGUSTUS.

I. **G**ENTEM Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam et vicus celeberrima parte oppidi jam pridem Octavius vocabatur : et ostendebatur ara Octavio consecrata, qui bello dux finitimo, quum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda exta rapta foco prosecuit, atque ita prælium ingressus, victor rediit. Decretum etiam publicum exstabat, quo cavebatur, ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octavios referrentur.

II. Ea gens a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta [in Senatum], mox a Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magno intervallo per D. Julium in patriciatum rediit. Primus ex hac magistratum populi suffragio cepit C. Rufus. Is quæstorius Cneum et Caium procreavit : a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diversa; siquidem Cneus, et deinceps ab eo reliqui omnes, functi sunt honoribus summis. At Caius ejusque posterî, seu fortuna, seu voluntate, in equestri ordine constitere, usque ad Augusti patrem. Proavus Augusti secundo punico bello stipendia in Sicilia tribunus mili-

tum fecit, Emilio Papo imperatore. Avus municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio, tranquillissime senuit. Sed hæc alii. Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit. M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat, restionem, e pago Thurino : avum argentarium. Nec quicquam ultra de paternis Augusti majoribus reperi.

III. C. Octavius pater, a principio ætatis, et re et existimatione magna fuit : ut equidem mirer, hunc quoque a nonnullis argentarium, atque etiam inter divisores operasque campestris, proditum. Amplis enim innutritus opibus, honores et adeptus est facile, et egregie administravit. Ex prætura Macedoniam sortitus, fugitivos, residuam Spartaci et Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere delevit, negotio sibi in senatu extra ordinem dato. Provinciæ præfuit non minore justitia quam fortitudine. Namque Bessis ac Thracibus magno prælio fuis, ita socios tractavit, ut epistolæ M. Tullii Ciceronis exstent, quibus Quintum fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur et monet, imitetur in prome-
rendis sociis vicinum suum Octavium.

IV. Decedens Macedonia, priusquam profiteri se candidatum consulatus posset, mortem obiit repentinam, superstitibus liberis, Octavia majore, quam ex Ancharia, et Octavia minore, item Augusto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo et Julia, sorore C. Cæsaris, genita est. Balbus, paterna stirpe Aricinus, multis in familia senatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompeium arctis-

simo contingebat gradu; functusque honore præturae inter vigintiviros agrum Campanum plebi Julia lege divisit. Verum idem Antonius, despiciens etiam maternam Augusti originem, proavum ejus Afri generis fuisse, et modo unguentariam tabernam, modo pistrinum Ariciae exercuisse, objicit. Cassius quidem Parmensis quaedam epistola, non tantum ut pistoris, sed etiam ut nummularii nepotem, sic taxat Augustum: «Materna tibi farina ex crudissimo Ariciae pistrino: hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.»

V. Natus est Augustus, M. Tullio Cicerone et Antonio consulibus, ix kalendas octobres, paulo ante solis exortum, regione Palatii, ad Capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto post, quam excessit, constitutum. Nam ut senatus actis continetur, quum C. Lætorius, adolescens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut ædituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, peteretque donari quasi proprio suo ac peculiari deo, decretum est, ut ea pars domus consecraretur.

VI. Nutrimentorum ejus ostenditur adhuc locus in avito suburbano juxta Velitras permodicus, et cellæ penuariæ instar; tenetque vicinitatem opinio, tanquam et natus ibi sit. Iluc introire, nisi necessario et caste, religio est; concepta opinione veteri, quasi temere adeuntibus horror quidam et metus objiciatur; sed et mox confirmata est: nam quum possessor villæ novus, seu forte, seu tentandi causa, cubitum se eo contulisset, evenit,

ut post paucissimas noctis horas exturbatus inde subita vi et incerta, pæne semianimis cum strato simul ante fores inveniretur.

VII. Infanti cognomen *Thurino* inditum est, in memoriam majorum originis; vel quod regione Thurina, recens eo nato, pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat. Thurinum cognominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis ac pæne jam exolescentibus litteris, hoc nomine inscriptam; quæ dono a me principi data, inter cubiculares colitur. Sed et a M. Antonio in epistolis per contumeliam sæpe Thurinus appellatur: et ipse nihil amplius quam «mirari se» rescribit, «pro opprobrio sibi prius nomen objici.» Postea *Cæsaris*, et deinde *Augusti* cognomen assumpsit: alterum testamento majoris avunculi; alterum Munatii Planci sententia: quum, quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem Urbis, prævaluisset, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine [quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet, scribens:

Augusto augurio postquam inclita condita Roma est].

VIII. Quadrimus, patrem amisit: duodecimum annum agens, aviam Julianam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est, quamquam exers belli propter ætatem. Profectum mox avunculum

in Hispanias adversus Cn. Pompeii liberos, vixdum firmus a gravi valetudine, per infestas hostibus vias, paucissimis comitibus, naufragio etiam facto, subsecutus, magno opere demeruit, approbata cito etiam morum indole super itineris industriam. Cæsare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos, et inde in Parthos, destinante, præmissus Apolloniam, studiis vacavit. Utque primum occisum eum, heredemque se comperit, diu cunctatus, an proximas legiones imploraret, id quidem consilium ut præceps immaturumque omisit: ceterum, Urbe repetita, hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico vero Marcio Philippo consulari multum dissuadente. Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primum cum M. Antonio Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio, per duodecim fere annos; novissime per quatuor et quadraginta solus rempublicam tenuit.

IX. Proposita vitæ ejus velut summa, partes sigillatim, neque per tempora, sed per species, exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint. Bella civilia quinque gessit; Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac novissimum adversus M. Antonium, secundum adversus Brutum et Cassium, tertium adversus Luc. Antonium, triumviri fratrem; quartum adversus Sex. Pompeium, Cn. filium.

X. Omnium bellorum initium et causam hinc sumpsit. Nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare, tuerique acta, confestim, ut Apollonia rediit, Brutum Cassiumque, et vi nec opinantes, et, quia prævisum periculum subterfugerant, legibus aggredi, reosque cæ-

dis absentes deferre statuit. Ludos autem victoriæ Cæsaris non audentibus facere, quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et quo constantius cetera quoque exsequeretur, in locum tribuni plebis forte demortui candidatum [petitorem] se ostendit, quamquam patricius, necdum senator. Sed adversante conatibus suis M. Antonio consule, quem vel præcipuum adiutorem speraverat, ac ne publicum quidem et translaticium jus ulla in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertiente, ad optimates se contulit; quibus eum invisum sentiebat, maxime quod Decimum Brutum obsessum Mutinæ, provincia a Cæsare data, et per senatum confirmata, expellere armis niteretur. Hortantibus itaque nonnullis, percussores ei subornavit, ac fraude deprehensa, periculum invicem metuens, veteranos simul in suum ac reipublicæ auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. Jussusque comparato exercitui proprætore præesse, et cum Hirtio ac Pansa, qui consulatum acceperant, Decimo Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus præliis. Priore Antonius eum fugisse scribit, ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse: sequenti, satis constat, non modo ducis, sed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione, aquilifero legionis suæ graviter saucio, aquilam humeris subisse, diuque portasse.

XI. Hoc bello quum Hirtius in acie, Pansa paulo post ex vulnere perissent, rumor increbruit, ambos opera ejus occisos, ut, Antonio fugato, republica consulibus orbata, solus victor tres exercitus occuparet. Pansæ quidem adeo suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custo-

ditus sit, quasi venenum vulnere indidisset. Adjicit his Aquilius Niger, alterum e consulibus Hirtium in pugnae tumultu ab ipso interemptum.

XII. Sed ut cognovit, Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatum sine cunctatione deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus : quasi alii se « puerum, » alii « ornandum tollendumque » jactassent, nec aut sibi, aut veteranis par gratia referretur. Et quo magis poenitentiam prioris sectae approbaret, Nursinos grandi pecunia, et quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido, quod Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice exstructo ascripserant, « Pro libertate eos occubuisse. »

XIII. Inita cum Antonio et Lepido societate, Philippense quoque bellum, quamquam invalidus atque aeger, duplici praelio transegit : quorum priore castris exutus, vix ad Antonii cornu fuga evaserat. Nec successum victoriae moderatus est; sed capite Bruti Romam misso, ut statuæ Cæsaris subjiceretur, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia sæviit; ut quidem uni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, « Jam istam voluerum fore potestatem : » alios, patrem et filium, pro vita rogantes, sortiri vel dimicare jussisse, ut alterutri concederetur : ac spectasse utrumque morientem, quum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntariam occubisset necem. Quare ceteri, in his M. Favonius, ille Catonis æmulus, quum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice

salutato, hunc fœdissimo convicio coram prosciderunt. Partitis post victoriam officiis, quum Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos et municipalibus agris collocandos recepisset; neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit; alteris, pelli se, alteris, non pro spe meritorum tractari, querentibus.

XIV. Quo tempore L. Antonium, fiducia consulatus quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res novas molientem, confugere Perusiam coegit, et ad deditionem fame compulit; non tamen sine magnis suis et ante bellum et in bello discriminibus. Nam quum spectaculo ludorum gregarium militem, in quatuordecim ordinibus sedentem, excitari per apparitorem jussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox et discruciatum necasset; minimum abfuit, quin periret concursu et indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quod, qui desiderabatur, repente comparuit incolumis ac sine injuria. Circa perusinum autem murum sacrificans, pene interceptus est a manu gladiatorum quæ oppido eruperat.

XV. Perusia capta, in plurimos animadvertit; orare veniam vel excusare se conantibus, una voce occurrens, «Moriendum esse.» Scribunt quidam, trecentos ex dediticiis electos, utriusque ordinis, ad aram Divo Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos. Exstiterunt, qui traderent, consulto eum ad arma isse, ut occulti adversarii, et quos metus magis quam voluntas contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur; devictisque his et confiscatis, promissa veteranis præmia persolverentur.

XVI. Bellum Siculum inchoavit in primis, sed diu traxit, intermissum sæpius; modo reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio, et quidem per æstatem, amiserat; modo pace facta, flagitante populo, ob interclusos commeatus, famemque ingravescentem: donec navibus ex integro fabricatis, ac viginti servorum millibus manumissis, et ad remum datis, portum Julium apud Baias, immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit. In quo quum hieme tota copias exercuisset, Pompeium inter Mylas et Naulochum superavit; sub horam pugnae tam arto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. Unde præbitam Antonio materiam putem exprobrandi, « Ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem: verum supinum, cælum intuentem, stupidum cubuisse; nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum fuisse, quam a M. Agrippa fugatae sint hostium naves. » Alii dictum factumque ejus criminantur, quasi classibus tempestate perditis exclamaverit, « etiam invito Neptuno victoriam se adepturum, » ac die Circensium proximo solemni pompæ simulacrum Dei detraxerit. Nec temere plura ac majora pericula ullo alio bello adiit. Trajecto in Siciliam exercitu, quum partem reliquam copiarum continenti repeteret, oppressus ex improvviso a Demochare et Apollophane, præfectis Pompeii, uno demum navigio ægerrime effugit. Iterum, quum præter Locros Rhegium pedibus iret, et prospectis biremibus Pompeianis terram legentibus, suas ratus, descendisset ad litus, pæne exceptus est. Tunc etiam per devios tramites refugientem servus Emilii Pauli, comitis ejus, dolens pro-

scriptum olim ab eo patrem Paulum, et quasi occasione ultionis oblata, interficere conatus est. Post Pompeii fugam, collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocarat, superbientem viginti legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minis vindicantem, spoliavit exercitu : supplicemque, concessa vita, Circeios in perpetuum relegavit.

XVII. M. Antonii societatem semper dubiam et incertam, reconciliationibusque variis male focillatam, abruptit tandem. Et quo magis, degenerasse eum a civili more, approbaret, testamentum, quod is Romæ, etiam de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis, reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit. Remisit tamen hosti judicato necessitudines amicosque omnes, atque inter alios C. Sositium et Cn. Domitium, tunc adhuc consules. Bononiensibus quoque publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus suis. Nec multo post navali prælio apud Actium vicit, in serum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctaverit. Ab Actio quum Samum in hiberna se recepisset, turbatus nuntiis de seditione militum, præmia et missionem poscentium, quos ex omni numero, confecta victoria, Brundisium præmiserat, repetit Italiam, tempestate in trajectu bis conflictatus : primo inter promontoria Peloponnesi atque Ætolie, rursus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demersa, simulque ejus, in qua vehebatur, fisis armamentis et gubernaculo diffracto. Nec amplius quam septem et viginti dies, donec desideria militum ordinarerentur, Brundisii commoratus, Asiæ Syriæque circuitu

Ægyptum petit : obsessaque Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi potitus est. Et Antonium quidem, seras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, viditque mortuum. Cleopatrarum, quam servatam triumpho magno opere cupiebat, etiam psillos admovit, qui venenum ac virus exsugerent; quod perisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturam honorem tribuit, ac tumultum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Antonium juvenem, majorem de duobus Fulvia genitis, simulacro D. Julii, ad quod post multas et irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæsariem, quem ex Cæsare patre Cleopatra concepisse prædicabat, retractum e fuga supplicio affecit. Reliquos Antonii reginarumque communes liberos, non secus ac necessitudine junctos sibi, et conservavit, et mox pro conditione cujusque sustinuit ac fovit.

XVIII. Per idem tempus, conditorium et corpus Magni Alexandri, quum prolatum e penetrali subjecisset oculis, corona aurea imposita ac floribus aspersis, veneratus est; consultusque, num et Ptolemæum inspicere vellet, « Regem se voluisse » ait « videre, non mortuos. » Ægyptum in provinciæ formam redactam ut feraciorem habiliorumque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate militari opere deterisit. Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolin apud Actium condidit : ludosque illic quinquennales constituit; et ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.

XIX. Tumultus post hæc, et rerum novarum initia conjurationesque complures, priusquam invalescerent, indicio detectas compressit, alias alio tempore : Lepidi juvenis, deinde Varronis Murenæ et Fannii Cæpionis, mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi, Luciique Pauli progeneri sui : ac præter has L. Audasii, falsarum tabularum rei, ac neque ætate, neque corpore integri : item Asinii Epicadi, ex gente Parthina, hybridæ : ad extremum Telephi, mulieris servi nomenclatoris. Nam ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione et periculo caruit. Audasius atque Epicadus Juliam filiam et Agrippam nepotem ex insulis, quibus continebantur, rapere ad exercitus; Telephus, quasi debita sibi fato dominatione, et ipsum et senatum aggredi destinarant. Quin etiam quondam juxta cubiculum ejus lixa quidam ex Illyrico exercitu, janitoribus deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus; imposne mentis, an simulata demencia, incertum; nihil enim exprimi quæstione potuit.

XX. Externa bella duo omnino per se gessit : Dalmaticum, adolescens adhuc; et, Antonio devicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit; una acie, dextrum genu lapide ictus; altera, et crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus. Reliqua per legatos administravit; ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longe abesset, Ravennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam usque ab Urbe progrediens.

XXI. Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni : item Rætiam, et Vindelicos

ac Salassos, gentes Inalpinas. Coercuit et Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis, Germanosque ultra Albim fluvium summovit : ex quibus Ubios et Sygambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit. Nec ulli genti sine justis et necessariis causis bellum intulit, tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorundam barbarorum principes in æde Martis Ultoris jurare coegerit, mansuros se in fide ac pace, quam peterent; a quibusdam vero novum genus obsidum, feminas, exigere tentaverit, quod negligere marium pignora sentiebat. Et tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties vellent, obsides recipiendi. Neque aut crebrius, aut perfidiosius rebellantes graviore unquam ultus est pœna, quam ut captivos sub lege venundaret, ne in vicina regione servirent, neve intra tricesimum annum liberarentur. Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt, et signa militaria, quæ M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt; denique, pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobaverunt.

XXII. Janum Quirinum, semel atque iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviori temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit. Bis ovans ingressus est Urbem, post Philippense, et

rursus post Siculum bellum. Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continue triduo omnes.

XXIII. Graves ignominias cladesque duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit; Lollianam et Varianam : sed Lollianam majoris infamiae, quam detrimenti; Varianam pæne exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatisque et auxiliis omnibus cæsis. Hac nuntiata, excubias per Urbem indixit, ne quis tumultus existeret : et præsidibus provinciarum propagavit imperium, ut et a peritis et assuetis socii containerentur. Vovit et magnos ludos Jovi Optimo Maximo, si RESPUBLICA IN MELIOREM STATUM VERTISSET : quod factum cimbrico marsicoque bello erat. Adeo denique consternatum ferunt, ut per continuos menses, barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans : Quinctili Vare, legiones redde! Diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.

XXIV. In re militari et commutavit multa, et instituit : atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit. Disciplinam severissime rexit : ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere. Equitem romanum, quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ : quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, ut relegatum in agros pro libero esse sineret. Decimam legionem, contumacius parentem, cum ignominia totam dimisit : item alias, immodeste missionem postulantes, citra commoda

emeritorum præmiorum exauctoravit. Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit. Centuriones statione deserta itidem, ut manipulares, capitali animadversione punit: pro cetero delictorum genere variis ignominias affecit; ut stare per totum diem juberet ante prætorium, interdum tunicatos discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.

XXV. Neque post bella civilia aut in concione, aut per edictum, ulios militum *commilitones* appellabat, sed *milites*: ac ne a filiis quidem, aut privignis suis, imperio præditis, aliter appellari passus est; ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suæ majestas postularet. Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum causa, et si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium; iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eosque servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commixtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. Dona militaria, aliquanto facilius phaleras et torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, et sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis, tribuit. M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit. Solos triumphales, quamquam et socios expeditionum, et participes victoriarum suarum, nunquam donis imperitendos putavit; quod ipsi quoque jus habuissent tribuendi ea, quibus vellent. Nihil autem minus in per-

fecto duce, quam festinationem temeritatemque, convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat : Στεῖθε Γραδέως et :

Ἀσφαλῆς γὰρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατιλάτης.

et, «Sat celeriter fieri, quicquid fiat satis bene.» Prælium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi quum major emolumentī spes, quam damni metus, ostenderetur. Nam «minima commoda non minimo secantantes discrimine, similes» aiebat «esse aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensari posset.»

XXVI. Magistratus atque honores et ante tempus, et quosdam novi generis perpetuosque cepit. Consulatum vicesimo ætatis anno invasit, admotis hostiliter ad Urbem legionibus, missisque, qui sibi nomine exercitus deposcerent: quum quidem, cunctante senatu, Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: «Hic faciet, si vos non feceritis.» Secundum consulatum post novem annos, tertium anno interjecto gessit: sequentes usque ad undecimum continuavit: multisque mox, quum deferrentur, recusatis, duodecimum magno, id est, septemdecim annorum intervallo, et rursus tertiumdecimum biennio post ultro petiit, ut Caium et Lucium filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. Quinque medios consulatus sexto ad undecimum annuos gessit: ceteros aut novem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus; secundum vero, paucissimis horis. Nam die kalenda-

rum januarii, quum mane pro æde Capitolini Jovis paululum curuli sella præsedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum. Nec omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula Samo, octavum et nonum Tarracone iniit.

XXVII. Triumviratum reipublicæ constituendæ per decem annos administravit : in quo restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscription, sed inceptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum sæpe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magno opere contendit, ne cui parceretur; proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octavii in ædilitate. Junius Saturninus hoc amplius tradit : Quum peracta proscriptione M. Lepidus in senatu excusasset præterita, et spem clementiæ in posterum fecisset, quoniam satis pœnarum exactum esset; hunc e diverso professum, ita modum se proscribendi statuisset, ut omnia sibi reliquerit libera. In cujus tamen pertinaciæ pœnitentiam postea T. Vinium Philopœmenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate honoravit. In eadem hac potestate multiplex flagravit invidia. Nam et Pinarium, equitem romanum, quum, concionante se, admissa turba paganorum, apud milites subscribere quædam animadvertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit : et Tedium Afrum, consulem designatum, quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis conterruit minis, ut is se præcipitaverit. Et Q. Gallium, prætorem, in officio salutationis tabellas duplices veste

tectas tenentem, suspicatus gladium oculere, nec quicquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paulo post per centuriones et milites raptum e tribunali, servilem in modum torsit: ac fatentem nihil jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in custodiam, deinde Urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis perisse. Tribunitiam potestatem perpetuam recepit: in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptavit. Recepit et morum legumque regimen æque perpetuum: quo jure, quamquam sine censuræ honore, census tamen populi ter egit: primum ac tertium cum collega, medium solus.

XXVIII. De reddenda republica bis cogitavit: primo post oppressum statim Antonium, memor, objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret, ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valetudinis; quum etiam, magistratibus ac senatu domum accitis, rationarium imperii tradidit. Sed reputans, et se privatum non sine periculo fore, et illam plurimum arbitrio temere committi, in retinenda perseveravit; dubium, eventu meliore, an voluntate. Quam voluntatem quum præ se identidem ferret, quodam etiam edicto his verbis testatus est: «Ita mihi salvam ac sospitem rempublicam sistere in sua sede liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi status auctor dicar; et moriens ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta reipublicæ, quæ jecero.» Fecitque ipse se compotem voti, nisus omni modo, ne quem novi status pœniteret.

XXIX. Urbem, neque pro majestate imperii ornatam, et inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. Tutam vero, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit. Publica opera plurima extruxit: ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio. Fori extruendi causa fuit hominum et judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque, ut separatim in eo publica judicia et sortitiones judicum fierent. Ædem Martis, bello philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque hic consuleretur senatus: provincias cum imperio petaturi hinc deducerentur: quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronunciarant. Addidit porticus cum bibliotheca latina græcaque: quo loco jam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasque judicum recognovit. Tonanti Jovi ædem consecravit, liberatus periculo, quum expeditione cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur præstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset. Quædam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet et uxoris sororisque, fecit: ut porticum basilicamque Caii et Lucii; item porticus Livix et Octavix, theatrumque Marcelli. Sed et ceteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro

facultate quisque monumentis vel novis, vel relictis et exultis, Urbem adornarent. Multaque a multis constructa sunt : sicut a Marcio Philippo ædes Herculis Musarum; a L. Cornificio ædes Dianæ; ab Asinio Pollione atrium Libertatis; a Munatio Planco ædes Saturni; a Cornelio Balbo theatrum; a Statilio Tauro amphitheatrum; a M. vero Agrippa complura et egregia.

XXX. Spatium Urbis in regiones vicosque divisit : instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur. hos magistri e plebe cujusque viciniae lecti. Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est. Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus, et ædificiorum prolapsionibus coarctatum. Quo autem facilius undique Urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenuis munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit. Ædes sacras, vetustate collapsas, aut incensos absumptas, refecit; eaque et ceteras opulentissimis donis adornavit, ut qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondus auri, gemmasque ac margaritas quingenties II-S. una donatione contuleret.

XXXI. Postquam vero pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quicquid fatidicorum librorum græci latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit : ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque dilectu habito; condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Annum a D. Julio ordinatum, sed

postea negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit : in cujus ordinatione sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit, magis quam septembrem, quo erat natus; quia hoc sibi et primus consulatus, et insignes victoriae obtigissent. Sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit, praecipue vestalium virginum. Quumque in demortuae locum aliam *capi* oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent; adjuravit, si cujusquam nepotium suarum competeret aetas, oblaturum se fuisse eam. Nonnulla etiam ex antiquis ceremoniis, paulatim abolita, restituit : ut salutis augurium, Diale flaminium, sacrum lupercale, ludos seculares et compitalicios. Lupercalibus vetuit currere imberbes; item, Secularibus ludis juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. Compitales lares ornari bis anno instituit, vernis floribus et aestivis. Proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cujusque, manentibus titulis, restituit, et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit; professus edicto, «commentum id se, ut illorum velut ad exemplar et ipse, dum viveret, et insequentium aetatum principes exigentur a civibus.» Pompeii quoque statuam, contra theatri ejus regiam, marmoreo Jano superposuit, translatam e curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

XXXII. Pleraque pessimi exempli correxit, quae in perniciem publicam, aut ex consuetudine licentiaque

bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exstiterant. Nam et grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui causa : et rapti per agros viatores sine discrimine, liberi servique, ergastulis possessorum suppressantur : et plurimæ factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit : ergastula recognovit : collegia, præter antiqua et legitima, dissolvit. Tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam, exussit. Loca in Urbe publica juris ambigui possessoribus adjudicavit. Diuturnorum reorum, et ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit, conditione proposita, ut, si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret. Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit. Ad tres judicium decurias quartam addidit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur; judicaretque de levioribus summis. Juvenes a tricesimo ætatis anno allegit, id est, quinquennio maturius quam solebant. Ac plerisque judicandi munus detrectantibus, vix concessit, ut singulis decuriis per vices annua vacatio esset, et ut solitæ agi novembri ac decembri mense res omitterentur.

XXXIII. Ipse jus dixit assidue, et in noctem nonnunquam; si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo summa, sed et lenitate : siquidem manifesti parricidii reum, ne culco insueretur, quod non

nisi confessi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogasse : «Certe patrem tuum non occidisti?» Et quum de falso testamento ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabellas, damnatoriam et absolutoriam, simul cognoscentibus dedit; sed tertiam quoque, qua ignosceretur iis, quos fraude ad signandum vel errore inductos constitisset. Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum præfecto delegavit Urbis; at provincialium consularibus viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisse.

XXXIV. Leges retractavit, et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, de adulteriis et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc quum aliquanto severius quam ceteras emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum lenitate parte pœnarum, et vacatione triennii data, auctisque præmiis. Sic quoque abolitionem ejus publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptosque partim ad se, partim in patris gremium, ostentavit; manu vultuque significans, ne gravarentur imitari juvenis exemplum. Quumque etiam immaturitate sponsarum, et matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit, divortiis modum imposuit.

XXXV. Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba (erant enim super mille, et quidam indignissimi, et post necem Cæsaris per gratiam et præmium allekti, quos Orcinos vulgus vocabat), ad modum pristinum et splendorem redegit duabus lectionibus :

prima, ipsorum arbitrato, qua vir virum legit; secunda, suo et Agrippæ: quo tempore existimatur lorica sub veste munitus ferroque cinctus præsedisse, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum et prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit: servavitque etiam excusantibus insigne vestis, et spectandi in orchestra epulandique publice jus. Quo autem lecti probatique, et religiosius et minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, ut priusquam consideret quisque, thure ac mero supplicaret apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur: et ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur, kalendis et idibus: neve septembri octobrive mense ullos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent: sibi que instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis ante tractaret. Sententias de majore negotio non more atque ordine, sed prout libuisset, perrogabat, ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam assentiendum esset.

XXXVI. Auctor et aliarum rerum fuit: in quis, ne acta senatus publicarentur; ne magistratus, deposito honore, statim in provincias mitterentur; ut proconsulibus ad mulos et tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur: ut cura ærarii a quæstoribus urbanis ad prætorios prætoresve transiret; ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogent.

XXXVII. Quoque plures partem administrandæ rei publicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, præfecturam Urbis, triumviratum legendi senatus, et alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset. Censores, creati desitos, longo intervallo creavit: numerum prætorum auxit. Exegit etiam ut quoties consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, satis majestatem ejus imminui, quod honorem eum non solus, sed cum altero, gereret.

XXXVIII. Nec parcior in bellica virtute honoranda, super triginta ducibus justos triumphos, et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Liberis senatorum, quo celerius reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiæ interesse permisit, militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et præfecturas alarum dedit: ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios præposuit singulis alis. Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. Sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat; et senio vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire: mox reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque et triginta retinere eum nollent.

XXXIX. Impetratisque a senatu decem adjutoribus, unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit:

atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit; plures admonitione, sed varia: lenissimum genus admonitionis fuit traditio coram pugillarum, quos taciti, et ibidem statim legerent: notavitque aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviore fenore collocassent.

XL. Comitibus tribunitiis, si deessent candidati senatores, ex equitibus romanis creavit, ita ut, potestate transacta, in utro vellent ordine manerent. Quum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis, pronuntiavit, non teneri ea, quibus ipsis parentibusve equester census nunquam fuisset. Populi recensum vicatim egit: ac, ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit; sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet. Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis et Scaptiensibus, tribulibus suis, die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum a se dividebat. Magui præterea existimans, sincerum atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum, et civitatem romanam parcissime dedit, et manumittendi modum terminavit. Tiberio, pro cliente Græco petenti, rescripsit, «Non aliter se daturum, quam si præsens sibi persuasisset, quam justas petendi causas haberet.» Et Liviae, pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit, affirmans, «Se faci-

lius passurum, fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem.» Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, et multo pluribus a libertate justa removisse; quum et de numero et de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cavisset, hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur. Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans, En,

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!

negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.

XLI. Liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit. Nam et, invecta Urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut, fenore deminuto, plurimum agrorum pretiis accesserit, et postea, quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, usum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulisit. Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertio taxavit, supplevitque non habentibus. Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ fere summæ: modo quadringenos, modo trece nos, nonnunquam ducenos quinquagenosque nummos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere consuissent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe levis-

simo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque nummarias duplicavit.

XLII. Sed ut salubrem magis quam ambitiosum principem scires, querentem de inopia et caritate vini populum severissima coercuit voce : « Satis provisum a genere suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. » Eidem populo, promissum quidem congiarium reposcenti, « Bonæ se fidei esse, » respondit : non promissum autem flagitanti turpitudinem et impudentiam edicto exprobravit, affirmavitque, non daturum, se quamvis dare destinarat. Nec minore gravitate atque constantia, quum, proposito congiario, multos manumissos insertosque civium numero comperisset, negavit accepturos, quibus promissum non esset; ceterisque minus; quam promiserat, dedit, ut destinata summa sufficeret. Magna vero quondam sterilitate, ac difficili remedio, quum venalities et lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis et præceptoribus, partemque servitiorum, Urbe expulisset; ut tandem annona convalluit, « impetum se cepisse » scribit, « frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret : neque tamen perseverasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui. » Atque ita posthac rem temperavit, ut non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi, rationem duceret.

XLIII. Spectaculorum et assiduitate, et varietate atque magnificentia, omnes antecessit. Fecisse ludos se, ait, suo nomine quater : pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter et vicies. Fecitque non-

nunquam etiam vicatim, ac pluribus scenis, per omnium linguarum histriones. Munera non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo et in Septis, et aliquando nihil præter venationem edidit: athletas quoque, exstructis in campo Martio sedilibus ligneis: item navale prælium, circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est. Quibus diebus custodes in Urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. In Circo aurigas cursoresque et confectores ferarum, et nonnunquam ex nobilissima juventute, produxit. Sed et Trojæ lusum edidit frequentissime, majorum minorumve puerorum dilectu; prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere. In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem, lapsu debilitatum, aureo torque donavit; passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Æsernini nepotis sui casum, qui et ipse crus fregerat. Ad scenicas quoque et gladiatorias operas etiam equitibus romanis aliquando usus est; verum prius, quam senatusconsulto interdiceretur. Postea nihil sane, præterquam adolescentulum Lucium, honeste natum, exhibuit; tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor, librarum septemdecim, ac vocis immensæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obsides, tunc primum missos, per mediam arenam ad spectaculum induxit, superque se subsellio secundo collocavit. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid invisitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare: ut rhinocerotem apud Septa, tigrim in scena, anguem

quingenta cubitorum pro Comitio. Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, tensas deduceret : rursus commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit, ut, laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus. Nepotum quoque suorum munere, quum consternatum ruinæ metu populum retinere et confirmare nullo modo posset, transiit e loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maxime erat.

XLIV. Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinavitque, motus injuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut, quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus; Romæ legatos liberarum sociarumque gentium vetuit in orchestra considerare, quum, quosdam etiam libertini generis mitti, deprehendisset. Militem secrevit a populo. Maritis e plebe proprios ordines assignavit : prætextatis cuneum suum, et proximum pædagogis : sanxitque, ne quis pul-latorum media cavea sederet. Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solemne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit solis. Virgini-bus vestalibus locum in theatro separatim, et contra præ-toris tribunal dedit. Athletarum vero spectaculo muliebre secus omnes adeo summovit, ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus, edixeritque, « Mulieres ante horam quintam venire in theatrum, non placere. »

XLV. Ipse circenses ex amicorum fere libertorum-

que cœnaculis spectabat, interdum e pulvinari, et quidem cum conjuge ac liberis, sedens. Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aberat, petita venia, commendatisque, qui suam vicem præsidendo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat : seu vitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret; seu studio spectandi ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam, et sæpe ingenue professus est. Itaque corollaria et præmia alienis quoque muneribus ac ludis et crebra et grandia de suo offerebat : nullique Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honorarit. Spectavit autem studiosissime pugiles, et maxime Latinos : non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis solebat; sed et catervarios oppidanos, inter angustias vicorum pugnantem temere ac sine arte. Universum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium etiam cura sua dignatus est. Athletis et conservavit privilegia, et ampliavit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, magistratibus in omni tempore et loco lege vetere permissam, ademit, præterquam ludis et scena. Nec tamen eo minus aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas, severissime semper exegit. Nam histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis cæsum relegaverit; Hylan pantomimum, querente prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso,

flagellis verberarit; et Pyladen Urbe atque Italia sum-
moverit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, de-
monstrasset digito, conspicuumque fecisset.

XLVI. Ad hunc modum Urbe urbanisque rebus ad-
ministratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero,
deductarum ab se, frequentavit, operibusque ac vecti-
galibus publicis plurifariam instruxit: etiam jure ac
dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit,
excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus ur-
bicus decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent,
et sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Ac
necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis
soboles, equestrem militiam petentes etiam ex commen-
datione publica cujusque oppidi ordinabat; at iis, qui e
plebe regiones sibi revisenti filios filiasve approbarent,
singula nummorum millia pro singulis dividebat.

XLVII. Provincias validiores, et quas annuis magi-
stratum imperiis regi, nec facile nec tutum erat, ipse
suscepit: ceteras proconsulibus sortito permisit, et ta-
men nonnullas commutavit interdum; atque ex utroque
genere plerasque sæpius adiit. Urbium quasdam fœdera-
tas, sed ad exitium licentia præcipites, libertate priva-
vit: alias, aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ
motu subversas denuo condidit, aut merita erga popu-
lum Romanum allegantes, Latinitate vel civitate donavit.
Nec est, ut opinor, provincia, excepta duntaxat Africa
et Sardinia, quam non adierit. In has, fugato Sexto Pom-
peio, trajicere ex Sicilia apparantem continuæ et immo-
dicæ tempestates inhibuerunt, nec mox occasio aut causa
trajiciendi fuit.

XLVIII. Regnorum, quibus belli jure potitus est, præter pauca, aut iisdem, quibus ademerat, reddidit, aut alienigenis contribuit. Reges socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis junxit, promptissimus affinitatis cujusque atque amicitiae conciliator et fautor; nec aliter universos, quam membra partesque imperii, curæ habuit, rectorem quoque solitus apponere ætate parvis ac mente lapsis, donec adolescerent, aut resipiscerent: ac plurimorum liberos et educavit simul cum suis et instituit.

XLIX. Ex militaribus copiis legiones et auxilia provinciatim distribuit: classem Miseni et alteram Ravennæ, ad tutelam superi et inferi maris, collocavit. Certum numerum partim in Urbis, partim in sui custodiam allegit, dimissa Calagurritanorum manu, quam usque ad devictum Antonium, item Germanorum, quam usque ad cladem Varianam, inter armigeros circa se habuerat. Neque tamen unquam plures quam tres cohortes in Urbe esse passus est, easque sine castris: reliquas in hiberna et æstiva circa finitima oppida dimittere assuerat. Quicquid autem ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam astrinxit, definitis pro gradu cujusque et temporibus militiæ, et commodis missionum, ne aut ætate aut inopia post missionem sollicitari ad res novas possent. Utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis instituit. Et quo celerius ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias,

dehinc vehicula, disposuit. Commodius id visum est, ut, qui a loco perferunt litteras, iidem interrogari quoque, si quid res exigant, possint.

L. In diplomatibus, libellisque et epistolis signandis, initio sphinge usus est; mox imagine Magni Alexandri; novissime sua, Dioscoridis manu sculpta, qua signare insecuti quoque principes perseverarunt. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, sed et noctis, quibus datæ significarentur, addebat.

LI. Clementiæ civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt. Ne enumerem, quot et quos diversarum partium, venia et incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere passus sit; Junium Novatum, et Cassium Patavinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exsilio punire satis habuit: quum ille Agrippæ juvenis nomine asperrimam de se epistolam in vulgus edidisset; hic convivio pleno proclamasset, « Neque votum sibi neque animum deesse, confodiendi eum. » Quadam vero cognitione, quum Æmilio Æliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime objiceretur, quod male opinari de Cæsare soleret; conversus ad accusatorem, commotoque similis, « Velim, » inquit, « hoc mihi probes: faciam, sciat Ælianus, et me linguam habere; plura enim de eo loquar. » Nec quicquam ultra, aut statim aut postea, inquisivit. Tiberio quoque de eadem re, sed violentius, apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: « Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, et nimium indignari, quemquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit. »

LII. Tempia, quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine, recepit. Nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore. Atque etiam argenteas statuas, olim sibi positas, conflavit omnes, ex quibus aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.

LIII. Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit. Quum, spectante eo ludos, pronunciatum esset a mimo, «O Dominum æquum et bonum!» et universi, quasi de ipso dictum, exsultantes comprobassent; et statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, et insequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco, passus est: atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temere Urbe oppidove ullo egressus, aut quocumque ingressus est, nisi vespera aut noctu, ne quem officii causa inquietaret. In consulatu pedibus fere, extra consulatum sæpe adaperta sella, per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat et plebem, tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, quod «sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephantu stipem.» Die senatus nunquam patres nisi in curia salutavit, et quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo summonente: et discedens eodem modo sedentibus valere dicebat. Officia cum multis mutuo exercuit; nec prius dies cujusque solennes frequentare desiit, quam grandior jam natu, et in turba

quondam sponsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, et ob id inedia mori destinantem, præsens consolando revocavit ad vitam.

LIV. In senatu verba facienti dictum est, « Non intellexi : » et ab alio, « Contradicerem tibi, si locum haberem. » Interdum ob immodicas altercationes disceptantium e curia per iram se proripienti quidam ingererunt, « Licere oportere senatoribus de republica loqui. » Antistius Labeo senatus lectione, quum triumvirum legeret M. Lepidum, hostem olim ejus, et tunc exulantem, [legit;] interrogatus [que] ab eo, an essent alii digniores, « Suum quemque judicium habere, » respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

LV. Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expavit, nec magna cura redarguit : ac, ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit, cognoscendum posthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cujuspiam sub alieno nomine edant. Jocis quoque quorundam invidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia ne quicquam constitueretur, intercessit.

LVI. Quoties magistratum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solemnium. Ferebat et ipse suffragium in tribubus, ut unus e populo. Testem se in judiciis et interrogari, et refelli, æquissimo animo patiebatur. Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos. Nunquam filios suos populo commendavit, ut non adjiceret, « Si merebuntur. » Eisdem, prætextatis adhuc,

assurrectum ab universis in theatro, et a stantibus plausum, gravissime questus est. Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent quo ceteri, legibusque judiciariis æque tenerentur. Quum Asprenas Nonius, artius ei junctus, causam veneficii, accusante Cassio Severo, diceret; consuluit senatum, quid officii sui putaret: «Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac prædamnare amicum existimaretur.» Et, consentientibus universis, sedit in subselliis per aliquot horas; verum tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali data. Affuit et clientibus: sicut Scutario cuidam, evocato quondam suo, qui postulabatur injuriarum. Unum omnino e reorum numero, ac ne eum quidem, nisi precibus, eripuit, exorato coram iudicibus accusatore, Castricium, per quem de conjuratione Murenæ cognoverat.

LVII. Pro quibus meritis quanto opere dilectus sit, facile est existimare. Omitto senatusconsulta, quia possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant; item kalendis januariis strenam in Capitolio, etiam absentibus: ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat: ut Apollinem Sandalium, et Jovem Tragædum, aliaque. In restitutionem Palatinæ domus, incendio absumptæ, veterani, decuriæ, tribus, atque etiam singillatim e cetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt; delibantè tantummodo eo summarum acervos,

neque ex quoquam plus denario auferente. Revertentem ex provincia non solum faustis ominibus, sed et modulatis carminibus prosequabantur. Observatum etiam est, ne, quoties introiret Urbem, supplicium de quoquam sumeretur.

LVIII. Patris patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei. Prima plebs, legatione Antium missa : dein, quia non recipiebat, ineunti Romæ spectacula frequens et laureata : mox in curia senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam. Is, mandantibus cunctis, « Quod bonum, » inquit, « faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste : sic enim nos perpetuam felicitatem reipublicæ et læta huic precari existimamus : senatus te, consentiens cum populo Romano, consalutat PATRIÆ PATREM. » Cui lacrymans respondit Augustus his verbis (ipsa enim, sicut Messalæ, posui) : « Compos factus votorum meorum, patres conscripti, quod habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat? »

LIX. Medico Antonio Musæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, statuam ære collato juxta signum Esculapii statuerunt. Nonnulli patrum familiarum testamento caverunt, ut ab heredibus suis prælato titulo victimæ in Capitolium ducerentur, votumque pro se solveretur, QUOD SUPERSTITEM AUGUSTUM RELIQUISSENT. Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt. Provinciarum pleræque super templa et aras, ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt.

LX. Reges amici atque socii, et singuli in suo quisque regno Cæsareas urbes condiderunt, et cuncti simul ædem Jovis Olympii, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare; ac sæpe regnis relictis, non Romæ modo, sed provincias peragranti, quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientium præstitērunt.

LXI. Quoniam, qualis in imperiis ac magistratibus, regendaque per terrarum orbem pace belloque Republica fuerit, exposui; referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit a juventa usque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo consulatu, sororem Octaviam quinquagesimum et quartum agens ætatis annum. Utrique quum præcipua officia vivæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

LXII. Sponsam habuerat adolescens P. Servilii Isaurici filiam : sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, expostulantibus utriusque militibus, ut et necessitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio filiam, duxit uxorem, vixdum nubilem; ac simultate cum Fulvia soerum exorta, dimisit intactam adhuc et virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus consularibus, et ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertæsus, ut scribit, morum perversitatem ejus : ac statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem, abduxit, dilexitque et probavit unice ac perseveranter.

LXIII. Ex Scribonia Juliam, ex Livia nihil libero-

rum tulit, quum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. Juliam primum Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, tantum quod pueritiam egresso, deinde, ut is obiit, M. Agrippæ nuptum dedit, exorata sorore, ut sibi genero cederet : nam tunc Agrippa alteram Marcellarum habebat, et ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, multis, ac diu, etiam ex equestri ordine, circumspectis conditionibus, Tiberium privignum suum legit, coegitque prægnantem uxorem, et ex qua jam pater erat, dimittere. M. Antonius scribit, «Primum eum Antonio filio suo despondisse Juliam; dein Cotisoni, Getarum regi : quo tempore sibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petisset.»

LXIV. Nepotes ex Agrippa et Julia tres habuit, Caium, Lucium, et Agrippam : neptes duas, Juliam et Agrippinam. Juliam L. Paulo, censoris filio, Agrippinam Germanico, sororis suæ nepoti, collocavit. Caium et Lucium adoptavit, domi per assem et libram emptos a patre Agrippa : tenerosque adhuc ad curam reipublicæ admovit : et consules designatos circum provincias exercitusque dimisit. Filiam et neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui aut agere quicquam, nisi propalam, et quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cætu adeo prohibuit, ut L. Vinicio, claro decoroque juveni, scripserit quondam, «Parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Baias salutatum venisset.» Nepotes et litteras, et notare, aliaque rudimenta, per se plerumque docuit : ac nihil æque elaboravit, quam ut imitentur chirographum suum. Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto asside-

rent : neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent, aut circa aequitarent.

LXV. Sed lætum eum, atque fidentem et sobole et disciplina domus, fortuna destituit. Julias, filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, relegavit. Caium et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massiliæ, defunctis. Tertium nepotem, Agrippam, simulque privignum, Tiberium, adoptavit in Foro lege curiata. Ex quibus Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit, seposuitque Surrentum. Aliquanto autem patientius mortem, quam dedecora suorum tulit. Nam Caii Lucique casu non adeo fractus, de filia absens ac libello per quæstorem recitato, notum senatui fecit; abstinuitque congressu hominum diu præ pudore, etiam de necanda deliberavit. Certe quum sub idem tempus una ex consociis liberta, Phœbe nomine, suspensio vitam finisset, « Maluisse se, » ait, « Phœbes patrem fuisse. » Relegatæ usum vini, omnemque delicatorem cultum ademit : neque adiri a quopiam libero servove, nisi se consulto, permisit, et ita, ut certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis, vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula in continentem, lenioribusque paulo conditionibus, transtulit eam. Nam, ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit; deprecanti sæpe populo romano, et pertinacius instanti, « tales filias talesque conjuges » pro concione imprecaus. Ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci alique vetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiore, in insulam transportavit,

sepsitque insuper custodia militum. Cavit etiam senatusconsulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur; atque ad omnem et ejus et Juliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat,

Αἰεὶ ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι

nec aliter eos appellare, quam tres vomicas, aut tria carcinomata sua.

LXVI. Amicitias neque facile admisit, et constantissime retinuit; non tantum virtutes ac merita cujusque digne prosecutus, sed vitia quoque et delicta, duntaxat modica, perpessus. Neque enim temere ex omni numero in amicitia ejus afflicti reperientur, præter Salvidienum Rufum, quem ad consulatum usque, et Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima utrumque fortuna provexerat. Quorum alterum, res novas molientem, damnum senatui tradidit: alteri, ob ingratum et malevolum animum, domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denunciacionibus et senatusconsultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tanto opere pro se indignantium; ceterum et illacrymavit, et vicem suam conquestus est, « quod sibi soli non liceret, amicis, quatenus vellet, irasci. » Reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ sui cujusque ordinis principes floruerunt, quamquam et offensis intervenientibus. Desideravit enim nonnunquam, ne de pluribus referam, et M. Agrippæ patientiam, et Mæcenatis taciturnitatem, quum ille ex levi rigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se, relictis omnibus, contulisset; hic secretum de com-

perta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ prodidisset. Exegit et ipse invicem ab amicis benevolentiam mutuan, tam a defunctis, quam a vivis. Nam, quamvis minime appeteret hereditates, ut qui nunquam ex ignoti testamento capere quicquam sustinuerit, amicorum tamen suprema judicia morosissime pensitavit; neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum, neque gaudio, si grate pieque quis se prosecutus fuisset. Legata, vel partes hereditatum, a quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consuevit.

LXVII. Patronus dominusque non minus severus, quam facilis et clemens, multos libertorum in honore et usu maximo habuit : ut Licinium Enceladum, aliosque. Cosmum servum, gravissime de se opinantem, non ultra quam compedibus coercuit. Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum objectus est, maluit timiditatis arguere, quam noxæ; remque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in jocum vertit. Idem Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit, compertum adulterare matronas : Thallo, a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura fregit. Pædagogum ministrosque Caii filii, per occasionem valetudinis mortisque ejus superbe avareque in provincia grassatos, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen.

LXVIII. Prima juvena variorum dedecorum infamiam subiit. Sex Pompeius ut effeminatum insectatus

est : M. Antonius adoptionem avunculi stupro meritum : item Lucius, Marci frater, quasi pudicitiam delibatam a Cæsare, A. etiam Hirtio in Hispania ccc millibus nummùm substraverit, solitusque sit erura suburere nuce ardenti, quo mollior pilus surgeret. Sed et populus quondam universus ludorum die, et accepit in contumeliam ejus, et assensu maximo comprobavit verum, in scena pronunciatum, de Gallo matris deùm tympanizante,

Viden', ut cinædus orbem digito temperat?

LXIX. Adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant; excusantes sane, non libidine, sed ratione commissa, quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret. M. Antonius, super festinatas Livie nuptias, objecit et feminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium, rubentibus auriculis, incomtiore capillo, reductam; et dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam potentiam pellicis; et condiciones quæsitæ per amicos, qui matresfamilias et adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Toranio mangone vendente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, necdum plane inimicus, aut hostis : « Quid te mutavit? quod reginam in eo? uxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos novem? tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas, uti tu, hanc epistolam quum leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Salviam Titisceniam; aut omnes. Anne refert, ubi et in quam arrigas? »

LXX. Cœna quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgo *δωδεκάθεος* vocabatur : in qua deorum deorumque habitu discubuisse convivas, et ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistolæ, singulorum nomina amarissime enumerantis, exprobrant, sed et sine auctore notissimi versus :

Quum primum istorum conduxit mensa choragum,
 Sexque deos vidit Mallia, sexque deas;
 Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
 Dum nova Divorum cœnat adulteria;
 Omnia se a terris tunc numina declinarunt,
 Fugit et auratos Juppiter ipse toros.

Auxit cœnæ rumore summa tunc in civitate penuria ac fames, acclamatumque est postridie, « omne frumentum deos comedisse; » et, « Cæsarem esse plane Apollinem, sed Tortorem : » quo cognomine is deus quadam in parte urbis colebatur. Notatus est et ut pretiosæ suppellectilis Corinthiorumque præcupidus, et aleæ indulgens. Nam et proscriptionis tempore ad statuam ejus adscriptum est,

Pater argentarius, ego Corinthiarius;

quum existimaretur quosdam propter vasa Corinthia inter prosriptos curasse referendos. Et deinde bello Sici-liensi epigramma vulgatum est :

Postquam bis classe victus naves perdidit,
 Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.

LXXI. Ex quibus sive criminibus sive maledictis infamiam impuditiæ facillime refutavit, et præsentis et

posteræ vitæ castitate. Item lautitiarum invidiam; quum et Alexandria capta, nihil sibi præter unum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuerit, et mox vasa aurea assiduissimi usus conflaverit omnia. Circa libidines hæsit; postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quæ sibi undique, etiam ab uxore, conquirentur. Aleæ rumorem nullo modo expavit, lusitque simpliciter et palam oblectamenti causa, etiam senex; ac præterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestisque diebus. Nec id dubium est. Autographa quadam epistola, «Cœnavi,» ait, «mi Tiberi, cum iisdem. Accesserunt convivæ Vinicius et Silius pater. Inter cœnam lusimus $\gamma\epsilon\phi\phi\sigma\tau\iota\kappa\tilde{\alpha}\tilde{\nu}\zeta$, et heri et hodie. Talis enim jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.» Et rursus aliis litteris: «Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum; sed ex magnis detrimentis præter spem paulatim retractus est. Ego perdididi viginti millia nummum meo nomine; sed quum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque. Nam si, quas manus remisui cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet.» Scribit ad filiam: «Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter cœnam vel talis vel par impar ludere.» In ceteris partibus

vitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspitione ullius vitii.

LXXII. Habitavit primo juxta Romanum Forum, supra Scalas anularias, in domo quæ Calvi oratoris fuerat : postea in Palatio; sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, et neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, et sine marmore ullo aut insigni pavimento conclavia. Ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hieme et æstate mansit; quamvis parum salubrem valetudini suæ Urbem hieme experiretur, assidueque in Urbe hiemaret. Si quando quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis, quem *Syracusas* et τεχνόφουον vocabat : huc transibat, aut in alicujus libertorum suburbanum; æger autem in domo Mæcenatis cubabat. Ex secessibus præcipue frequentavit maritima, insulasque Campaniæ, aut proxima Urbi oppida, Lanuvium, Præneste, Tibur : ubi etiam in porticibus Herculis templi persæpe jus dixit. Ampla et operosa prætoria gravabatur. Et neptis quidem suæ Juliæ, profuse ab ea exstructa, etiam diruit ad solum : sua vero, quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit, rebusque vetustate ac raritate notabilibus : qualia sunt Capreis immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur *Gigantum ossa* et *arma Heroum*.

LXXIII. Instrumenti ejus et supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiae sint. Ne toro qui-

dem cubuisse aiunt, nisi humili et modice instrato. Veste non temere alia quam domestica usus est, ab sorore et uxore et filia neptibusque confecta : togis, neque restrictis, neque fuis : clavo, nec lato, nec angusto : calciamentis altiuseulis, ut procerior quam erat, videretur. Et forensia autem et calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad subitos repentinosque casus parata.

LXXIV. Convivabatur et assidue, nec unquam nisi recta, non sine magno ordinum hominumque dilectu. Valerius Messala tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sex. Pompeii classem. Ipse scribit, invitasse se quemdam, in cuius villa maneret, qui speculator suus olim fuisset. Convivia nonnunquam et serius inibat, et maturius relinquebat; quum convivæ et cœnare inciperent, priusquam ille discumberet, et permanerent, digresso eo. Cœnam ternis ferculis, aut, quum abundantissime, senis præbebat, ut non nimio sumptu, ita summa comitate. Nam et ad communionem sermonis tacentes vel summissim fabulantes provocabat, et aut acroamata et histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos.

LXXV. Festos et solemnes dies profusissime, nonnunquam tantum joculariter, celebrabat. Saturnalibus, et si quando alias libuisset, modo munera dividebat, vestem, et aurum, et argentum : modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos : interdum nihil præter cilicia et spongias, et rutabula, et forpices,

atque alia id genus, titulis obscuris et ambiguis. Solebat et inæqualissimarum rerum sortes, et aversas tabularum picturas in convivio venditare, incertoque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere; ita ut per singulos lectos licitatio fieret, et seu jactura, seu lucrum communicaretur.

LXXVI. Cibi (nam ne hæc quidem omiserim) minimi erat, atque vulgaris fere. Secundarium panem, et pisciculos minutos, et caseum bubulum manu pressum, et ficos virides biferas maxime appetebat: vesebaturque et ante cœnam quocunque tempore et loco, quo stomachus desiderasset. Verba ipsius ex epistolis sunt: «Nos in essedo panem et palmulas gustavimus.» Et iterum: «Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.» Et rursus: «Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balineo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi, priusquam ungi inciperem.» Ex hac inobservantia nonnunquam, vel ante initum, vel post dimissum convivium solus cœnitabat, quum pleno convivio nihil tangeret.

LXXVII. Vini quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere eum solitum super cœnam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. Postea, quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit, aut, si excessisset, rejiciebat. Et maxime delectatus est Rætico, neque temere interdium bibit. Pro portione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactuculæ thyrsus, aut recens acidumve pomum succi vinosioris.

LXXVIII. Post cibum meridianum, ita ut vestitus calciatusque erat, reiectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat. Ibi, donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius, quum plurimum, quam septem horas, dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset, lectoribus aut fabulatoribus arcessitis resumebat, producebatque ultra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilavit unquam, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebar: ac si vel officii, vel sacri causa maturius evigilandum esset, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuscunque domesticorum cœnaculo manebat. Sic quoque sæpe indigens somni, et dum per vicos deportaretur, et deposita lectica, inter aliquas moras condormiebat.

LXXIX. Forma fuit eximia, et per omnes ætatis gradus venustissima; quamquam et omnis lenocinii negligens, et in capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam, eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat, vel in sermone, vel tacitus, adeo tranquillo serenoque, ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quo minus, ut destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloqui propius admissus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit cla-

ros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum summitteret: sed in senecta sinistro minus vidit. Dentes raros, et exiguos, et scabros, capillum leniter inflexum et sufflavum, supercilia conjuncta, mediocres aures, nasum et a summo eminentiorem, et ab imo deductiorem, colorem inter aquilum candidumque, staturam brevem (quam tamen Julius Marathus libertus, in memoria ejus, quinque pedum et dodrantis fuisse tradit), sed quæ commoditate et æquitate membrorum occuleretur, ut nonnisi ex comparatione adstantis alicujus procerioris intelligi posset.

LXXX. Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum et ordinem ac numerum stellarum cœlestis Ursæ; sed et callis quibusdam, ex prurigine corporis assiduoque et vehementi strigilis usu plurifariam concretis, ad impetiginis formam. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat, ut sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio habenarum atque arundinum confirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem, contractumque frigore, vix cornei circuli supplemento scripturæ admoveret. Questus est et de vesica, cujus dolore, calculis demum per urinam ejectis, levabatur.

LXXXI. Graves et periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est: præcipue Cantabria domita, quum etiam, destillationibus jecinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam et ancipitem

rationem medendi necessario subiit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa. Quasdam et anniversarias, ac tempore certo recurrentes, experiebatur : nam sub natalem suum plerumque languebat, et initio veris præcordiorum inflatione tentabatur, austrinis autem tempestatibus gravedine. Quare quassato corpore, neque frigora, neque æstus facile tolerabat.

LXXXII. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et subucula et thorace laneo, et feminalibus, et tibialibus muniebatur : æstate, apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristyllo saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat. Solis vero ne hiberni quidem patiens, domi quoque non nisi petasatus sub divo spatiabatur. Itinera lectica, et noctibus fere; eaque lenta ac minuta faciebat, ut Præneste vel Tibur biduo procederet : ac, si quo pervenire mari posset, potius navigabat. Verum tantam infirmitatem magna cura tuebatur, imprimis lavandi raritate. Ungebatur enim sæpius, et sudabat ad flammam : deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta. At, quoties nervorum causa marinis Albulisque calidis utendum esset, contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ac pedes alternis jactaret.

LXXXIII. Exercitationes campestris equorum et armorum statim post civilia bella omisit, et ad pilam primo folliculorumque transiit, mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat, ita ut extremis spatiis subsultim decurreret, segestri vel lodicula involutus. Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut ocellatis

nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros et Syros. Nam pumilos, atque distortos, et omnes generis ejusdem, ut ludibria naturæ malique ominis abhorrebat.

LXXXIV. Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima et cupide et laboriosissime exercuit. Mutinensi bello, in tanta mole rerum, et legisse, et scripsisse, et declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neque in senatu, neque apud populum, neque apud milites, locutus est unquam, nisi meditata et composita oratione, quamvis non deficeretur ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores, nonnisi scriptos, et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore. Pronunciabat dulci et proprio quodam oris sono, dabatque assidue phonasce operam; sed nonnunquam infirmitatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est.

LXXXV. Multa varii generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitavit; sicut *Rescripta Bruto de Catone*: quæ volumina quum jam senior ex magna parte legisset, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda. Item *Hortationes ad philosophiam*, et aliqua *de vita sua*, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultra, exposuit. Poeticam summam attigit. Unus liber exstat, scriptus ab eo hexametris versibus, cujus et argumentum et titulus est, *Sicilia*. Exstat alter æque modicus *Epigrammatum*,

quæ fere tempore balnei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stilo, abolevit: quærentibusque amicis, «quidnam Ajax ageret,» respondit, «Ajacem suum in spongiam incubuisse.»

LXXXVI. Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinnitate, et «reconditorum verborum,» ut ipse dicit, «fœtoribus:» præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere: quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque conjunctiones sæpius iterare dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit, exagitabatque nonnunquam: in primis Mæcenatem suum, cujus *μυροβρεχεῖς*, ut ait, *cincinnos* usquequaque persequitur, et imitando per jocum irridet. Sed nec Tiberio parcat, et exsoletas interdum et reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quæ mirentur potius homines quam intelligant. Deinde ludens malum et inconstans in eligendo genere dicendi ingenium ejus, addit hæc: «Tuque dubitas, Cimberne Annius, an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? ita ut verbis, quæ Crispus Sallustius excerpserit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum oratorum, inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?» Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans, «Sed opus est,» inquit, «dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris.»

LXXXVII. Quotidiano sermone quædam frequentius et notabiliter usurpasse eum, litteræ ipsius autographæ ostentant. In quibus identidem, quum aliquos nunquam soluturos significare vult, «Ad Kalendas Græcas soluturos» ait; et quum hortatur, ferenda esse præsentia qualiacunque sint, «Contenti simus hoc Catone;» et ad exprimendam festinatæ rei velocitatem, «Celerius, quam asparagi coquuntur.» Ponit assidue et pro stulto *baceolum*; et pro pullo, *pulleiaceum*; et pro cerrito, *vacerrosium*; et *vapide se habere*, pro male; et *betizare*, pro languere, quod vulgo *lathanizare* dicitur; item *simus*, pro sumus; et *domos* genitivo casu singulari, pro *domus*; nec unquam aliter hæc duo, ne quis mendam magis quam consuetudinem putet. Notavi et in chirographo ejus illa præcipue: non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subjicit circumducitque.

LXXXVIII. Orthographiam, id est formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam, non adeo custodit; ac videtur eorum potius sequi opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur, existiment. Nam quod sæpe non litteras modo, sed syllabas, aut permutat, aut præterit, communis hominum error est. Nec ego id notare, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato cum consulari successorem dedisse, ut rudi et indocto, cujus manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animadverterit. Quoties autem per notas scribit, *b* pro *a*, *c* pro *b*, ac deinceps eadem ratione, sequentes litteras ponit; pro *x* autem duplex *a*.

LXXXIX. Ne Græcarum quidem disciplinarum leviori studio tenebatur : in quibus et ipsis præstabat largiter, magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu Apolloniam quoque secum ab Urbe juvenis adhuc eduxerat. Deinde eruditione etiam varia repletus est per Arei philosophi, filiorumque ejus Dionysii et Nicanoris, contubernium : non tamen ut aut loqueretur expedite, aut componere aliquid auderet. Nam et, si quid res exigeret, Latine formabat, vertendumque alii dabat. Sed plane poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, et sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil æque sectabatur, quam præcepta et exempla publice vel privatim salubria : eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad Urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos et senatui recitavit, et populo notos per edictum sæpe fecit : ut orationes Q. Metelli *de prole augenda*, et Rutilii *de modo ædificiorum* : quo magis persuaderet, utramque rem non a se primo animadversam, sed antiquis jam tunc curæ fuisse. Ingenia seculi sui omnibus modis fovit. Recitantes et benigne et patienter audivit; nec tantum carmina et historias, sed et orationes et dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi et serio, et a præstantissimis, offendebatur; admoneratque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.

XC. Circa religiones talem accepimus. Tonitrua et fulgura paulo infirmius expavescebat; ut semper et ubi-

que pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem majoris tempestatis suspicionem in abdium et concameratum locum se reciperet; consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, ut prædiximus.

XCI. Somnia neque sua, neque aliena de se, negligebat. Philippensi acie, quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem, egressus est tamen amici somnio monitus; cessitque res prospere, quando captis castris lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est. Ipse per omne ver plurima, et formidolosissima, et vana, et irrita videbat : tempore rariora, et minus vana. Quum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit, queri Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci; seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum : ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimit, quod ea fere januis dependebant. Ex nocturno visu, etiam stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.

XCII. Auspicia et omina quædam pro certissimis observabat. Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero, induceretur, ut dirum; si, terra marive ingrediente se longinquam profectionem, forte rorasset, ut letum, maturique et prosperi reditus. Sed et ostentis præcipue movebatur. Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium deorum Penatium transtulit; utque coalesceret, magno opere curavit. Apud insulam Capreas, veterrimæ ilicis demis-

sos jam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo lætatus est, ut eas cum republica Neapolitanorum permutaverit, Ænaria data. Observabat et dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut Nonis quicquam rei seriæ inchoaret; nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium scribit, quam *δυσφημίαν* nominis.

XCIII. Peregrinarum cerimoniarum sicut veteres ac præceptas reverentissime coluit, ita ceteras contemptui habuit. Namque Athenis initiatus, quum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret, et quædam secretiora proponerentur, dimisso consilio et corona circumstantium, solus audiit disceptantes. At contra, non modo in peragrandâ Egypto paulo deflectere ad visendum Apin supersedit, sed et Caium nepotem, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit.

XCIV. Et quoniam ad hæc ventum est, non ab re fuerit subtexere, quæ ei prius, quam nasceretur, et ipso natali die, ac deinceps evenerint, quibus futura magnitudo ejus et perpetua felicitas sperari animadvertique posset. Velitris antiquitus tacta de cælo parte muri, responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum: qua fiducia Veliterni, et tunc statim, et postea sæpius, pæne ad exitium sui, cum populo Romano belligeraverunt. Sero tandem documentis apparuit, ostentum illud Augusti potentiam portendisse. Auctor est Julius Marathus, ante paucos, quam nasceretur, menses, prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur regem populo Romano naturam partu-

rire : senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur; eos, qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum ad ærarium deferretur. In Asclepiadis Mendetis Θεολογουμένων libris lego, Atiam, quum ad sollemne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum ceteræ matronæ domum irent, obdormisse; draconem repente irrepsisse ad eam, pauloque post egressum; illanque expergefactam, quasi a concubitu mariti, purificasse se : et statim in corpore ejus exstitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse unquam exigi, adeo ut mox publicis balineis perpetuo abstinuerit : Augustum natum mense decimo, et ob hoc Apollinis filium existimatum. Eadem Atia, prius quam pareret, somniavit, intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem terrarum et cœli ambitum. Somniavit et pater Octavius, utero Atiæ jubar solis exortum. Quo natus est die, quum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia, et Octavius ob uxoris puerperium serius affuisset, nota ac vulgata res est, P. Nigidium, comperta moræ causa, ut horam quoque partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. Octavio postea, quum per secreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi patris luco barbara cerimonia de filio consulenti, idem affirmatum est a sacerdotibus : quod, infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset, ut supergressa fastigium templi ad cœlum usque ferretur; unigue [olim] omnino Magno Alexandro, apud easdem aras sacrificanti, simile provenisset ostentum. Atque etiam insequenti statim nocte videre visus

est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine et sceptro, exuviisque Jovis Optimi Maximi, ac radiata corona, super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus. Infans adhuc, ut scriptum apud C. Drusum exstat, repositus vespere in cunas a nutricula, loco plano, postera luce non comparuit; diuque quæsitus, tandem in altissima turri repertus est, jacens contra solis exortum. Quum primum fari cœpisset, in avito suburbano obstrepentes forte ranas silere jussit; atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prædenti ex improvise aquila panem ei e manu rapuit: et, quum altissime evolasset, rursus ex improvise leniter delapsa, reddidit. Q. Catulus post dedicatum Capitolium duabus continuis noctibus somniavit: prima, Jovem Optimum Maximum e prætextatis compluribus, circum aram ludentibus, unum secrevisse, atque in ejus sinum signum reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse. At insequenti, animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eundem puerum; quem quum detrahi jussisset, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam reipublicæ educaretur. Ac die proximo, obvium sibi Augustum, quum incognitum alias haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero, de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis, tutorem a se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. M. Cicero, C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinae noctis familiari-

bus forte narrabat : puerum, facie liberali, demissum cœlo catena aurea, ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem flagellum tradidisse; deinde, repente Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi obversata sit. Sumentis virilen togam tunica lati clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quam ut is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur. Apud Mundanum D. Julius castris locum capiens, quum silvam cæderet, arborem palmæ repertam conservari, ut omen victoriæ, jussit : ex ea continuo enata soboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum et obtegeret, frequentareturque columbarum nidis, quamvis id avium genus duram et asperam frondem maxime vitet. Illo et præcipue ostento motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere, quam sororis nepotem, vellet. In recessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam, comite Agrippa, ascenderat : quum Agrippæ, qui prior consulebat, magna et pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec velle edere perseverabat, metu ac pudore, ne minor inveniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix et cunctanter edita, exsiluit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.

XCV. Post necem Cæsaris, reverso ab Apollonia et ingrediente eo Urbem, repente liquido ac puro sereno,

circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit: ac subinde Juliæ, Cæsaris filiæ, monumentum fulmine ictum est. Primo autem consulatu, ei augurium capienti duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt; et immolanti omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra patuerunt, nemine peritorum aliter conjectante, quam læta per hæc et magna portendi.

XCVI. Quin et bellorum omnium eventus ante præsensit. Contractis ad Bononiam triumvirorum copiis, aquila, tentorio ejus supersedens, duos corvos hinc et inde infestantes afflixit, et ad terram dedit; notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam talem, qualis secuta est, atque exitum præaugiente. In Philippis, Thessalus quidam de futura victoria nunciavit, auctore D. Cæsare, cujus sibi species itinere avio occurrisset. Circa Perusiam, sacrificio non litante, quum augeri hostias imperasset, ac subita eruptione hostes omnem rei divinæ apparatus abstulissent, constitit inter haruspices, quæ periculosa et adversa sacrificanti denunciata essent, cuncta in illos recasura qui exta haberent. Neque aliter evenit. Pridie, quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in litore piscis e mari exsiluit, et ad pedes jacuit. Apud Actium, descendenti in aciem asellus cum asinario occurrit: homini Eutyclus, bestię Nicon erat nomen. Utriusque simulacrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit.

XCVII. Mors quoque ejus, de qua dehinc dicam, divinitasque post mortem, evidentissimis ostentis præcognita est. Quum lustrum in campo Martio magna

populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumvolavit; transgressaque in vicinam ædem, super nomen Agrippæ, ad primam litteram, sedit : quo animadverso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit : nam se, quamquam conscriptis paratisque jam tabulis, negavit suscepturum quæ non esset soluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ ejus prima nominis littera effluxit. Responsum est, centum solos dies posthac victurum, quem numerum c littera notaret; futurumque, ut inter Deos referretur, quod *ÆSAR*, id est, reliqua pars e Cæsaris nomine, Etrusca lingua Deus vocaretur. Tiberium igitur in Illyricum dimissurus, et Beneventum usque prosecuturus, quum interpellatores aliis atque aliis causis in jure dicendo detinerent, exclamavit (quod et ipsum mox inter omnia relatum est), « Non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ futurum. » Atque itinere inchoato, Asturam perrexit; et inde, præter consuetudinem, de nocte ad occasionem auræ evectus, causam valetudinis contraxit ex profluvio alvi.

XCVIII. Tunc Campaniæ ora proximisque insulis circuitis, Caprearum quoque secessui quadriduum impendit, remississimo ad otium et ad omnem comitatem animo. Forte Puteolanum sinum prætervehenti vectores nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati coronatique, et thura libantes, fausta omnia et eximias laudes congesserant : « Per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui. » Qua re admodum exhilaratus quadragenos aureos comitibus divisit : jusque jurandum et cautionem

exegit a singulis, non alio datam summam quam in emtionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Sed et ceteros continuos dies inter varia munuscula, togas insuper ac pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu et sermone uterentur. Spectavit assidue et exercentes ephēbos, quorum aliqua adhuc copia ex vetere instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissa, immo exacta, jocandi licentia, diripiendique pomorum et obsceniorum rerumque missilium. Nullo denique genere hilaritatis abstinuit. Vicinam Capreis insulam Ἀπραγύπολιον appellabat, a desidia secedentium illuc e comitatu suo. Sed ex dilectis unum, Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ, Κτιστήν vocare consuevit: hujus Masgabæ, ante annum defuncti, tumulum quum e tridinio animadvertisset magna turba multisque luminibus frequentari, versum compositum e tempore clare pronuntiavit :

Κτιστῶ δὲ τύμβον εἰσεσθῶ πυρούμενον

conversusque ad Thrasyllum, Tiberii comitem, contra accubantem, et ignarum rei, interrogavit, cujusnam poetæ putaret esse. Quo hæsitante, subjecit alium :

Ὅρῃς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

ac de hoc quoque consuluit. Quum ille nihil aliud responderet, quam, cujuscunque essent, optimos esse, cachinnum sustulit, atque in jocos effusus est. Mox Neapolim trajecit, quamquam etiam tum infirmis intestinis morbo variante : tamen et quinquennale certamen gymnicum, honori suo institutum, perspectavit; et cum

Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggravata valetudine, tandem Nolæ succubuit : revocatumque ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit, neque post ulli majori negotio animum accommodavit.

XCIX. Supremo die, identidem exquirens an jam de se tumultus foris esset, petito spiculo, capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi, præcepit. Et admissos amicos percontatus, « Ecquid iis videretur mimum vitæ commode transegisse, » adjecit et clausulam :

Εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ
 Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dum advenientes ab Urbe de Drusi filia ægra interrogat, repente in osculis Liviæ, et in hac voce defecit : « Livia, nostri conjugii memor vive, ac vale; » sortitus exitum facilem, et qualem semper optaverat. Nam fere, quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis εὐθανασίαν similem (hoc enim et verbo uti solebat) precabatur. Unum omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit, quod, subito pavefactus, a quadraginta se juvenibus abripi, questus est. Id quoque magis præaugium, quam mentis deminutio, fuit; siquidem totidem milites prætoriani extulerunt eum in publicum.

C. Obiit in cubiculo eodem quo pater Octavius, duobus Sextis, Pompeio et Appuleio, consulibus, decimo quarto Kalendas Septembris, hora diei nona, septuagesimo et sexto ætatis anno, diebus quinque et triginta minus. Corpus decuriones municipiorum et coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt noctibus,

propter anni tempus, quum interdiu in basilica cujusque oppidi, vel in ædium sacrarum maxima, reponeretur. A Bovillis equester ordo suscepit, Urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit. Senatus et in funere ornando, et in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam, funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quæ est in curia, canentibus næniam principum liberis utriusque sexus: alii, exsequiarum die ponendos annulos aureos, ferreosque sumendos: nonnulli, legenda ossa per sacerdotes summorum collegiorum. Fuit et, qui suaderet, appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam: quod hoc genitus Augustus, illo defunctus esset; alius, ut omne tempus a primo die natali ad exitum ejus, seculum Augustum appellaretur, et ita in fastos referretur. Verum, adhibito honoribus modo, bifariam laudatus est: pro æde D. Julii a Tiberio, et pro rostris veteribus a Druso, Tiberii filio; ac senatorum humeris delatus in Campum, crematusque. Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse juraret. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti, pedibusque nudis, ac mausoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam ripamque Tiberis sexto suo consulatu extruxerat; circumjectasque silvas et ambulationes in usum populi jam tum publicarat.

Cl. Testamentum, L. Planco, C. Silio consulibus, tertio Nonas Aprilis, ante annum et quatuor menses, quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipsius, partim libertorum Polybii et Hilarionis

manu scriptum, depositumque apud se, virgines vestales cum tribus signatisque æque voluminibus protulerunt. Quæ omnia in senatu aperta atque recitata sunt. Heredes instituit primos, Tiberium ex parte dimidia et sextante, Liviam ex parte tertia, quos et ferre nomen suum jussit : secundos, Drusum, Tiberii filium, ex triente, ex partibus reliquis Germanicum liberosque ejus tres sexus virilis : tertio gradu, propinquos amicosque complures. Legavit populo Romano quadringenties, tribus tricies quinquies sestertium : prætorianis militibus singula millia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos : quam summam repræsentari jussit : nam et confiscatam semper repositamque habuerat. Reliqua legata varie dedit : produxitque quædam ad vicies sestertium, quibus solvendis annum diem finiit, excusata rei familiaris mediocritate : nec plus perventurum ad heredes suos, quam millies et quingenties, professus : quamvis viginti proximis annis quaterdecies millies ex testamentis amicorum percepisset : quod pæne omne cum duobus paternis patrimoniis, ceterisque hereditatibus, in rempublicam absumsisset. Julias, filiam neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri. De tribus voluminibus uno mandata de funere suo complexus est ; altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, que ante mausoleum statuerentur ; tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniæ in ærario et fiscis et vectigaliorum residuis. Adjecit et libertorum servorumque nomina, a quibus ratio exigi pöset.

TIBERIUS.

I. **P**ATRICIA gens Claudia (fuit enim et alia plebeia, nec potentia minor, nec dignitate) orta est ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recens conditam cum magna clientium manu commigravit, auctore Tito Tatío, consorte Romuli, vel, quod magis constat, Atta Claudio, gentis principe, post reges exactos sexto fere anno, a patribus in patricias cooptata. Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit. Deinceps, procedente tempore, duodetriginta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos septem, duas ovationes, adepta est. Quum prænominibus cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, postquam e duobus gentilibus, præditis eo, alter latrocinii, cædis alter convictus est. Inter cognomina autem et Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus.

II. Multa multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in rempublicam exstant. Sed ut præcipua commemorem, Appius Cæcus societatem cum rege Pyrrho, ut parum salubrem, iniri dissuasit. Claudius Caudex primus, freto classe trajecto, Pænos Sicilia expulit. Claudius Nero advenientem ex Hispania cum in-

gentibus copiis Asdrubalem, priusquam Annibali fratri conjungeretur, oppressit. Contra Claudius Appius Regillanus, Decemvir legibus scribendis, virginem ingenuam per vim, libidinis gratia, in servitutum asserere conatus, causa plebi fuit secedendi rursus a Patribus. Claudius Drusus, statua sibi cum diademate ad Appii Forum posita, Italiam per clientelas occupare tentavit. Claudius Pulcher apud Siciliam, non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent, quando esse nollent, prelium navale iniit : superatusque, quum dictatorem dicere a senatu juberetur, velut iterum illudens discrimini publico, Gliciam viatorem suum dixit. Exstant et feminarum exempla, diversa æque : siquidem gentis ejusdem utraque Claudia fuit, et quæ navem cum sacris matris Deum Idææ obhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, « ut ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret ; » et quæ novo more judicium majestatis apud populum mulier subiit, quod in conferta multitudine ægre procedente carpento palam optaverat, « ut frater suus Pulcher revivisceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret. » Præterea notissimum est, Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui, ob expellendum Urbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam natu minori, in adoptionem se dedit, optimates assertoresque unicos dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse, atque adversus plebem adeo violentos et contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem, aut deprecari sustinuerit; nonnulli in alteratione et jurgio Tribunos plebis pulsaverunt.

runt. Etiam virgo Vestalis fratrem, injussu populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset.

III. Ex hac stirpe Tiberius Cæsar genus trahit, et quidem utrumque : paternum, a Tiberio Nerone; maternum, ab Appio Pulchro; qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Insertus est et Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo. Quæ familia, quamquam plebeia, tamen et ipsa admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura etiam ac magisterio equitum honorata; clara et insignibus viris, ac maxime Salinatore, Drusisque. Salinator universas tribus in censura notavit levitatis nomine, quod, quum se post priorem consulatum multa irrogata condemnassent, consulem iterum censoremque fecissent. Drusus, hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam proprætore ex provincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec, ut fama est, extortum a Camillo. Ejus abnepos, ob eximiam adversus Gracchos operam patronus senatus dictus, filium reliquit, quem in simili dissensione multa varie molientem diversa factio per fraudem interemit.

IV. Pater Tiberii, quæstor C. Cæsaribus, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare et pontifex in locum P. Scipionis substitutus, et ad deducendas in Galliam colonias, in quibus Narbo et Arelate erant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis barbararum metu abolitionem facti decernentibus, etiam

de præmiis tyrannucidarum referendum censuit. Prætura deinde functus, quum exitu anni discordia inter Triumvros exorta esset; retentis ultra justum tempus insignibus, L. Antonium consulenti, triumviri fratrem, ad Perusiam secutus, deditione a ceteris facta, solus permansit in partibus, ac primo Præneste, inde Neapolin evasis; servisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indigne ferens, nec statim se in conspectum Sex. Pompeii admissum, et fascium usu prohibitum, ad M. Antonium trajecit in Achaiam. Cum quo, brevi reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, uxoremque Liviam Drusillam, et tunc gravidam, et ante jam apud se filium enixam, petenti Augusto concessit. Nec multo post diem obiit, utroque liberorum superstite, Tiberio Drusoque Neronibus.

V. Tiberium quidam Fundis natum existimaverunt, seculi levem conjecturam, quod materna ejus avia Fundana fuerit, et quod mox simulacrum Felicitatis ex senatusconsulto publicatum ibi sit. Sed, ut plures certioresque tradunt, natus est Romæ in Palatio, sextodecimo kalendas decembris, M. Æmilio Lepido iterum, L. Munatio Planco consulibus, post bellum Philippense. Sic enim in fastos actaque publica relatum est. Nec tamen desunt, qui partim antecedente anno, Hirtii ac Pansæ, partim insequente, Servilii Isaurici Antoniique consulatione, genitum eum scribant.

VI. Infantiam pueritiamque habuit laboriosam et exercitam, comes usquequaque parentum fugæ: quos quidem apud Neapolin, sub irruptionem hostis navigium clam petentes, vagitu suo pæne bis prodidit; semel, quum

a nutricis ubere, iterum, quum a sinu matris raptim auferretur ab iis, qui pro necessitate temporis mulierculas levare onere tentabant. Per Siciliam quoque et per Achaïam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, quod in tutela Claudiorum erant, demandatus, digrediens inde itinere nocturno, discrimen vitæ adiit, flamma repente e silvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, ut Liviæ pars vestis et capilli amburentur. Munera, quibus a Pompeia, Sext. Pompeii sorore, in Sicilia donatus est, chlamys et fibula, item bullæ aureæ, durant, ostendunturque adhuc Baiis. Post reditum in Urbem a M. Gallio senatore testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit; quod Gallius adversarum Augusto partium fuerat. Novem natus annos defunctum patrem pro Rostris laudavit. Dehinc pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore funali equo, quum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur. Præsedit et Actiacis ludis, et Trojanis circensibus, ductor turmæ puerorum majorum.

VII. Virili toga sumta, adolescentiam omnem, spatiumque insequentis ætatis usque ad principatus initia, per hæc fere transegit: Munus gladiatorium in memoriam patris, et alterum in avi Drusi, dedit, diversis temporibus ac locis: primum in Foro, secundum in Amphitheatro; rudiariis quoque quibusdam revocatis, auctoramento centenum millium. Dedit et ludos, sed absens; cuncta magnifice, impensa matris ac vitrici. Agrippinam, M. Agrippa genitam, neptem Cæciliæ Atticæ Equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, duxit uxorem: sublatoque ex ea filio Druso, quamquam bene con-

venientem, rursusque gravidam, dimittere, ac Juliam, Augusti filiam, confestim coactus est ducere: non sine magno angore animi, quum et Agrippinae consuetudine teneretur, et Juliae mores improbaret; ut quam sensisset sui quoque sub priore marito appetentem, quod sane etiam vulgo existimabatur. Sed Agrippinam et abegisse post divortium doluit; et semel omnino ex occursum visam adeo contentis et tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne unquam in conspectum ejus posthac veniret. Cum Julia primo concorditer et amore mutuo vixit: mox discedit, et aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret, intercepto communis filii pignore, qui Aquileiae natus infans exstinctus est. Drusum fratrem in Germania amisit, cujus corpus, pedibus toto itinere praegrediens, Romam usque pervexit.

VIII. Civiliū officiorum rudimentis regem Archelaum, Trallianos, et Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente, defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis, terrae motu afflictis, opemque implorantibus, senatum deprecatus est. Fannium Caepionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspiraverat, reum majestatis apud iudices fecit, et condemnavit. Interque haec duplicem curam administravit, annonae, quae artior inciderat, et repurgandorum tota Italia ergastulorum, quorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent, non solum viatores, sed et quos sacramento metus ad hujusmodi latebras compulisset.

IX. Stipendia prima expeditione Cantabrica tribunus militum fecit: dein, ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniae Tigrani restituit, ac pro tribunali dia-

dema imposuit. Recepit et signa, quæ M. Crasso ademerant Parthi. Post hæc Comatam Galliam anno fere rexit, et barbarorum incursionibus, et principum discordia inquietam. Exin Ræticum Vindelicumque bellum, inde Germanicum gessit. Rætico atque Vindelico gentes Alpinas; Pannonico Breucos et Dalmatas subegit; Germanico quadraginta millia dediticiorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. Quas ob res, et ovans, et curru Urbem ingressus est, primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris. Magistratus et maturius inchoavit, et pæne junctim percucurrit questuram, præturam, consulatum: interpositoque tempore, consul iterum etiam tribuniciam potestatem in quinquennium accepit.

X. Tot prosperis confluentibus, integra ætate ac valetudine, statuit repente secedere, seque e medio quam longissime amovere: dubium, uxorisne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset; an ut, vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur, atque etiam auget, si quando indignisset sui respublica. Quidam existimant, adultis jam Augusti liberis, loco et quasi possessione usurpati a se diu secundi gradus sponte cecidisse, exemplo M. Agrippæ, qui, M. Marcello ad munera publica admoto, Mytilenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur. Quam causam et ipse, sed postea, reddidit. Tunc autem honorum satietatem ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico, deseri se etiam in senatu conque-

renti, veniam dedit. Quin et pertinacius retinentibus, cibo per quatrídium abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore et filio, confestim Ostiam descendit; ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu exosculatus.

XI. Ab Ostia oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nunciata, paulum substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem majoris spei commoraretur, tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit, amœnitate et salubritate insulæ jam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset. Hic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ civile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans, mutuaque cum Græculis officia usurpans, prope ex æquo. Forte quondam in disponendo die mane prædixerat, quicquid agrorum in civitate esset, visitare se velle: id a proximis aliter exceptum: jussique sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera disponi. Perculsus igitur inopinata re, diu quid ageret incertus, tamen singulos circuit; excusans factum etiam tenuissimo cuique, et ignoto. Unum hoc tantummodo, neque præterea quicquam notatum est, in quo exercuisse jus tribuniciæ potestatis visus sit. Quum circa scholas et auditoria professorum assiduus esset, moto inter antisophistas graviore jurgio, non defuit, qui eum intervenientem, et quasi studiosiorem partis alterius, convicio incesset. Sensim itaque regressus domum, repente cum apparitoribus prodiit, citatumque pro tribunali voce præconis conviciatorem rapi jussit in carcerem. Comperit

deinde, Juliam uxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiumque ei suo nomine, ex auctoritate Augusti, remissum: et quamquam lætus nuncio, tamen officii duxit, quantum in se esset, exorare filiae patrem frequentibus literis, et vel utcunque merita, quicquid unquam dono dedisset, concedere. Transacto autem tribuniciae potestatis tempore, confessus tandem, nihil aliud secessu devitasse se, quam æmulationis cum Caio Lucioque suspicionem, petiit, ut sibi securo jam ab hac parte, corroboratis his, et secundum locum facile tutantibus, permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetravit: ultroque etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset.

XII. Remansit ergo Rhodi contra voluntatem; vix per matrem consecutus, ut ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto, abesset. Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque præternavigantium officia, quibus frequentabatur assidue, nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum. Et accesserunt majoris sollicitudinis causæ. Namque privignum Caium, Orienti præpositum, quum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii, comitis et rectoris ejus. Venit etiam in suspicionem, per quosdam beneficii sui centuriones, a comœatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua, et quæ tentare singulorum animos ad novas res viderentur. De qua suspitione certior ab Augusto factus, non cessavit efflagitare ali-

quem, cujuslibet ordinis, custodem factis atque dictis suis.

XIII. Equi quoque et armorum solitas exercitationes omisit : redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium et crepidas : atque in tali statu biennio fere permansit, contentior in dies, et invisior : adeo, ut imagines ejus et statuas Nemausenses subverterint; ac familiari quodam convivio mentione ejus orta, exstiterit, qui Caio polliceretur, « Confestim se, si juberet, Rhodum navigaturum, caputque exsulis (sic enim appellabatur) relaturum. » Quo præcipue, non jam metu, sed discrimine, coactus est, tam suis, quam matris impensissimis precibus reditum expostulare : impetravitque, adjutus aliquantum etiam casu. Destinatum Augusto erat, nihil super ea re, nisi ex voluntate majoris filii, statuere. Is forte tunc M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo Caio, revocatus est; verum sub conditione, ne quam partem curamve reipublicæ attingeret.

XIV. Rediit octavo post secessum anno, magna nec incerta spe futurorum, quam et ostentis et prædictionibus ab initio ætatis conceperat. Prægnans enim Livia, quum, an marem editura esset, variis captaret ominibus, ovum incubanti gallinæ subductum nunc sua, nunc ministrarum manu per vices usque eo fovit, quoad pullus insigniter cristatus exclusus est. Ac de infante Scribonius mathematicus præclara spondit : « etiam regnaturum quandoque, sed sine regio insigni; » ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. Et ingresso primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum

in Syriam, accidit, ut apud Philippos sacratæ olim victorium legionum aræ sponte subitis collucerent ignibus : et mox, quum Illyricum petens juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut summum numerum jactu ab eo ostenderent; hodieque sub aqua visuntur hi tali. Ante paucos vero quam revocaretur dies, aquila, nunquam antea Rhodi conspecta, in culmine domus ejus assedit : et pridie quam de reditu certior fieret, vestimenta mutanti tunica ardere visa est. Thrasyllum quoque mathematicum, quem ut sapientiæ professorem contubernio admoverat, tum maxime expertus est, affirmantem, nave provisa gaudium afferri; quum quidem illum, durius et contra prædicta cadentibus rebus, ut falsum et secretorum temere conscium, eo ipso momento, dum spatia una, præcipitare in mare destinasset.

XV. Romam reversus, deducto in forum filio Druso, statim e Carinis ac Pompeiana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit : totumque se ad quietem contudit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio et Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa; coactus prius ipse, Germanicum, fratris sui filium, adoptare. Nec quicquam postea pro patrefamilias egit, aut jus, quod [adoptione] amiserat, ex ulla parte retinuit. Nam neque donavit, neque manumisit : ne hereditatem quidem, aut legata percepit ulla aliter, quam ut peculio referret accepta. Nihil ex eo tempore prætermisum est ad majestatem ejus augendam, ac multo magis, post-

quam, Agrippa abdicato atque seposito, certum erat, uni spem successionis incumbere.

XVI. Data rursus potestas tribunicia in quinquennium : delegatus pacandæ Germaniæ status : Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, cum quoque adire in provincia jussi. Sed nunciata Illyrici defectione, transiit ad curam novi belli : quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, per quindecim legiones, paremque auxiliorum copiam, triennio gessit, in magnis omnium rerum difficultatibus, summaque frugum inopia. Et quamquam sæpius revocaretur, tamen perseveravit; metuens, ne vicinus et prævalens hostis instaret ultro cedentibus. Ac perseverantiæ grande pretium tulit, toto Illyrico, quod inter Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam interque Danubium flumen et sinum maris Adriatici patet, perdomito et in ditionem redacto.

XVII. Cui gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit. Nam sub id fere tempus Quinctilius Varus cum tribus legionibus in Germania periit; nemine dubitante, quin victores Germani juncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multique et magni honores. Censuerunt etiam quidam, ut Pannonicus, alii, ut Invictus, nonnulli, ut Pius cognominaretur. Sed de cognomine intercessit Augustus, eo contentum reprobans, quod se defuncto suscepturus esset. Triumphum ipse distulit, mæsta civitate clade Variana. Nihilominus Urbem prætextatus et laurea coronatus intravit; possumque in Septis tribunal, senatu adstante, conscendit,

ac medius inter duos consules cum Augusto simul sedit; unde, populo consalutato, circum templa deductus est.

XVIII. Proximo anno repetita Germania, quum animadverteret, Varianam cladem temeritate et negligentia ducis accidisse, nihil non de consilii sententia egit. Semper alias sui arbitrii, contentusque se uno, tunc præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit. Curam quoque solito exactiorem præstitit. Trajecturus Rhenum, commeatum omnem, ad certam formulam astrictum, non ante transmisit, quam consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera, ne qua deportarentur, nisi concessa, aut necessaria. Trans Rhenum vero cum vitæ ordinem tenuit, ut sedens in cespite nudo cibum caperet; sæpe sine tentorio pernoctaret; præcepta sequentis diei omnia, et si quid subiti muneris injungendum esset, per libellos daret; addita monitione, ut, de quo quisque dubitaret, se, nec alio interprete, quacunque vel noctis hora uteretur.

XIX. Disciplinam acerrime exegit, animadversionum et ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. Prælia, quamvis minimum fortunæ casibusque permetteret, aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se, subito ac nullo propellente, decideret lumen, et extingueretur; confidens, ut aiebat, ostento, sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo. Sed, re prospere gesta, non multum abfuit, quin a Bructero quodam occideretur: cui inter proximos versanti, et trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est cogitati facinoris.

XX. A Germania in urbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit; prosequentibus etiam legatis; quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ac priusquam in Capitolium flecteret, descendit e curru, seque præsidenti patri ad genua summisit. Batonem, Pannonium ducem, ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit; gratiam referens, quod se quondam, cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere. Prandium dehinc populo mille mensis, et congiarium trecenos nummos viritim dedit. Dedicavit et Concordiæ ædem, item Pollucis et Castoris, suo fratrisque nomine, de manubiis.

XXI. Ac non multo post, lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est. Et statim ex itinere revocatus, jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit, fuitque una secreto per totum diem. Scio, vulgo persuasum, quasi, egresso post secretum sermonem Tiberio, vox Augusti per cubicularios excepta sit: «Miserum populum romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.» Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palam nec dissimulanter morum ejus diritatem adeo improbasse, ut nonnunquam remissiores hilarioresque sermones, superveniente eo, abrumperet: sed expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse; vel etiam ambitione tractum, ut tali successore desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo, quin existimem, circumspectissimum et prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse;

sed vitis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes : præsertim quum et « reipublicæ causa adoptare se eum, » pro concione juraverit, et epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi romani præsidium, prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subjeci : « Vale, jucundissime Tiberi, et feliciter rem gere, *ἔμοι καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν*. Jucundissime, et, ita sim felix, vir fortissime, et dux νομιμώτατε, vale.» Et, « Ordinem æstivorum tuorum ! Ego vero, mi Tiberi, et inter tot rerum difficultates, *καὶ τοσαύτην βραθυμίαν τῶν στρατευομένων*, non potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris, existimo. Hi quoque, qui tecum fuerant, omnes confitentur, versum illum in te posse dici :

Unus homo nobis vigilando restituit rem.

Sive quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor, valde, medius fidius, Tiberium meum desidero : succurritque versus ille Homericus :

*Τούτου δ' ἐσπεμένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς ἀθρομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περὶ εἴθε νόστοι.*

Attenuatum te esse continuatione laborum, quum audio et lego, dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum : teque rogo, ut parcas tibi : ne, si te languere audierimus, et ego et mater tua expiremus, et de summa imperii sui populus romanus periclitetur. Nihil interest, valeam ipse nec ne, si tu non valebis. Deos obsecro, ut te nobis conservent, et valere nunc et semper patiantur, si non populum romanum perosi sunt. »

XXII. Excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa juvene interemto. Hunc tribunus militum custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus, ut id faceret, jubebatur. Quos codicillos, dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret; an nomine Augusti Livia, et ea, conscio Tiberio, an ignaro, dictasset. Tiberius renunciante tribuno, factum esse, quod imperasset, « neque imperasse se, et redditurum eum senatui rationem, » respondit; invidiam scilicet in præsentia vitans. Nam mox silentio rem obliteravit.

XXIII. Jure autem tribunicie potestatis coacto senatu, inchoataque allocutione, derepente velut impar dolori congemuit; utque non solum vox, sed et spiritus deficeret, optavit, ac perlegendum librum Druso filio tradidit. Illatum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, ceteris extra curiam signa agnoscentibus, recitavit per libertum. Testamenti initium fuit: « Quoniam sinistra Fortuna Caium et Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia et sextante heres esto. » Quo et ipso aucta suspicio est opinantium, successorem ascitum eum necessitate magis, quam iudicio, quando ita præfari non abstinuerit.

XXIV. Principatum, quamvis neque occupare con festim, neque agere dubitasset, et statione militum, hoc est, vi et specie dominationis, assumta, diu tamen recusavit impudentissimo mimo; nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium; nunc precantem senatum, et procumbentem sibi ad ge-

nua, ambiguis responsis et callida cunctatione suspendens : ut quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret, « Aut agat, aut desistat : » alter coram exprobraret, « Ceteros, quod polliciti sint, tarde præstare : sed ipsum, quod præstet, tarde polliceri. » Tandem quasi coactus, et querens, « miseram et onerosam injungi sibi servitute, » recepit imperium; nec tamen aliter, quam ut, depositurum se quandoque, sperareret. Ipsius verba sunt : « Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum possit videri, dare vos aliquam senectuti meæ requiem. »

XXV. Cunctandi causa erat metus undique imminetium discriminum : ut sæpe, « Iupum se auribus tenere, » diceret. Nam et servus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem domini compararat : et L. Scribonius Libo, vir nobilis, res novas clam moliebatur : et duplex seditio militum, in Illyrico et in Germania, exorta est. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem : ante omnia, ut æquarentur stipendio prætorianis. Germaniciani quidem etiam principem detrectabant, non a se datum, summaque vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam rempublicam perurgebant, quamquam obfirmate resistentem. Quem maxime casum timens, partes sibi, quas senatui liberet, tuendas in republica depoposcit : quando universæ sufficere solus nemo posset, nisi cum altero, vel etiam cum pluribus. Simulavit et valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem successionem, vel certe societatem principatus, opperiretur. Compositis seditionibus, Clementem quoque fraude deceptum redegit in potestatem.

Libonem, ne quid in novitate acerbius fieret, secundo demum anno in senatu coarguit, medio temporis spatio tantum cavere contentus. Nam et inter pontifices sacrificanti simul pro secespita plumbeum cultrum subjiendum curavit : et secretum petenti, non nisi adhibito Druso filio, dedit : dextramque obambulantis, veluti incumbens, quoad perageretur sermo, continuit.

XXVI. Verum liberatus metu, civilem admodum inter initia, ac paulo minus quam privatum egit. Ex plurimis maximisque honoribus, præter paucos et modicos non recepit. Natalem suum, plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est. Templâ, flamines, sacerdotes decerni sibi prohibuit : etiam statuas atque imagines, nisi permittente se, poni : permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra Deorum, sed inter ornamenta ædium, ponerentur. Intercessit et, quo minus in acta sua juraretur, et ne mensis september, Tiberius; october, Livius vocarentur. Prænomen quoque IMPERATORIS, cognomenque PATRIS PATRIÆ, et civicam in vestibulo coronam recusavit. Ac ne AUGUSTI quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis, nisi ad reges ac dynastas, epistolis addidit. Nec amplius quam mox tres consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usque in idus maias gessit.

XXVII. Adulationes adeo aversatus est, ut neminem senatorum, aut officii aut negotii causa, ad lecticam suam admiserit; consularem vero satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, ut caderet supinus : atque etiam, si quid in sermone, vel in con-

tinua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare, ac reprehendere, et commutare continuo. *Dominus* appellatus a quodam, denunciavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, « sacras ejus occupationes, » et rursus alium, « auctore eo senatum se adisse, » verba mutare, et pro *auctore*, *suasorem*; pro *sacris*, *laboriosas* dicere coegit.

XXVIII. Sed et adversus convicia malosque rumores, et famosa de se ac suis carmina, firmus ac patiens, subinde jactabat, « in civitate libera linguam mentemque liberam esse debere. » Et quondam, senatu cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitante, « Non tantum, inquit, otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis : omnium inimicitiae hoc prætextu ad nos deferrentur. » Exstat et sermo ejus in senatu percivilis : « Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut rationem factorum meorum dictorumque reddam : si perseveraverit, invicem eum odero. »

XXIX. Atque hæc eo nobiliora erant, quod ipse in appellandis venerandisque et singulis, et universis, prope excesserat humanitatis modum. Dissentiens in curia a Q. Haterio, « Ignoscas, inquit, rogo, si quid adversus te liberius, sicut senator, dixero. » Et inde omnes alloquens : « Dixi et nunc, et sæpe alias, P. C., bonum et salutarem principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, senatui servire debere, et universis civibus sæpe, et plerumque etiam singulis : neque id dixisse me pœnitet, et bonos et æquos et faventes vos habui dominos, et adhuc habeo. »

XXX. Quin etiam speciem libertatis quamdam induxit, conservatis senatui ac magistratibus et majestate pristina et potestate : neque tam parvum quicquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur. De vectigalibus ac monopolis, de extruendis reficiendisve operibus, etiam de legendo vel exactorando milite, ac legionum et auxiliorum descriptione; denique, quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid et qua forma regum litteris rescribi placeret. Præfectum alæ, de vi et rapinis reum, causam in senatu dicere coegit. Nunquam curiam nisi solus intravit : lectica quondam introductus æger, comites a se removit.

XXXI. Quædam adversus sententiam suam decerni, ne questus quidem est. Negante eo, destinatos magistratus abesse oportere, ut præsentibus honori acquiescerent, prætor designatus liberam legationem impetravit. Iterum censente, ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris esset. Quum senatusconsultum per discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cetera quoque non nisi per magistratus, et jure ordinario agebantur; tanta consulum auctoritate, ut legati ex Africa adierint eos, querentes, trahi se a Cæsare, ad quem missi forent. Nec mirum, quum palam esset, ipsum quoque eisdem et assurgere, et decedere via.

XXXII. Corripuit consulares exercitibus præpositos, quod non de rebus gestis senatui scriberent, quodque

de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent : quasi non omnium tribuendorum ipsi jus haberent. Prætozem collaudavit, quod, honore inuito, consuetudinem antiquam retulisset, de majoribus suis pro concione memorandi. Quorundam illustrium exsequias usque ad rogam frequentavit. Parem moderationem minoribus quoque et personis et rebus exhibuit. Quum Rhodiorum magistratus, quod literas publicas sine subscriptione ad se dederant, evocasset, ne verbo quidem insectatus, ac tantummodo jussos subscribere, remisit. Diogenes grammaticus, disputare sabbatis Rhodi solitus, venientem eum, ut se extra ordinem audiret, non admiserat, ac per servulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romæ, salutandi sui causa pro foribus adstantem, nihil amplius, quam ut post septimum annum rediret, admonuit. Præsibus, onerandas tributo provincias suadentibus, rescripsit : « Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. »

XXXIII. Paulatim principem exseruit, præstititque : etsi varium diu, commodiorem tamen sæpius, et ad utilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. Itaque et constitutiones quasdam senatus rescidit, et magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque juxtim, vel ex adverso in parte primori : et si quem reorum elabi gratia, rumor esset, subitus aderat, judicesque aut e plano, aut e quæstoris tribunali, legum et religionis, et noxæ, de qua cognoscerent, admonebat : atque etiam, si qua in publicis moribus desidia aut mala consuetudine labarent, corrigenda suscepit.

XXXIV. Ludorum ac munerum impensas corripuit, incedibus scenicarum recisis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos xxx milibus nummum venisse, graviter conquestus, adhibendum suppellectili modum censuit, annonamque macelli, senatus arbitratu, quotannis temperandam; dato ædilibus negotio popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sicerent. Et ut parcimoniam publicam exemplo quoque juvaret, solemnibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumque aprum; affirmans, omnia eadem habere, quæ totum. Quotidiana oscula prohibuit edicto: item, strenarum commercium ne ultra kalendas januarias exerceretur. Consuerat quadruplam strenam, et de manu, reddere: sed offensus, interpellari se toto mense ab iis, qui potestatem sui die festo non habuissent, ultra non tulit.

XXXV. Matronas prostratæ pudicitia, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui, more majorum, de communi sententia coercerent, auctor fuit. Equiti romano iurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum, ante juraverat. Feminae famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant: et ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda senatusconsulto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant. Eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset,

exsilio affecit. Senatori latum clavum ademit, quum cognovisset, sub kalendas julias demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in urbe conduceret. Alium et quæstura removit, quod uxorem, pridie sortitione ductam, postridie repudiasset.

XXXVI. Externas cerimonias, ægyptios judaicosque ritus compescuit; coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Judæorum juventutem, per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli distribuit: reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes, urbe summovit, sub pœna perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent. Expulit et mathematicos: sed deprecantibus, ac, se artem desituros, promittentibus, veniam dedit.

XXXVII. In primis tuendæ pacis a grassaturis ac latrociniiis seditionumque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romæ castra constituit, quibus prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, et per hospitia dispersæ, continerentur. Populares tumultus et ortos gravissime coercuit, et, ne orirentur, sedulo cavit. Cæde in theatro per discordiam admissa, capita factionum et histriones, propter quos dissidebatur, relegavit; nec, ut revocaret, unquam ullis populi precibus potuit evinci. Quum Pollentina plebs funus cujusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus; cohortem ab urbe, et aliam a Cottii regno, dissimulata itineris causa, detectis repente armis, concinentibusque signis, per diversas portas in oppidum immisit; ac partem majorem plebei ac decurionum in

perpetua vincula coniecit. Abolevit et vim moremque asyloꝝ, quæ usquam erant. Cyzicenis, in cives romanos violentius quædam ausis, publice libertatem ademitt, quam Mithridatico bello meruerant. Hostiles motus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compeſcuit : nec per eos quidem, nisi cunctanter et necessario. Reges infestos suspectosque comminationibus magis et querelis, quam vi, repressit. Quosdam, per blanditias atque promissa extractos ad se, non remisit : ut Maroboduum Germanum, Rhaseupolim Thracem, Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in formam provinciæ redegit.

XXXVIII. Biennio continuo post adeptum imperium, pedem porta non extulit : sequenti tempore, præterquam in propinqua oppida, et quæ longissime, Antiochenus, nusquam abfuit : idque perraro et paucos dies, quamvis, provincias quoque et exercitus revisurum se, sæpe pronunciasset, et prope quotannis profectionem præpararet, vehiculis comprehensis, comitatibus per municipia et colonias dispositis, ad extremum vota profectu et reditu suo suscipi passus, ut vulgo jam per jocum *Callippides* vocaretur : quem cursitare, ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio græco notatum est.

XXXIX. Sed orbatus utroque filio, quorum Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat, secessum Campaniæ petiit, constanti et opinione et sermone pæne omnium, quasi neque rediturus unquam, et cito mortem etiam obiturus : quod paulo minus utrumque evenit. Nam neque Romam amplius rediit ; sed et paucos post dies juxta Terracinam in prætorio, cui Spelunçæ nomen est,

incœnante eo, complura et ingentia saxa fortuitu superne delapsa sunt : multisque convivarum et ministrorum elisis, præter spem evasit.

XL. Peragrata Campania, quum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam causam profectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit; præcipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus, et profundo maris. Statimque revocante assidua obstestatione populo, propter cladem, qua apud Fidenas supra xx hominum millia, gladiatorio munere, amphitheatri ruina perierant, transiit in continentem, potestatemque omnibus adeundi sui fecit : tanto magis, quod urbe egrediens, ne quis se interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes summovertat.

XLI. Regressus in insulam, reipublicæ quidem curam usque adeo abiecit, ut postea non decurias equitum unquam supplerit; non tribunos militum præfectosque, non provinciarum præsides ullos mutaverit; Hispaniam et Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit; Armeniam a Parthis occupari, Mœsiam a Dacis Sarmatisque, Gallias a Germanis vastari neglexerit; magno dedecore imperii, nec minori discrimine.

XLII. Ceterum secreti licentiam nactus, et quasi civitatis oculis remotus, cuncta simul vitia, male diu dissimulata, tandem profudit : de quibus singillatim ab exordio referam. In castris, tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio, *Biberius*; pro Claudio, *Caldius*; pro Nerone, *Mero* vocabatur. Postea princeps, in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio

Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam urbis confestim detulit: codicillis quoque « jucundissimos et omnium horarum amicos » professus. Sestio Gallo, libidinoso ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, et a se ante paucos dies apud senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret, utque nudis puellis ministrantibus cœnaretur. Ignotissimum quæsturæ candidatum nobilissimis anteposuit, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram. Asellio Sabino sestertia ducenta donavit pro dialogo, in quo boleti, et ficedulæ, et ostreæ, et turdi certamen induxerat. Novum denique officium instituit a voluptatibus, præposito equite romano, T. Cæsonio Prisco.

XLIII. Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum: in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges, monstrosique concubitus repertoies, quos *spintrias* appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut aspectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit, librisque Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar imperatæ schemæ deesset. In silvis quoque ac nemoribus passim Venereos locos commentus est, prostantesque per antra et cavas rupes, ex utriusque sexus pube, Paniscorum et Nympharum habitu: palamque jam et vulgo nomine insulæ abutentes, *Caprineum* dictitabant.

XLIV. Majore adhuc et turpiore infamia flagravit,

vix ut referri audirive, nedum credi fas sit : quasi pueros primæ teneritudinis, quos *pisciculos* vocabat, institueret, ut natanti sibi inter femina versarentur, ac luderent, lingua morsuque sensim appetentes; atque etiam, quasi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulsos, inguini, ceu papillæ, admoveret; pronior sane ad id genus libidinis et natura et ætate. Quare Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut, si argumento offenderetur, decies pro ea sestertium acciperet, non modo prætulit, sed et in cubiculo dedicavit. Fertur etiam in sacrificando quondam, captus facie ministri acerram præferentis, nequissime abstinere, quin, pæne vixdum re divina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simulque fratrem ejus tibicinem; atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrarant, crura fregisse.

XLV. Feminarum quoque, et quidem illustrium, capitibus quanto opere, solitus sit illudere, evidentissime apparuit Malloniæ cujusdam exitu, quam perductam, et quicquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus objecit; ac ne ream quidem interpellare desiit, « Ecquid pæniteret : » donec ea, relicto judicio, domum se abripuit, ferroque transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido seni clare exprobrata. Unde nota in Atellanico exodio, proximis ludis assensu maximo excepta, percrebruit : « Hircum vetulum capreis naturam ligurire. »

XLVI. Pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque nunquam salario, cibariis tantum, sustentavit; una modo liberalitate, ex indulgentia

vitrici, prosecutus, quum, tribus classibus factis pro dignitate cujusque, primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed gratorum appellabat.

XLVII. Princeps neque opera ulla magnifica fecit (nam et quæ sola susceperat, Augusti templum, restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit), neque spectacula omnino edidit; et iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissime interfuit, ne quid exposceretur, utique postquam comædum Actium coactus est manumittere. Paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opem ferret, negavit, se aliis subventurum, nisi senatui justas necessitatum causas probassent. Quo pacto plerosque modestia et pudore deteruit: in quibus Hortalum, Q. Hortensii oratoris nepotem, qui, permodica re familiari, auctore Augusto, quatuor liberos tulerat.

XLVIII. Publice munificentiam bis omnino exhibuit: proposito millies sestertio gratuito in triennii tempus; et rursus, quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cælio deflagrarant, pretio restituto. Quorum alterum, magna difficultate nummaria populo auxilium flagitante, coactus est facere, quum per senatusconsultum sanxisset, ut feneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem æris alieni statim solverent, nec res expediretur: alterum, ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æstimavit, ut montem Cælium, appellatione mutata, vocari Augustum jusserit. Militi post duplicata ex Augusti testamento legata nihil unquam largitus est, præterquam singula mil-

lia denariorum prætorianis, quod Sejano se non accomodassent; et quædam munera Syriacis legionibus, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent: atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans. Ne provincias quidem ulla liberalitate sublevavit; excepta Asia, disjectis terræ motu civitatibus.

XLIX. Procedente mox tempore etiam ad rapinas convertit animum. Satis constat, Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu et angore ad fastidium vitæ ab eo actum, et ut ne quo, nisi ipso herede, moreretur: condemnatam et generosissimam feminam Lepidam, in gratiam Quirini consularis prædivitis et orbi, qui dimissam eam e matrimonio post vicesimum annum veneni olim in se comparati arguebat: præterea Galliarum et Hispaniarum, Syriæque et Græciæ principes confiscatos ob tam leve et tam impudens calumniarum genus, ut quibusdam non aliud sit objectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent: plurimis etiam civitatibus et privatis veteres immunitates, et jus metallorum ac vectigalium adempta; sed et Vononem, regem Parthorum, qui pulsus a suis, quasi in fidem populi romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia, et occisum.

L. Odium adversus necessitudines in Druso primum fratre detexit, prodita ejus epistola, qua secum de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat; deinde et in reliquis. Juliæ uxori tantum abfuit, ut relegatæ, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex constitutione patris uno oppido clausam,

domo quoque egredi, et commercio hominum frui, veterit : sed et peculio concesso a patre præbitisque annuis fraudavit, per speciem publici juris, quod nihil de his Augustus testamento cavisset. Matrem Liviam gravatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, et congressum ejus assiduum vitavit, et longiores secretioresque sermones, ne ejus consiliis, quibus tamen interdum et egere et uti solebat, regi videretur. Tulit etiam perindigne, actum in senatu, ut titulis suis, quasi Augusti, ita et Liviae filius, adjiceretur. Quare non *parentem patriæ* appellari, non ullum insignem honorem recipere publice passus est. Sed et frequenter admonuit, «majoribus nec feminæ convenientibus negotiis abstineret :» præcipue, ut animadvertit, incendio juxta ædem Vestæ et ipsam intervenisse, populumque et milites, quo enixius opem ferrent, adhortatam, sicut sub marito solita esset.

LI. Dehinc ad similitudinem usque processit, hac, ut ferunt, de causa. Instanti sæpius, ut civitate donatum in decurias allegeret, negavit, alia se conditione alleciturum, quam si pateretur ascribi albo, «extortum id sibi a matre.» At illa commota, veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate et intolerantia morum ejus, e sacrario protulit atque recitavit. Hos et custoditos tandem, et exprobratos tam infeste, adeo graviter tulit, ut quidam putent, inter causas secessus hanc ei vel præcipuam fuisse. Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis : ac mox neque ægræ adesse curavit ; defunctamque, et, dum ad-

ventus sui spem facit, complurium dierum mora, corrupto demum et tabido corpore funeratam prohibuit consecrari, quasi id ipsa mandasset. Testamentum quoque ejus pro irrito habuit, omnesque amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris sui curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit; uno ex his, equestris ordinis viro, et in antliam condemnato.

LII. Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptivum Germanicum, patria caritate dilexit; alterius vitii infensus. Nam Drusus animi fluxioris, remissiorisque vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est; sed tantum non statim a funere ad negotiorum consuetudinem rediit, justitio longiore inhibito. Quin et Iliensium legatis paulo serius consolantibus, quasi oblitterata jam doloris memoria, irridens, « Se quoque, respondit, vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent. » Germanico usque adeo obtrectavit, ut et præclara facta ejus pro supervacuis elevaret, et gloriosissimas victorias, ceu damnosas reipublicæ, increparet. Quod vero Alexandriam, propter immensam et repentinam famem, inconsulto se adisset, questus est in senatu. Etiam causa mortis fuisse ei per Cn. Pisonem, legatum Syriæ, creditur: quem mox hujus criminis reum, putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent. Per quæ multifariam inscriptum, et per noctes celeberrime acclamatum est: « Redde Germanicum. » Quam suspicionem confirmavit ipse postea, conjugæ etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.

LIII. Nurum Agrippinam, post mariti mortem libe-

rius quiddam questam, manu apprehendit, græcoque versu, «Si non dominaris, inquit, filiola, injuriam te accipere existimas?» nec ullo mox sermone dignatus est. Quondam vero inter cœnam porrecta a se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit, simulans, veneni se crimine arcessi; quum præstructum utrumque consulto esset, ut et ipse tentandi gratia offerret, et illa quasi certissimum exitium caveret. Novissime calumniatus, modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugere velle, Pandateriam relegavit; conviciantique oculum per centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum jussit. Sed et perseverantem, atque ita absumentam, criminosisime insectatus est, quum diem quoque natalem ejus inter nefastos referendum suavisset. Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit: proque tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, et Capitolino Jovi donum ex auro sacraretur.

LIV. Quum ex Germanico tres nepotes, Neronem et Drusum et Caium, ex Druso unum, Tiberium, haberet; destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis, Neronem et Drusum, P. C. commendavit: diemque utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit. Sed ut comperit, ineunte anno, pro eorum quoque salute publice vota suscepta, egit cum senatu, «Non debere talia præmia tribui, nisi expertis et ætate provectoris:» atque ex eo, patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variaque fraude inductos, ut et concitarentur ad convicia, et concitati

proderentur, accusavit per literas, amarissime congestis etiam probris, et judicatos hostes fame necavit: Neronem, in insula Pontia; Drusum, in ima parte Palatii. Putant, Neronem ad voluntariam mortem coactum, quum ei carnifex, quasi ex senatus auctoritate missus, laqueos et uncos ostentaret; Druso autem adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcita tentaverit mandere: amborum sic reliquias dispersas, ut vix quandoque colligi possent.

LV. Super veteres amicos ac familiares, viginti sibi e numero principum civitatis depoposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres incolumes præstitit: ceteros, alium alia de causa, perculit. Inter quos cum plurimorum clade Ælium Sejanum, quem ad summam potentiam non tam benevolentia provexerat, quam ut esset, cujus ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret, nepotemque suum ex Druso filio naturalem ad successionem imperii confirmaret.

LVI. Nihilo lenior in convictores Græculos, quibus vel maxime acquiescebat. Zenonem quemdam, exquisitius sermocinantem, quum interrogasset, « quænam illa tam molesta dialectos esset, » et ille respondisset, « Doridem; » relegavit Cinarium, existimans, exprobratum sibi veterem secessum, quod Dorice Rhodii loquantur. Item quum soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cenam proponere, comperissetque, Seleucum grammaticum a ministris suis perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire; primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit.

LVII. Sæva ac lenta natura ne in puero quidem latuit : quam Theodorus Gadareus, rhetoricæ præceptor, et perspexisse primus sagaciter, et assimulasse aptissime visus est, subinde in objurgando appellans eum *πυλὸν αἵματι πεφουρμένον*. Sed aliquanto magis in principe eluxit, etiam inter initia, quum adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret. Scurram, qui, prætereunte funere, clare mortuo mandarat, ut nunciaret Augusto, « nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset, » attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verum referre. Nec multo post in senatu Pompeio cuidam, equiti romano, quidam perneganti, dum vincula minatur, affirmavit fore, « ut ex Pompeio Pompeianus fieret; » acerba cavillatione simul hominis nomen incessens, veteremque partium fortunam.

LVIII. Sub idem tempus, consulente prætore, an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit, et atrocissime exercuit. Statuæ quidam Augusti caput demserat, ut alterius imponeret. Acta res in senatu, et quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paulatim hoc genus calumniæ eo processit, ut hæc quoque capitalia essent : circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestimenta mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse, dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse. Periit denique et is, qui honorem in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti et Augusto olim erant.

LIX. Multa præterea, specie gravitatis ac morum

corrigendorum, sed et magis naturæ obtemperans, ita sæve et atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque et præsentia exprobrarent, et futura denunciarent mala:

Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?

Dispeream, si te mater amare potest.

Non es eques. Quare? non sunt tibi millia centum:

Omnia si quæras, et Rhodos exsilium est.

Aurea mutasti Saturni secula, Cæsar:

Incolumi nam te ferrea semper erunt.

Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem:

Tam bibit hunc avidè, quam bibit ante merum.

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam:

Et Marium, si vis, aspice, sed reducem:

Nec non Antoni, civilia bella moventis,

Nec semel infectas aspice cæde manus:

Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo,

Ad regnum quisquis venit ab exsilio.

Quæ primo, quasi ab impatientibus remediorum, ac non tam ex animi sententia, quam bile et stomacho, fingerentur, volebat accipi; dicebatque identidem: «Oderint, dum probent.» Dein, vera plane certa que esse, ipse fecit fidem.

LX. In paucis diebus, quam Capreas attigit, piscatori, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem jussit, territus, quod is a tergo insulæ per aspera et devia erepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam, quod non et locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os imperavit. Militem prætorianum, ob surreptum e viridario pavonem, capite puniit. In quodam itinere, lectica, qua vehebatur, vepribus im-

pedita, exploratorem viæ, primarum cohortium centurionem, stratum humi pæne ad necem verberavit.

LXI. Mox in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia : quum primo matris, deinde nepotum et nurus, postremo Sejani familiares atque etiam notos persequeretur. Post cujus interitum vel sævissimus existit; quo maxime apparuit, non tam ipsum a Sejano concitari solitum, quam Sejanum quærenti occasiones subministrasse. Etsi commentario, quem de vita sua summatim breviterque composuit, ausus est scribere, « Sejanum se punisse, quod comperisset, furere adversus liberos Germanici filii sui : » quorum ipse alterum, suspecto jam, alterum, oppresso demum Sejano, interemit. Singillatim crudeliter facta ejus exsequi, longum est : genera, velut exemplaria, sævitiae enumerare, sat erit. Nullus a pœna hominum cessavit dies, ne religiosus quidem ac sacer. Animadversum in quosdam ineunte anno novo : accusati damnatique multi cum liberis atque etiam uxoribus suis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent : decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam et testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Objectum est poetæ, quod in tragœdia Agamemnonem probris lacerasset : objectum et historico, quod « Brutum Cassiumque ultimos Romanorum » dixisset : animadversum est statim in auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur ante aliquot annos, etiam Augusto audiente, recitata. Quibusdam, custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis et colloquii usus. Citati

ad causam dicendam partim se domi vulneraverunt, certi damnationis, sed ad vexationem ignominiamque vitandam; partim in media curia venenum hauserunt, et tamen colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantesque in carcerem rapti. Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus, uncoque tractus; viginti uno die, [abjecti tractique sunt] inter eos feminae et pueri. Immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut, quum audisset, unum e reis, Carnulium nomine, anticipasse eam, exclamaverit: « Carnulius me evasit. » Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam poenae maturitatem respondit: « Nondum tecum in gratiam redii. » Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui et ipse affuerit, interrogatum eum subito et clare a quodam nano, adstante mensæ inter copreas, cur Paconius majestatis reus tam diu viveret, statim quidem petulantiam linguæ objurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse senatui, ut de poena Paconii quamprimum statueret.

LXII. Auxit intenditque sævitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi: quem quum morbo et intemperantia perisse existimaret, ut tandem veneno interentum fraude Livillæ uxoris atque Sejani cognovit, neque tormentis neque supplicio cujusquam pepercit; soli huic cognitioni adeo per totos dies deditus et intentus, ut Rhodiensem hospitem, quem familiaribus litteris Romam evocarat, advenisse sibi nunciatum, torqueri sine mora jusserit, quasi aliquis ex necessariis quæstioni

adesset; deinde, errore detecto, et occidi, ne divulgaret injuriam. Carnificinæ ejus ostenditur locus Capreis, unde damnatos, post longa et exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare jubebat, excipiente classiariorum manu, et contis atque remis elidente cadavera, ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam, ut larga meri portione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet. Quod nisi eum et mors prævenisset, et Thrasyllus consulto, ut aiunt, differre quædam spe longioris vitæ compulisset; plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur; quum et Caium suspectum haberet, et Tiberium, ut ex adulterio conceptum, aspernaretur. Nec abhorret a vero: namque identidem «felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum exstitisset.»

LXIII. Quam inter hæc non modo invisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque, atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia sunt. Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit. Vicina vero urbi oracula etiam disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum sortium territus, destitit, quum obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relata rursus ad templum. Unum et alterum consulares, oblatis provinciis, non ausus a se dimittere, usque eo detinuit, donec successores post aliquot annos præsentibus daret: quum interim, manente officii titulo, etiam delegaret plurima assidue, quæ illi per legatos et adjuutores suos exsequenda curarent.

LXIV. Nurus ac nepotes nunquam aliter post damnationem, quam catenatos, obsutaque lectica, loco movit; prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam, vel consistere.

LXV. Sejanum, res novas molientem, quamvis jam et natalem ejus publice celebrari, et imagines aureas coli passim videret, vix tandem, et astu magis ac dolo, quam principali auctoritate, subvertit. Nam primo, ut a se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumit in quinto consulatu, quem longo intervallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac tribunicie potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda miserandaque oratione; quum inter alia P. C. precaretur, «mitterent alterum e consulibus, qui se senem et solum in conspectum eorum cum aliquo militari praesidio perduceret.» Sic quoque diffidens, tumultumque metuens, Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romae continebat, solvi, si res posceret, ducemque constitui praeeperat. Aptatis etiam navibus, ad quascunque legiones meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem signa, quae, ne nuntii morarentur, tolli procul, ut quidque factum foret, mandaverat. Verum, et oppressa conjuratione Sejani, nihilo securior aut constantior, per novem proximos menses non egressus est villa, quae vocatur Jovis.

LXVI. Urebant insuper anxiam mentem varia undique convicia, nullo non damnatorum omne probri generis coram, vel per libellos in orchestra positos, ingerente. Quibus quidem diversissime afficiebatur: modo, ut praepudore ignota et celata cuncta cuperet; nonnunquam

eadem contemneret, et proferret ultro, atque vulgaret. Quin et Artabani, Parthorum regis, laceratus est litteris, parricidia et cædes et ignaviam et luxuriam objicientis, monentisque, ut voluntaria morte maximo justissimoque civium odio quamprimum satisfaceret.

LXVII. Postremo semetipse pertæsus, tali epistolæ principio tantum non summam malorum suorum professus est: « Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam, hoc tempore, dii me deæque pejus perdant, quam quotidie perire sentio, si scio. » Existimant quidam, præscisse hæc eum peritia futurorum: ac multo ante, quanta se quandoque acerbitas et infamia maneret, prospexisse; ideoque, ut imperium inierit, et PATRIS PATRIÆ appellatorem, et, ne in acta sua juraretur, obstinatissime recusasse, ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. Quod sane et ex oratione ejus, quam de utraque re habuit, colligi potest: vel quum ait, « Similem se semper sui futurum, nec unquam mutaturum mores suos, quamdiu sanæ mentis fuisset: sed exempli causa cavendum esse, ne se senatus in acta cujusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. » Et rursus: « Si quando autem, inquit, de moribus meis, devotoque vobis animo dubitaveritis (quod priusquam eveniat, opto, ut me supremus dies huic mutatæ vestræ de me opinioni eripiat), nihil honoris adjiciet mihi PATRIS PATRIÆ appellatio; vobis autem exprobrabit aut temeritatem delati mihi ejus cognominis, aut inconstantiam contrarii de me judicii. »

LXVIII. Corpore fuit amplo atque robusto: statura,

quæ justam excederet. Latus ab humeris et pectore : ceteris quoque membris usque ad imos pedes æqualis et congruens : sinistra manu agilior ac validior : articulis ita firmis, ut recens et integrum malum digito terebraret; caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium summissiore, ut cervicem etiam obtegeret, quod gentile in illo videbatur : facie honesta : in qua tamen crebri et subiti tumores, cum prægrandibus oculis, et qui, quod mirum esset, noctu etiam et in tenebris viderent, sed ad breve, et quum primum a somno patuissent; deinde rursum hebescebant. Incedebat cervice rigida et obstipa : adducto fere vultu, plerumque tacitus : nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantia plena, et animadvertit Augustus in eo, et excusare tentavit sæpe apud senatum ac populum, professus, « naturæ vitia esse, non animi. » Valetudine prosperrima usus est, tempore quidem principatus pæne toto prope illæsa; quamvis a tricesimo ætatis anno arbitrato eam suo rexerit, sine adjumento consiliove medicorum.

LXIX. Circa deos ac religiones negligentior; quippe addictus mathematicæ, plenusque persuasionis, cuncta fato agi. Tonitrua tamen præter modum expavescerat: et turbatiore cælo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.

LXX. Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit. In oratione latina secutus est Corvinum Messa-

lam, quem senem adolescens observaverat. Sed affectatione et morositate nimia obscurabat stilum : ut aliquanto ex tempore, quam a cura, præstantior haberetur. Composuit et carmen lyricum, cujus est titulus, *Conquestio de L. Cæsaris morte*. Fecit et græca poemata, imitatus Euphorionem, et Rhianum, et Parthenium, quibus poetis admodum delectatus, scripta eorum et imagines publicis bibliothecis inter veteres et præcipuos auctores dedicavit : et ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. Maxime tamen curavit notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias atque derisum. Nam et grammaticos, quod genus hominum præcipue, ut diximus, appetebat, ejusmodi fere quæstionibus experiebatur : « Quæ mater Hecubæ : Quod Achilli nomen inter virgines fuisset : Quid Sirenes cantare sint solitæ? » Et quo primum die, post excessum Augusti, curiam intravit ; quasi pietati simul ac religioni satisfactorius, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verum sine tibicine, supplicavit, ut ille olim in morte filii.

LXXI. Sermone græco, quamquam alias promptus et facilis, non tamen usquequaque usus est, abstinuitque maxime in senatu, adeo quidem, ut *monopolium* nominaturus, prius veniam postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset. Atque etiam in quodam decreto patrum, quum *ἔμβλημα* recitaretur, commutandam censuit vocem, et pro peregrina nostratem requirendam, aut, si non reperiretur, vel pluribus, et per ambitum verborum, rem enunciandam. Militem quoque græce testimonium interrogatum, nisi latine respondere vetuit.

LXXII. Bis omnino toto secessus tempore, Romam

redire conatus, semel triremi usque ad proximos Naumachiae hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes summovertet; iterum Appia usque ad septimum lapidem, sed prospectis modo, nec aditis urbis mœnibus, rediit; primo, incertum, qua de causa; postea, ostento territus. Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, quum consumptum a formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret. Rediens ergo propere Campaniam, Asturæ in languorem incidit: quo paulum levatus Circeios pertendit. Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus ludis non tantum interfuit, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit: statimque latere convulso, et, ut exæstuarat, afflatus aura, in graviorem recidit morbum. Sustentavit tamen aliquamdiu, quamvis Misenum usque devectus nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione. Nam Chariclem medicum, quod comæatu abfuturus, e convivio egrediens, manum sibi osculandi causa apprehendisset, existimans tentatas ab eo venas, remanere ac recumbere hortatus est, cœnamque protraxit. Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellaret.

LXXIII. Interim, quum in actis senatus legisset, « dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, » de quibus strictim, et nihil aliud, quam nominatos ab indice, scripserat; pro contempto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinavit, non temere quicquam,

nisi ex tuto ausurus. Sed et tempestatibus, et ingravescente vi morbi retentus, paullo post obiit in villa Lucullana, octavo et septuagesimo ætatis anno, tertio et vicesimo imperii, septimo decimo kalendas aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino, consulibus. Sunt, qui putent, venenum ei a Caio datum lentum atque tabificum. Alii, in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum : nonnulli, pulvinum injectum, quum extractum sibi deficienti anulum mox respiscens requisisset. Seneca eum scribit, intellecta defectione, exemptum anulum, quasi alicui traditurum, parumper tenuisse : dein rursus aptasse digito, et, compressa sinistra manu, jacuisse diu immobilem : subito vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul a lectulo, deficientibus viribus, concidisse.

LXXIV. Supremo natali suo Apollinem Temenitem, et amplitudinis et artis eximiæ, advectum Syracusis, ut in bibliotheca templi novi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, « Non posse se ab ipso dedicari. » Et ante paucos, quam obiret, dies turris Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miseni cinis e favilla et carbonibus, ad calfaciendum triclinium illatis, extinctus et jam diu frigidus exarsit repente prima vespera, atque in multam noctem pertinaciter luxit.

LXXV. Morte ejus ita lætatus est populus, ut ad primum nuncium discurrentes, pars, « Tiberium in Tiberim, » clamitarent ; pars « Terram matrem deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent : » alii uncum et Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinae crudelitatis etiam

recenti atrocitate. Nam quum senatusconsulto cautum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit, ut quorundam supplicii dies is esset, quo nunciatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia, absente adhuc Caio, nemo exstabat, qui adiri interpellarique posset, custodes, ne quid adversus constitutum facerent, strangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia, quasi etiam post mortem tyranni sævitia permanente. Corpus ut moveri a Miseno cœpit, conclamantibus plerisque, «Atellam potius deferendum, et in Amphitheatro semiustulandum,» Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.

LXXVI. Testamentum duplex ante biennium fecerat : alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo ; obsignaveratque etiam humillimorum signis. Eo testamento heredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, et Tiberium ex Druso, nepotes ; substituitque invicem. Dedit et legata plerisque : inter quos virginibus Vestalibus, sed et militibus universis, plebique romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.

CALIGULA.

I. **G**ERMANICUS, C. Cæsaris pater, Drusi et minoris Antoniaë filius, a Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio ante, quam per leges liceret, et post eam consulatum statim gessit : missusque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nunciato, legiones universas, imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes, et sibi summam reipublicæ deferentes, incertum, constantia an pietate majore, compescuit; atque, hoste mox devicto, triumphavit. Consul deinde iterum creatus, ac prius quam honorem iniret, ad componendum Orientis statum expulsus, quum Armeniaë regem devicisset, Cappadociam in provinciæ formam rede-gisset, annum ætatis agens quartum et tricesimum diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, et spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est : cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.

II. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis : qui sub idem tempus Syriaë præpositus, nec dissimulans, offendendum sibi aut patrem, aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam

ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ, ut Romam rediit, pæne discerptus a populo, a senatu capitis damnatus est.

III. Omnes Germanico corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse, satis constat: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens, benevolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum et efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta, assidua equi vectatione post cibum. Hostem cominus sæpe percussit. Oravit causas etiam triumphalis; atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comædias græcas. Domi forisque civilis: libera ac fœderata oppida sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat. Cæсорum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, et comportare primus aggressus est. Obtrectatoribus etiam, qualescunque et quantacunque de causa nactus esset, lenis adeo et innoxius, ut Pisoni, decreta sua rescindenti, clientelas divexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam beneficiis quoque et devotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut et amicitiam ei more majorum renunciaret, mandaretque domesticis ultionem, si quod sibi accideret.

IV. Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus et dilectus a suis, ut Augustus (omitto enim

necessitudines reliquas), diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit : sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve nonnunquam eum discrimen vitæ adisse : e Germania vero, post compressam seditionem, revertenti, prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronunciatum esset, ut duæ tantummodo exirent ; populi autem romani sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse se.

V. Tamen longe majora et firmiora de eo judicia in morte ac post mortem exstiterē. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin et barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore, consensisse ad inducias : regulos quosdam barbam posuisse, et uxorū capita rasisse, ad indicium maximi luctus : regum etiam regem et exercitatione venandi, et convictu megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.

VI. Romæ quidem, quum ad primam famam valetudinis attonita et mœsta civitas sequentes nuncios opperiretur, et repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisset tandem percrebuisset, passim cum luminibus et victimis in Capitolium concursus est, ac pæne revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere morarentur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, « SALVA ROMA, SALVA PATRIA, SALVUS EST GERMANICUS! » Sed ut

demum, fato functum, palam factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumque defuncti etiam atrocitas insequentium temporum, cunctis nec temere opinantibus, reverentia ejus ac metu repressam Tiberii sævitiam, quæ mox eruperit.

VII. Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ et Juliæ filiam, et ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens, insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitoline Veneris Livia dedicavit. Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur. Ceteri superstites patri fuerunt. Tres sexus feminini, Agrippina, Drusilla, Livilla, continuo triennio natæ: totidem mares, Nero et Drusus et C. Cæsar. Neronem et Drusum senatus, Tiberio criminante, hostes judicavit.

VIII. C. Cæsar natus est pridie kalendas septembres, patre suo et C. Fonteio Capitone consulibus. Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit; Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino, supra Confluentes: addit etiam pro argumento, aras ibi ostendi, inscriptas, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM. Versiculi, imperante mox eo divulgati, apud libernas legiones procreatum indicant:

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Jam designati principis omen erat.

Ego in actis, Antii editum, invenio. Gætulicum refellit Plinius, quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis gloriosique principis aliquid etiam ex urbe Her-

cūli sacra sumeret : abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Cæsar; de cuius amabili pueritia immaturoque obitu supra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriae mandarunt, Germanicum exacto consulatu in Galliam missum, consentiunt, jam nato Caio. Nec Plinii opinionem inscriptio aræ quicquam adjuverit, quum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit, et qualiscunque partus, sine ullo sexus discrimine, *puerperium* vocetur; quod antiqui etiam puellas *pueras*, sicut et pueros *puellos* dictarent. Exstat et Augusti epistola, ante paucos, quam obiret, menses ad Agrippinam neptem ita scripta de Caio hoc (neque enim quisquam jam alius infans nomine pari tunc supererat): « Puerum Caium quindodecimo kalendas junii, si dii volent, ut ducerent Talarus et Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex servis meis medicum, quem, scripsi Germanico, si vellet, ut retineret. Valebis, mea Agrippina, et dabis operam, ut valens pervenias ad Germanicum tuum. » Abunde arbitror parere, non potuisse ibi nasci Caium, quo prope bimulus demum perductus ab Urbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc elevant; et eo facilius, quod hi sine auctore sunt. Sequenda est igitur, quæ sola [actorum] restat [et] publici instrumenti auctoritas: præsertim quum Caius Antium, omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter, quam natale solum, dilexerit; tradaturque etiam, sedem ac domicilium imperii tædio Urbis transferre eo destinasse.

IX. Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore et gratia valuerit, maxime cognitum est, quum post excessum Augusti tumultuantes, et in furorem usque præcipites, solus haud dubie conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt, quam ablegari eum ob seditionis periculum, et in proximam civitatem demandari, animadvertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi, reproso ac retento vehiculo, invidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt.

X. Comitatus est patrem et in Syriaca expeditione. Unde reversus primum in matris, deinde, ea relegata, in Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudavit: transitque ad Antoniam aviam, et inde vicesimo ætatis anno, accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit, sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium cogentiumque se ad querelas, nullam unquam occasionem dedit, perinde oblitterato suorum casu, ac si nihil cuiquam accidisset: quæ vero ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens; tantique in avum, et qui juxta erant, obsequii, ut non immerito sit dictum, « nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse. »

XI. Naturam tamen sævam atque probrosam nec tunc quidem inlibere poterat, quin et animadversionibus pœnisque ad supplicium datorum cupidissime interresset, et ganeas atque adulteria, capillamento celatus

et veste longa, noctibus obiret, ac scenicas saltandi canendique artes studiosissime appeteret; facile id sane Tiberio patiente, si per has mansueferi posset ferum ejus ingenium, quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, « exitio suo omniumque Caium vivere: » et, « se natricem [serpentis id genus] populo romano, Phaethontem orbi terrarum educare. »

XII. Non ita multo post Juniam Claudillam, M. Silani nobilissimi viri filiam, duxit uxorem. Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, prius quam inauguraretur, ad pontificatum traductus est: insigni testimonio pietatis atque indolis, quum, deserta desolataque reliquis subsidiis aula, Sejano hoste tunc suspecto, mox et oppresso, ad spem successionis paulatim admoventur. Quam quo magis confirmaret, amissa Junia ex partu, Enniam Næviam, Macronis uxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitavit ad stuprum, pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisset: deque ea re et jurejurando, et chirographo cavit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, ut quidam opinantur: spirantique adhuc detrahi annulum, et, quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum jussit injici, atque etiam fauces manu sua oppressit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat, confestim in crucem acto. Nec abhorret a veritate, quum sint quidam auctores, ipsum postea, etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio, professum. Gloriatum enim esse assidue, in commemoranda sua pietate, a ad ulciscendam necem matris et fratrum,

introduisse se cum pugione cubiculum Tiberii dormientis, et, misericordia correptum, abjecto ferro recessisse: nec illum, quamquam sensisset, aut inquirere quicquam, aut exsequi ausum. »

XIII. Sic imperium adeptus, populum romanum, vel dicam hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti provincialium ac militum, quod infantem plerique cognoverant; sed et universæ plebi urbanæ ob memoriam Germanici patris, miserationemque prope afflictæ domus. Itaque ut a Miseno movit, quamvis lugentis habitu, et funus Tiberii prosequens, tamen inter altaria et victimas, ardentisque tedas, densissimo et lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta omina *sidus* et *pullum* et *puppum* et *alumnium* appellantium.

XIV. Ingressoque Urbem, statim consensu senatus et irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberii voluntate, qui testamento alterum nepotem suum, prætextatum adhuc, coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est, tanta publica lætitia, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Quum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt; ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificanda sollicitudine et cura de incolumitate ejus. Ut vero in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui, depugnatos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverent. Accessit ad immensum civium amorem

notabilis etiam externorum favor. Namque Artabanus, Parthorum rex, odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens, amicitiam ejus ultro petiit; venitque ad colloquium legati consularis, et transgressus Euphratem, aquilas et signa romana, Cæsarumque imagines adoravit.

XV. Incendebat et ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato, funeratoque amplissime, confestim Pandatariam et Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres, festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit. Nec minore scena Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, et inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis mausoleo intulit: inferiasque his annua religione publice instituit: et eo amplius matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris septembrem mensem *Germanicum* appellavit. Post hæc Antoniae aviæ, quicquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno senatusconsulto conguessit. Patruum Claudium, equitem romanum ad id tempus, collegam sibi in consulatu assumsit. Fratrem Tiberium die virilis togæ adoptavit, appellavitque *principem juventutis*. De sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, *Neque me liberosque meos cariores habeo, quam Caium habeo et sorores ejus*; item relationibus consulum: *Quod bonum felixque sit C. Cæsari sororibusque ejus*. Pari popularitate damnatos relegatosque restituit: crimi-

numque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios, ad matris fratrumque suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori aut testi maneret ullus metus, convectos in forum, et ante clare obtestatus deos, neque legisse, neque attigisse quicquam, concremavit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, « nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset : » negavitque, se delatoribus aures habere.

XVI. Spintrias monstrosarum libidinum, ægre, ne profundo mergeret, exoratus, Urbe summovit. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta, senatusconsultis abolita, requiri, et esse in manibus lectitarique permisit : quando maxime sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur. Rationes imperii, ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicavit. Magistratibus liberam jurisdictionem, et sine sui appellatione, concessit. Equites romanos severe curioseque, nec sine moderatione, recognovit : palam adempto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiae inesset : eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis. Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentavit et, comitorum more revocato, suffragia populo reddere. Legata ex testamento Tiberii, quamquam abolita, sed et Juliae Augustæ, quod Tiberius suppresserat, cum fide, ac sine calumnia representata persolvit. Ducentesimam auctionum Italiae remisit. Multis incendiorum damna supplevit : ac si quibus regna restituit, adjecit et fructum omnem vectigaliorum, et redditum medii temporis,

ut Antiocho Commageno sestertium millies confiscatum. Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octoginta donavit, quod excruciatam gravissimis tormentis de scelere patroni reticisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem, ut dies, quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Urbis.

XVII. Consulatus quatuor gessit: primum ex kalendis juliis per duos menses; secundum ex kalendis januariis per triginta dies; tertium usque in idus januarii; quartum usque in septimum idus easdem. Ex omnibus duos novissimos conjunxit. Tertium autem Lugduni inivit solus; non, ut quidam opinantur, superbia negligentive, sed quod defunctum sub kalendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos sestertios: toties abundantissimum epulum senatui equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Posteriore epulo, forensia insuper viris, feminis ac pueris fascias purpuræ ac conchylii distribuit. Et ut lætitiâ publicam in perpetuum quoque auget, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque *Juvenalem*.

XVIII. Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in Septis, aliquot edidit, quibus inseruit catervas afrorum campanorumque pugilum, ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse

præsedit; sed interdum aut magistratibus aut amicis præsidendi munus injunxit. Scenicos ludos et assidue, et varii generis, ac multifariam fecit: quondam et nocturnos, accensis tota urbe luminibus. Sparsit et missilia variarum rerum, et panaria cum opsonio viritim divisit. Qua epulatione equiti romano, contra se hilarius avidiusque vescenti; partes suas misit: sed et senatori ob eandem causam codicillos, quibus prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit et circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo africanarum venatione, modo Trojæ decursione: et quosdam præcipuos, minio et chrysocolla constrato circo, nec ullis, nisi ex senatorio ordine, aurigantibus. Commisit et subitos, quum e Gelotiana apparatus circi prospicientem pauci ex proximis mœnians postulassent.

XIX. Novum præterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam Baiarum medium intervallum Puteolanas ad moles, trium millium et sexcentorum fere passuum, ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, et ordine duplici ad ancoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit, biduo continenti; primo die phalerato equo, insignisque quæneæ corona, et cætra, et gladio, aureaque chlamyde; postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus; comitante prætorianorum agmine, et in essedis cohorte amicorum. Scio, plerosque existimasse, talem a Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Helles-

pontum contabulaverit; alios, ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem proniori, affirmasset, « Non magis Caium imperituros, quam per Baianum sinum equis discursuros. »

XX. Edidit et peregre spectacula : in Sicilia Syracusis iselasticos ludos, et in Gallia Lugduni miscellos; sed et certamen quoque græcæ latinæque facundiæ : quo [certamine] ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem et laudes componere coactos, eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

XXI. Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompeii, absolvit. Inchoavit autem aquæ ductum regione Tiburti, et amphitheatrum juxta Septa : quorum operum a successore ejus Claudio alterum peractum, omisum alterum est. Syracusis collapsa vetustate mœnia, deorumque ædes reffectæ. Destinaverat et Sami Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia isthmum in Achaia perfodere; miseratque jam ad dimetiendum opus primipilarem.

XXII. Hactenus quasi de principe : reliqua ut de monstro narranda sunt. Compluribus cognominibus assumptis (nam et PIUS, et CASTRORUM FILIUS, et PATER EXERCITUUM, et OPTIMUS MAXIMUS CÆSAR vocabatur),

quum audiret forte reges, qui officii causa in Urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit, *Εἰς κοίρανος ἔστω, εἰς βασιλεύς*. Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret. Verum admonitus, et principum et regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit; datoque negotio, ut simulacra numinum, religione et arte præclara, inter quæ Olympii Jovis, apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponeret, partem palatii ad forum usque promovit, atque æde Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos medius, se adorandum adeuntibus exhibebat; et quidam eum *LATIAREM JOVEM* consalutarunt. Templum etiam numini suo proprium, et sacerdotes, et excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria sacerdotii ditissimus quisque, et ambitione et licitatione maxima, vicibus comparabant. Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam invitabat assidue in amplexus atque concubitum: interdium vero cum Capitolino Jove secreto fabulabatur, modo insurrans, ac præbens invicem aurem, modo clarius, nec sine jurgiis. Nam vox comminantis audita est:

Ἢ μ' ἀνάειψ', ἦ ἐγὼ σε,

donec exoratus, ut referebat, et in contubernium ultro

invitatus, super templum Divi Augusti ponte transmissis, Palatium Capitoliumque conjunxit. Mox, quo propior esset, in area capitolina novæ domus fundamenta jecit.

XXIII. Agrippæ se nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem ejus volebat: succensebatque, si qui vel oratione, vel carmine, imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem, matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione, actiæque victorias, ut funestas populo romano, et calamitas, vetuit sollennibus feriis celebrari. Liviam Augustam proaviam, *Ulyxem stolatum* identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad senatum epistola arguere ausus est, quasi materno avo decurione fundano ortam; quum publicis monumentis certum sit, Aufidium Lurconem Romæ honoribus functum. Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates et tædia causa exstitit mortis; dato tamen, ut quidam putant, et veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit; prospexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem, repente immisso tribuno militum, interemit. Silanum item socerum ad necem, secundasque novacula fauces, compulit: causatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset; ille antidotum oboluisse, quasi ad præcavenda venena sua sumtum: quum et Silanus impatientiam nauseæ vitasset et molestiam navigandi, et

Tiberius propter assiduam et ingravescentem tussim medicamento usus esset. Nam Claudium patrum non nisi in ludibrium reservavit.

XXIV. Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit : plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante. Ex his Drusillam vi-tiasse virginem, prætextatus adhuc, creditur, atque etiam in concubitu ejus quondam deprehensus ab Antonia avia, apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, et in modum justæ uxoris propalam habuit. Heredem quoque honorum atque imperii æger insituit. Eadem defuncta, justitium indixit : in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge liberisve, capital fuit. Ac mœroris impatiens, quum repente noctuque profugisset ab Urbe, transcucurrissetque Campaniam, Syracusas petiit, rursusque inde prope rediit, barba capilloque promisso. Nec unquam postea quantiscunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi « per numen Drusillæ » dejeravit. Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, ut quas sæpe exoletis suis prostraverit. Quo facilius eas in causa Æmilii Lepidi condemnavit, quasi adulteras, et insidiarum adversus se conscias. Nec solum chirographa omnium, requisita fraude ac stupro, divulgavit, sed et tres gladios, in necem suam præparatos, Marti Ultori, addito elogio, consecravit.

XXV. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. Liviam Orestillam, C. Pisoni nubentem, quum ad officium et ipse venisset,

ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit, quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, contra accumbentem, « Noli uxorem meam premere : » statimque et convivio abduxisse eam, ac proximo die edixisse, MATRIMONIUM SIBI REPERTUM EXEMPLO ROMULI ET AUGUSTI. Lolliam Paulinam, C. Memmio consulari, exercitus regenti, nuptam, facta mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimæ, subito ex provincia evocavit, ac perductam a marito conjunxit sibi, brevi que missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam, neque facie insigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, et ardentius et constantius amavit : ut sæpe chlamyde peltaque et galea ornatam, ac juxta adequitantem, militibus ostenderit; amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, et maritum se ejus, et patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem, Juliam Drusillam appellatam, per omnium dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque et instituendam commendavit. Nec ullo firmitate indicio sui seminis esse credebatur, quam feritatis : quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium incesset.

XXVI. Leve ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractaverit, Ptolemæum, regis Jubbæ filium, consobrinum suum (erat enim et is M. Antonii ex Selene filia nepos), et in primis ipsum Macro-

nem, ipsam Enniam, adjutores imperii : quibus omnibus pro necessitudinis jure, proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est. Nihilo reverentior leniorve erga senatum : quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi currere togatos per aliquot passuum millia, et cœnanti, modo ad pluteum modo ad pedes stare, succinctos linteo, passus est : alios quum clam interemisset, citare nihilo minus ut vivos perseveravit, paucos post dies voluntaria morte perisse mentitus. Consulibus, oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum : fuitque per triduum sine summa potestate respública. Quæstorem suum in conjuratione nominatum flagellavit. veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. Simili superbia violentiaque ceteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit. Elisi per eum tumultum viginti amplius equites romani, totidem matronæ, super innumeram turbam ceteram. Scenicis ludis, inter plebem et equitem causam discordiarum serens, decimas maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quemquam vetabat : remotoque ordinario apparatu, tabidas feras, vilissimos senioque confectos, gladiatores quoque pegmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subiciebat. Ac nonnunquam, horreis præclusis, populo famem indixit.

XXVII. Sævitiã ingenii per hæc maxime ostendit. Quum ad saginam ferarum, muneris præparatarum, carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos anno-

tavit; et, custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, a calvo ad calvum duci imperavit. Votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat, spectavitque ferro dimicantem; nec dimisit, nisi victorem, et post multas preces. Alterum, qui se perituum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit; verbenatum infulatumque, votum reposcentes, per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla et munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios serra dissecuit; nec omnes gravibus ex causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per genium suum dejerassent. Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. Quorum uni valetudinem excusanti lecticam misit; alium a spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem et jocos provocavit. Curatorem munerum ac venationum, per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non prius occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poetam, ob ambigui joci versiculum, media amphitheatri arena igni cremavit. Equitem romanum, objectum feris, quum se innocentem proclamasset, reduxit; abscisaque lingua, rursus induxit.

XXVIII. Revocatum quemdam a veteri exilio sciscitatus, quidnam ibi facere consuisset, respondente eo per adulationem, « Deos semper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, et tu imperares; » opinans, sibi quoque exsules suos mortem imprecari, misit circum insu-

las, qui universos contrucidarent. Quum discerpi senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque confossum, lacerandum ceteris traderent. Nec ante satiatus est, quam membra et artus et viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.

XXIX. Immanissima facta augebat atrocitate verborum. « Nihil magis in natura sua laudare se ac probare, » dicebat, « quam, » ut ipsius verbo utar, « ἀδιατρεψίαν. » Monenti Antoniae aviæ, tanquam parum esset non obedire, « Memento, ait, omnia mihi et in omnes licere. » Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamenti suspicabatur, « Antidotum, inquit, adversus Cæsarem? » Relegatis sororibus, non solum insulas habere se, sed etiam gladios, minabatur. Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis causa petierat, propagari sibi commeatum sæpius desiderantem, quum mandasset interimi, adjecit : « Necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diu non prodesset ellaborum. » Decimo quoque die, numerum puniendorum ex custodia subscribens, « Rationem se purgare, » dicebat. Gallis Græcisque aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur, « Gallogræciam sese subegisse. »

XXX. Non temere in quemquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est : perpetuo notoque jam præcepto, « Ita feri, ut se mori sentiat. » Punito per errorem nominis alio, quam quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde jactabat, *Oderint, dum metuant.* Sæpe in cunctos pariter senatores, ut Sejani clientes, ut matris ac fratrum

suorum delatores, investus est; prolatis libellis, quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitia, quasi necessaria, quum tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ arenæque devotum, assidue proscidit. Infensus turbæ, faventi adversus studium suum, exclamavit: « Utinam populus romanus unam cervicem haberet! » Quumque Tetrinius latro postularetur, « et qui postularent, Tetrinios esse, » ait. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: quum occidi juberentur, unus, resumta fuscina, omnes victores interemit. Hanc ut crudelissimam cædem et deflevit edicto, et eos, qui spectare sustinuissent, exsecratus est.

XXXI. Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana; Tiberii, ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: suo oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

XXXII. Animum quoque remittenti, ludoque et epulis dedito, eadem dictorum factorumque sævitia aderat. Sæpe in conspectu prudentis vel comissantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuscunque e custodia capita amputabat. Puteolis, dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, quum multos e litore invitasset ad se, repente omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes, contis remisque detrussit in mare. Romæ

publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscisis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Mirmillonem e ludo, rudibus secum batuentem, et sponte prostratum, confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discuecurrit. Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit. Lautiore convivio effusus subito in cachinnos, consulibus, qui juxta cubabant, quidnam rideret, blande quærentibus: « Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim posse? »

XXXIII. Inter varios jocos, quum assistens simulacro Jovis Apellem tragædum consuluisset, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit, collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat, « Tam bona cervix, simul ac jussero, demetetur. » Quin et subinde jactabat, « exquisitum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tanto opere diligeret. »

XXXIV. Nec minore livore ac malignitate, quam superbia sævitiaque, pæne adversus omnis ævi hominum genus grassatus est. Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non potuerint: vetuitque posthac viventium cuiquam usquam statuam aut imaginem, nisi se consulto et auctore, poni. Cogitavit etiam de Homeri carminibus

abolendis; « Cur enim sibi non licere, dicens, quod Platoni licuisset, qui eum è civitate, quam constituebat, eiecerit? » Sed et Virgilio ac Titi Livii scripta et imagines, paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoveret: quorum alterum, ut « nullius ingenii, minimæque doctrinæ; » alterum, ut « verbosum in historia, negligentemque » carpebat. De juris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, sæpe jactavit, « se, mehercle, effecturum, ne qui respondere possint præter eum. »

XXXV. Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem; Cincinnato crinem; Cn. Pompeio, stirpis antiquæ, Magni cognomen. Ptolomæum, de quo retuli, et arcessitum e regno, et exceptum honorifice, non alia de causa repente percudit, quam quod, edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. Pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem et speciem *Colosseros* dictus. Hunc e spectaculis detractum repente, et in arenam deductum, Threci, et mox hoplomacho comparavit: bisque victorem constringi sine mora jussit, et pannis obsitum vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde jugulari. Nullus denique tam abjectæ conditionis, tanque extremæ sortis fuit, cujus non commodis obtrectaret. Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. Quum quodam die muneris, essedario Porio, ob prosperam pugnam servum suum manumittenti,

studiosius plausum esset, ita se proripuit e spectaculis, ut, calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret, indignabundus et clamitans, « dominum gentium populum ex re levissima plus honoris gladiatori tribuentem, quam consecratis principibus, aut præsentī sibi. »

XXXVI. Pudicitiae neque suæ, neque alienæ pepercit. M. Lepidum, Mæsterem pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catullus, consulari familia juvenis, stupratum a se, ac latera sibi contubernio ejus defessa, etiam vociferatus est. Super sororum incesta, et notissimum prostitutæ Pyralidis amorem, non temere ulla illustriore femina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lente, mercantium more, considerabat; etiam faciem manu allevans, si quæ pudore summitterent. Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, quum maxime placitam sevocasset, paulo post, recentibus adhuc lasciviæ notis, reversus vel laudabat palam, vel vituperabat; singula enumerans bona malave corporis, atque concubitus. Quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in acta ita referri.

XXXVII. Nepotatus sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit, commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum: ut calidis frigidisque unguentis lavaretur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, convivis ex auro panes et opsonia apponeret, « aut frugi hominem esse oportere, dicitans, aut Cæsarem. » Quin et nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot

dies sparsit in plebem. Fabricavit et deceres liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum et porticuum et tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium et pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, et excisæ rupes durissimi silicis, et campi montibus aggere æquati, et complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, quum moræ culpa capite lueretur. Ac, ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies sestertium non toto vertente anno absumsit.

XXXVIII. Exhaustus igitur atque egens, ad rapinas convertit animum, vario et exquisitissimo calumniarum et auctionum et vectigalium genere. Negabat, jure civitatem romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent: neque enim intelligi debere *posteris* ultra hunc gradum: prolataque Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta, debebat. Arguebat et perperam editos census, quibus postea quacunque de causa quicquam incrementi accessisset. Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit; item ceterorum, ut irrita et vana, quoscunque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quo metu injecto, quum jam et ab ignotis inter familiares, et a parentibus inter li-

beros, palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, et multis venenatas macteas misit. Cognoscebat autem de talibus causis, taxato prius modo summæ, ad quem conficiendum consideret: confecto demum excitabatur. Ac ne paululum quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diversis criminibus una sententia condemnavit, gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ, « quantum egisset, dum ea meridiaret. »

XXXIX. Auctione proposita, reliquias omnium spectaculorum subjecit et venditavit, exquirens per se pretia, et usque eo extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Caio præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutantem sibi, præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur. In Gallia quoque, quum damnatorum ornamenta, et suppellectilem, et servos, atque etiam libertos, immensis pretiis vendidisset; invitatus lucro, quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab Urbe repetiit; comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, et pistri-nensibus jumentis: adeo, ut et panis Romæ sæpe deficeret, et litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa cadereñt. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modo avaritiæ singulos increpans, et, « quod non puderet eos, locupletiores esse, quam se; » modo

pœnitentiam simulans, quod principalium rerum privatis copiam faceret. Compererat, provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste, tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretque, « cœnaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius. »

XL. Vectigalia nova atque inaudita, primum per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulibus, quæ tota Urbe venirent, certum statutumque exigebatur: pro litibus atque judiciis, ubicunque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur; nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium convinceretur: ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostituerarum, quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, et quæ meretricium, et qui lenocinium fecissent; nec non et matrimonia obnoxia essent.

XLI. Ejusmodi vectigalibus indictis, neque propositis, quum per ignorantiam scripturæ multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit quidem legem, sed et minutissimis litteris, et angustissimo loco, uti ne cui describere liceret. Ac, ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit: distinctisque et instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent, misit cir-

cum fora et basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque, præbita advenientibus pecunia fenebri, appositisque, qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantium Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori demandata vice sua, progressus in atrium domus, quum prætereuntes duos equites romanos locupletes sine mora corripere confiscarique jussisset; exsultans rediit, gloriansque, nunquam se prosperiore alea usum.

XLII. Filia vero nata, paupertatem, nec jam imperatoria modo, sed et patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit et strenas incunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium kalendis januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Novissime contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiat, et toto corpore aliquamdiu volutatus est.

XLIII. Militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed quum ad visendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam processisset, admonitus de suppleto numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus et auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto et omnis generis commeatu, quanto nunquam antea, iter ingressus est: confecitque modo tam festinanter et rapide, ut præto-

rianæ cohortes contra morem signa jumentis imponere, et ita subsequi cogentur; interdum adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur, atque a propin quarum urbium plebe verri sibi vias et conspergi propter pulverem exigeret.

XLIV. Postquam castra attigit, ut se acrem et severum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque centurionum maturis jam, et nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, causatus senium cujusque et imbecillitatem: ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam rescidit. Nihil autem amplius, quam Adminio, Cynobellini Britannorum regis filio, qui, pulsus a patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto; quasi universa tradita insula, magnificas Romam litteras misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente senatu, consulibus traderent.

XLV. Mox, deficiente belli materia, paucos de custodia Germanos trajici, oculique trans Rhenum jussit, ac sibi post prandium quam tumultuosissime, adesse hostem, nunciari. Quo facto, proripuit se cum amicis et parte equitum prætorianorum in proximam silvam; truncatisque arboribus, et in modum tropæorum adornatis, ad lumina reversus, eorum quidem, qui secuti non essent, timiditatem et ignaviam corripuit; comites autem et participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas, distinctas solis ac lunæ side-

rumque specie, *exploratorias* appellavit. Rursus obsides quosdam, abductos e litterario ludo, clamque præmissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit; in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna, renunciantes coactum agmen, sicut erant, loricatedos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgiliti versu, « Durarent, secundisque se rebus servarent. » Atque inter hæc absentem senatum populumque gravissimo objurgavit edicto, quod, « Casare præliante, et tantis discriminibus objecto, tempestiva convivia, circum, et theatra, et amœnos secessus celebrarent. »

XLVI. Postremo, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac balistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quidnam cœpturus esset, repente, ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent, imperavit; « spolia Oceani » vocans, « Capitolio Palatioque debita. » Et in indicium victoriae altissimam turrem excitavit, ex qua, ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium cursus ignes emicarent: pronunciatoque militi donativo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, « Abite, inquit, læti, abite locupletes. »

XLVII. Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos ac transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, et, ut ipse dicebat, ἀξιόθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam; coegitque non tantum rutilare et summittere comam, sed et sermonem germanicum addiscere,

et nomina barbarica ferre. Præcepit etiam, triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehî. Scripsit et procuratoribus : « Triumphum appararent quam minima summa, sed quantus nunquam alius fuisset; quando in omnium hominum bona jus haberent. »

XLVIII. Priusquam provincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones, quæ post excessum Augusti seditionem olim moverant, contrucidandi, quod et patrem suum Germanicum ducem, et se, infantem tunc, obsedissent. Vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo potuit modo, quin decimare velle perseveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumdedit. Sed quum videret, suspecta re, plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concionem, confestimque Urbem petiit, deflexa omni acerbitate in senatum, cui ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur; querens inter cetera, fraudatum se justo triumpho, quum ipse paulo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denunciasset.

XLIX. Aditus ergo in itinere a legatis amplissimi ordinis, ut maturaret, orantibus, quam maxima voce, « Veniam, inquit, veniam, et hic mecum, » capulum gladii crebro verberans, quo cinctus erat. Edixit et, « reverti se, sed iis tantum, qui optarent, equestri ordini et populo : nam se neque civem neque principem senatui amplius fore. » Vetuit etiam, quemquam senatorum sibi occurrere : atque omisso, vel dilato trium-

pho, ovans Urbem natali suo ingressus est. Intraque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus, et aliquanto majora moliens. Siquidem proposuerat Antium, deinde Alexandriam, commigrare, interemto prius utriusque ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in secretis ejus reperti sunt duo libelli, diverso titulo: alteri *GLADIUS*, alteri *PUGIO* index erat. Ambo nomina et notas continebant morti destinatorum. Inventa et arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox a Claudio demersis, infecta maria traduntur, non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora ejecit.

L. Statura fuit eminenti, colore expallido, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis et crurum, oculis et temporibus concavis, fronte lata et torva, capillo raro ac circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare, transiente eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quacunque de causa *capram* nominare, criminosum et exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque corporis neque animi constitit. Puer comitali morbo vexatus, in adolescentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnunquam subita defectione ingredi, stare, colligere semet, ac sufferre vix posset. Mentis valetudinem et ipse senserat, ac subinde de secessu, deque purgando cerebro cogitavit. Creditur potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Incitabatur insomnia maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiesce-

bat; ac ne his quidem placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras, pelagi quondam speciem colloquentem secum videre visus sit. Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare identidem atque expectare lucem consuevit.

LI. Non immerito mentis valetudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, et contra nimium metum. Nam qui deos tanto opere contemneret, ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere, ad vero majora proripere se e strato, sub lectumque condere solebat. Peregrinatione quidem siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente a Messana noctu profugit, Ætnæi verticis fumo ac murmure pavefactus. Adversus barbaros quoque minacissimus, quum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, « non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat, » equum illico conscendit; ac propere reversus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam, audita rebellione Germaniæ, fugam et subsidia fugæ, classes apparabat; uno solatio acquiescens, transmarinas certe sibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam Urbem, ut Senones quondam, occuparent: unde credo, percussoribus ejus postea consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi, ipsum sibi manus intulisse, nuncio malæ pugnæ perterritum.

LII. Vestitu calciatuque, et cetero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus pænulas, manuleatus et armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, et cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri, plerumque vero aurea barba, fulmen tenens, aut fuscinam, aut caduceum, deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit; interdum et Magni Alexandri thoracem, repetitum e conditorio ejus.

LIII. Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus, utique, si perorandum in aliquem esset. Irato et verba et sententiæ suppetebant; pronuntiatio quoque et vox, ut neque eodem loci præ ardore consisteret, et exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus, « stricturum se lucubrationis suæ telum, » minabatur; lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam, tum maxime placentem, « commissiones meras » componere, et « arenam esse sine calce, » diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, et magnorum in senatu reorum accusationes defensionisque meditari; ac, prout stilus cesserat, vel onerare sententia sua quemque, vel sublevare; equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta.

LIV. Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissimas exercuit. Threx et auriga, idem cantor, atque saltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat

extracto plurifariam circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus et tragædo pronuncianti concineret, et gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec alia de causa videtur eo die, quo periit, pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu : et quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaque et extrema metuentes, super pulpitem collocavit; deinde repente magno tiliarum et scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cetera, natam nesciit.

LV. Quorum vero studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem pantonimum etiam inter spectacula osculabatur : ac si quis saltante eo vel leniter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat. Equiti romano tumultuanti per centurionem denunciavit, abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolemæum regem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum exemplum erat : « Ei, quem istuc misi, neque boni quicquam, neque mali, feceris. » Threces quosdam Germanis corporis custodibus præposuit. Mirmillonum armaturas recidit. Columbo victori, leviter tamen saucio, venenum in plagam addidit, quod ex eo *Columbinum* appellavit. Sic certe inter alia venena scriptum ab eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus et deditus, ut cœnaret in stabulo assidue, et maneret. Agitatori Eutycho commissatione quadam in apophoretis vicies ses-

tertium contulit. Incitato equo, ejus causa pridie circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, et præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monilia e gemmis, domum etiam, et familiam, et suppellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur : consulatum quoque traditur destinasse.

LVI. Ita bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. Sed una alteraque conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt, perfecerruntque : non sine conscientia potentissimorum libertorum, præfectorumque prætorii ; quod ipsi quoque, etsi falso, in quadam conjuratione quasi participes nominati, suspectos tamen se et invisos sentiebant. Nam et statim seductis magnam fecit invidiam, dextrico gladio affirmans, « sponte se periturum, si et illis morte dignus videretur : » nec cessavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Quum placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea, tribunus cohortis prætoriæ, depoposcit : quem Caius seniore jam, ut mollem et effeminatum denotare omni probro consuevit, et modo, signum petenti, *Priapum* aut *Venerem* dare, modo, ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam commotamque in obscœnum modum.

LVII. Futuræ cædis multa prodigia exstiterunt. Olympiæ simulacrum Jovis, quod dissolvi transferrique Romanam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut

machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illico quidam Cassius quoque nomine, jussum se somnio affirmans, immolare taurum Jovi. Capitolium Capuæ idibus martiis de cœlo tactum est : item Romæ cella Palatini atriensis. Nec defuerunt, qui conjectarent, altero ostento periculum a custodibus domino portendi; altero, cædem rursus insignem, qualis eodem die facta quondam fuisset. Consulenti quoque de genitura sua, Sulla mathematicus, « certissimam necem appropinquare, » affirmavit. Monuerunt et sortes Antiatinæ, « ut a Cassio caveret. » Qua causa ille Cassium Longinum, Asiæ tum proconsulem, occidendum delegaverat, immemor, Chæream Cassium nominari. Pridie, quam periret, somniavit, consistere se in cœlo juxta solium Jovis, impulsumque ab eo dextri pedis pollice, et in terras præcipitatum. Prodigiis loco habita sunt etiam, quæ forte illo ipso die paulo prius acciderant. Sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine. Et pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et quum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomit, plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit. Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios et Æthiops explicarentur.

LVIII. Nono kalendas februarias, hora quasi septima, cunctatus, an ad prandium surgeret, marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Quum in crypta, per quam transeun-

dum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati præpararentur; ut eos inspiceret hortareturque, restitit. Ac, nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repræsentare spectaculum voluit. Duplex dehinc fama est. Alii tradunt, alloquenti pueros a tergo Chæream cervicem gladio cæsim graviter percussisse, præmissa voce, « Hoc age! » dehinc Cornelium Sabinum, alterum e conjuratis tribunum, ex adverso trajecisse pectus. Alii, Sabinum, summota per conscios centuriones turba, signum more militiæ petisse, et, Caio *Jovem* dante, Chæream exclamasse, « Accipe iratum! » respicientique maxillam ictu discidissee. Jacentem, contractisque membris clamitantem se vivere, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, « *Repete!* » Quidam etiam per obscæna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum asscribus in auxilium accucurrerunt: mox Germani corporis custodes: ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam senatores innoxios, interemerunt.

LIX. Vixit annis undetriginta: imperavit triennio et decem mensibus, diebusque octo. Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, et tumultuario rogo semiambustum, levi cespite obrutum est: postea per sorores ab exsilio reversas erutum, et crematum, sepultumque. Satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Periit una et uxor Cæsonia, gladio a centurione confossa, et filia parieti illisa.

LX. Conditionem temporum illorum etiam per hæc existimare quivis possit. Nam neque cæde vulgata statim creditum est : fuitque suspicio, ab ipso Caio famam cædis simulatam et emissam, ut eo pacto hominum erga se mentes deprehenderet; neque conjurati cuiquam imperium destinaverunt. Et senatus in asserenda libertate adeo consensit, ut consules primo non in curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarint; quidam vero, sententiæ loco, abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda templa, censuerint. Observatum autem notatumque est inprimis, Cæsares omnes, quibus Caii prænomen fuerit, ferro perisse, jam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus.

CLAUDIUS.

I. **P**ATREM Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit : fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus :

Τοῖς εὐτυχεῦσι καὶ τρίμηνα παῖδ' ἔσται.

Is Drusus in quæsturæ præturæque honore dux rhætici, deinde germanici belli, Oceanum septentrionalem primus romanorum ducum navigavit : trans Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quæ nunc adhuc *Drusinae* vocantur : hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra, sermone latino prohibuisset. Quas ob res ovandi jus et triumphalia ornamenta percepit; ac post præturam confestim inito consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem morbo obiit in æstivis castris, quæ ex eo *Scelerata* sunt appellata. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad Urbem devectum, sepultumque est in campo Martio. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem

deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent. Præterea senatus, inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et Germanici cognomen ipsi posterisque ejus. Fuisse autem creditur non minus gloriosi, quam civilis animi. Nam ex hoste super victorias opima quoque spolia captasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus : nec dissimulasse unquam, pristinum se reipublicæ statum, quandoque posset, restitutum. Unde existimo, nonnullos tradere ausos, suspectum cum Augusto, revocatumque ex provincia, et, quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem; quum Augustus tantopere et vivum dilexerit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est, et defunctum ita pro concione laudaverit, ut deos precatus sit, « similes ei Cæsares suos facerent, sibi que tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent. » Nec contentus elogium tumulo ejus versibus a se compositis exculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit; verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium.

II. Claudius natus est, Iulo Antonio, Fabio Africano consulibus, kalendis augustis, Lugduni, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est, appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox, fratre majore in Juliam familiam adoptato, Germanici cognomen assumpsit. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiæ

atque adolescentiæ tempus variis et tenacibus morbis conflictatus est; adeo ut, animo simul et corpore hebetato, ne progressa quidem ætate ulli publico privatoque muneri habilis existimaretur. Diu, atque etiam post tutelam receptam, alieni arbitrii, et sub pædagogo fuit; quem « barbarum et olim superjumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunque de causis quam sævissime coerceret, » ipse quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem valetudinem et gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit; et togæ virilis die, circa mediam noctem, sine sollemni officio, lectica in Capitolium latus est.

III. Disciplinis tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac sæpe experimenta cujusque etiam publicavit. Verum ne sic quidem quicquam dignitatis assequi, aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit. Mater Antonia « portentum eum hominis » dictitabat, « nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum: » ac si quem socordiæ argueret, « stultiorem » aiebat « filio suo Claudio. » Avia Augusta pro despectissimo semper habuit: non affari, nisi rarissime; non monere, nisi acerbo et brevi scripto, aut per internuncios, solita. Soror Livilla quum audisset, ipsum quandoque imperaturum, tam iniquam et tam indignam sortem populi romani palam et clare detestata est. Nam et avunculus major Augustus quid de eo in utramque partem opinatus sit, quo certius cognoscatur, capita ex ipsius epistolis posui.

IV. « Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea

Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus. Consensit autem uterque nostrum, semel nobis esse statuendum, quod consilium in illo sequamur. Nam si est ἀρτιος, et, ut ita dicam, ὀλόκληρος, quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit? Sin autem ἡλαττωσθαι sentimus eum, καὶ βεβλάφθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος, καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα, præbenda materia deridendi et illum et nos non est hominibus, τὰ τοιαῦτα σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσι. Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus, μὴ προῦποκείμενον ἡμῶν, posse eum gerere honores arbitremur, nec ne. In præsentia tamen, quibus de rebus consulis, curare eum cedis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus, se ab Silani filio, homine sibi affini, admoneri, ne quid faciat, quod conspici et derideri possit. Spectare eum circenses ex pulvinari, non placet nobis. Expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In Albanum montem ire eum, non placet nobis, aut esse Romæ Latinarum diebus. Cur enim non præficitur Urbi, si potest fratrem suum sequi in montem? Habes nostras, mea Livia, sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui, ne semper inter spem et metum fluctuemus. Licet autem, si voles, Antoniaë quoque nostræ des hanc partem epistolæ hujus legendam.» Rursus alteris litteris : «Tiberium adolescentem ego vero, dum tu aberis, quotidie invitabo ad cœnam, ne solus cœnet cum suo Sulpicio et Athenodoro. Qui vellem, diligentius et minus μετεώρως deligeret sibi aliquem, cu-

jus motum, et habitum, et incessum imitaretur, missellus;

Ἄτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίαις λίαν

ubi non aberravit ejus animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐχέλεια. » Item tertiis litteris : « Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit, quum declamat, σαφῶς dicere, quæ dicenda sunt, non video. » Nec dubium est, quin post hæc Augustus constituerit, et reliquerit eum nullo, præter auguralis sacerdotii, honore imperitum, ac ne heredem quidem, nisi inter tertios ac pæne extraneos, e parte sexta nuncuparit, legato quoque non amplius, quam octingentorum sestertiorum, prosecutus.

V. Tiberius patruus petenti honores consularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit, « Quadraginta aureos in Saturnalia et Sigillaria misisse ei. » Tunc demum, abjecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis et suburbano, modo in Campaniæ secessu delitescens; atque ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitæ notam, ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit.

VI. Quum interim, quamquam hoc modo agenti, nunquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit : semel, quum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis a consulibus exposcerent; iterum, quum oppressum Sejanum apud eosdem gratu-

larentur. Quin et spectaculis adveniēti assurgere, et lacernas deponere solebant. Senatus quoque, ut ad numerum sodalium augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit; et mox, ut domus ei, quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæque inter consulares sententiæ jus esset. Quod decretum abolitum est, excusante Tiberio imbecillitatem ejus, ac damnum liberalitate sua resarturum pollicente. Qui tamen moriens et in tertiis heredibus cum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa sestertium vicies prosecutus, commendavit insuper exercitibus, ac senatui populoque romano inter ceteras necessitudines nominatim.

VII. Sub Caio demum fratris filio, secundam existimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente, honores auspiciatus, consulatum gessit una per duos menses : evenitque, ut primitus ingredienti cum fascibus Forum, prætervolans aquila dexteriore humero consideret. Sortitus est et de altero consulatu in quartum annum; præseditque nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, « Feliciter, » partim « patruo imperatoris, » partim « Germanici fratri. »

VIII. Nec eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam et si paulo serius ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non nisi ægre, et circuito demum triclinio, recipiebatur : et, quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incesebatur : interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant et manibus stertentis socii induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret.

IX. Sed ne discriminibus quidem caruit : primum in ipso consulatu, quod Neronis et Drusi, fratrum Cæsaris, statuas segnius locandas ponendasque curasset, pæne honore summotus est; deinde, extraneo vel etiam domesticorum aliquo deferente, assidue varieque inquietatus. Quum vero detecta esset Lepidi et Gætulici conjuratio, missus in Germaniam inter legatos ad gratulandum, etiam vitæ periculum adiit : indignante ac fremente Caio, patrum potissimum ad se missum, quasi ad puerum regendum; adeo, ut non defuerint, qui traderent, præcipitatum quoque in flumen, sicut vestitus advenerat. Atque ex eo nunquam non in senatu novissimus consularium sententiam dixit, ignominia causa post omnes interrogatus. Etiam cognitio falsi testamenti recepta est, in quo et ipse signaverat. Postremo etiam sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut, quum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum.

X. Per hæc ac talia maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno imperium cepit, quantumvis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii, quum, quasi secretum eo desiderante, turbam summovent, in diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. Neque multo post rumore cædis exterritus, præcepit ad solarium proximum, interque prætenta foribus vela se abdidit : latentem discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, e studio sciscitandi, quisnam esset, agnovit, extractumque, et præ metu ad genua sibi acci-

dentem, imperatorem salutavit. Hinc ad alios commilitones, fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes, perduxit. Ab his lecticæ impositus, et, quia sui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obviam turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore spe, quam fiducia. Nam consules cum senatu et cohortibus urbanis Forum Capitoliumque occupant, asserturi communem libertatem: accitusque et ipse per tribunos plebis in Curiam ad suadendam, quæ viderentur, «vi se et necessitate teneri,» respondit. Verum postero die, et senatu segniore in exsequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diversa censentium, et multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam et nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est; promisitque singulis quina dena sestertia, primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.

XI. Imperio stabilito, nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam et oblivionem in perpetuum sanxit, ac præstitit; tribunis modo ac centurionibus paucis e conjuratorum in Caium numero interentis, exempli simul causa, et quod suam quoque cædem depoposcisse cognoverat. Conversus hinc ad officia pietatis, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius, instituit, quam *per Augustum*. Avix Liviæ divinos honores, et circensi pompa currum elephantorum, Augustino similem, decernenda curavit; parentibus inferias publicas,

et hoc amplius. patri circenses annuos natali die; matri carpentum, quo per Circum duceretur, et cognomen Augustæ, ab viva recusatum. Ad fratris memoriam, per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque græcam neapolitano certamine docuit, ac de sententia judicum coronavit. Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum ac sine grata mentione transmisit, testatus quondam per edictum, «Tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii.» Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii theatrum, decretum quidem olim a senatu, verum omissum, peregit. Caii quoque etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus sui, vetuit inter festos referri.

XII. At in semet augendo parcus atque civilis, prænomine *imperatoris* abstinuit, nimios honores recusavit, sponsalia filiæ, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione, transegit. Neminem exsulum, nisi ex senatus auctoritate, restituit. Ut sibi in Curiam præfectum prætorii tribunosque militum secum inducere liceret, utque rata essent, quæ procuratores sui in judicando statuerent, precario exegit. Jus nundinarum in privata prædia a consulibus petiit: cognitionibus magistratuum, ut unus e consiliariis, frequenter interfuit. Eosdem, spectacula edentes, surgens et ipse cum cetera turba, voce ac manu veneratus est. Tribunis plebis adeuntibus se pro tribunali excusavit, quod propter angustias non posset audire eos, nisi stantes. Quare in brevi spatio tantum amoris favorisque collegit, ut, quum profectum eum Ostiam perissee ex in-

sidiis nunciatum esset, magna consternatione populus, et militem quasi proditorem, et senatum quasi parricidam, diris execrationibus incessere non ante destiterit, quam unus atque alter, et mox plures, a magistratibus in Rostra producti, salvum et appropinquare confirmarent.

XIII. Nec tamen expers insidiarum usquequaque permansit, sed et a singulis, et per factionem, et denique civili bello infestatus est. E plebe homo nocte media juxta cubiculum ejus cum pugione deprehensus est: reperti et equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter, ut egressum theatro, alter, ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspiraverunt autem ad res novas Gallus Asinius et Statilius Corvinus, Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque servis. Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus; verum intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquam, denunciato ad novum imperatorem itinere, casu quodam, an divinitus, neque aquila ornari, neque signa convelli moverique potuerunt.

XIV. Consulatus super pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos junctim, sequentes per intervallum, quarto quemque anno, semestrem novissimum, bimestres ceteros, tertium autem, novo circa principem exemplo, in locum demortui suffectus. Jus et consul et extra honorem laboriosissime dixit, etiam suis suorumque diebus sollemnibus, nonnunquam festis quoque antiqui-

tus et religiosus. Nec semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono et æquo, perinde ut afficeretur, moderatus est. Nam et iis, qui apud privatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones; et in majore fraude convictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnavit.

XV. In cognoscendo autem ac decernendo mira varietate animi fuit, modo circumspectus et sagax, modo inconsultus ac præceps; nonnunquam frivolus amentique similis. Quum decurias rerum actu expungeret, eum qui, dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, ut cupidum judicandi dimisit. Alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque, cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, quam æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Feminam, non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis. Absentibus secundum præsentem facillime dabat, nullo delectu, culpam quis, an aliqua necessitate, cessasset. Proclamante quodam, præcidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machæra mensaque lanionia, flagitavit. Peregrinitatis reum, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere causam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, et prout accusaretur defendereturve, jussit. De quodam etiam negotio ita ex tabella pronunciasse creditur, «Secundum eos se sentire qui vera proposuissent.» Propter quæ usque eo eviluit, ut passim ac

propalam contentui esset. Excusans quidam testem, e provincia ab eo vocatum, negavit præsto esse posse, dissimulata diu causa; ac post longas demum interrogationes, «Mortuus est,» inquit: «puto, licuit.» Alius gratias agens, quod reum defendi pateretur, adjecit: «Et tamen fieri solet.» Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo causidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendantem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso, detinerent. Ac ne cui hæc mira sint, litigatori græculo vox in altercatione excidit: Καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equitem quidem romanum, obscœnitatis in feminas reum, sed falso et ab impotentibus inimicis confictio crimine, satis constat, quum scorta meritoria citari adversus se, et audiri pro testimonio videret, graphium et libellos, quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ et sævitæ exprobratione jecisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit.

XVI. Gessit et censuram, intermissam diu post Plan- cum Paulumque censores: sed hanc quoque inæqua- biliter, varioque et animo et eventu. Recognitione equitum juvenem probri plenum, sed quem pater pro- batissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, «habere» dicens «censorem suum.» Alium, corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit, «ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius:» ad- diditque: «Quare enim ego scio, quam amicam habeas?» Et quum, orantibus familiaribus, demisset cuidam ap- positam notam, «Litura tamen,» inquit, «exstet.» Splendidum virum, Græciæque provinciæ principem,

verum latini sermonis ignarum, non modo albo judicium erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam, nisi sua voce, utcumque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere. Notavitque multos, et quosdam inopinantes, et ex causa novi generis, quod se inscio ac sine comite Italia excessissent; quemdam vero et quod comes regis in provincia fuisset, referens, majorum temporibus, Rabirio Postumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti servandi causa, secuto, majestatis crimen apud judices motum. Plures notare conatus, magna inquisitorum negligentia, sed suo majore dedecore, innoxios fere reperit, quibuscunque cælibatum, aut orbitatem, aut egestatem objiceret, maritos, patres, opulentos se probantibus; eo quidem, qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt et illa in censura ejus notabilia, quod essedum argenteum, sumtuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria, redimi concidique coram, imperavit: quodque uno die viginti edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonerat, «ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur;» altero, «nihil æque facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum.»

XVII. Expeditionem unam omnino suscepit, eamque modicam. Quum, decretis sibi a senatu ornamentis triumphalibus, leviozem majestati principali titulum arbitraretur, velletque, justî triumphî decus unde acquireret, *Britanniam* potissimum elegit, neque tentatam ulli post divum Julium, et tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc quum ab Ostia navigaret, ve-

hementi Circio bis pæne demersus est, prope Liguriam, juxtaque Stœchadas insulas. Quare, a Massilia Gesoriacum usque pedestri itinere confecto, inde transmisit: ac sine ullo prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto, quam profectus erat, mense Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus spectaculum commeare in Urbem non solum præsidibus provinciarum permisit, verum etiam exsulis quibusdam; atque inter hostilia spolia, navalem coronam fastigio palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti et quasi domiti Oceani insigne. Currum ejus Messalina uxor carpento secuta est. Secuti et triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus et in prætexta; Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.

XVIII et XIX. Urbis annonæque curam sollicitissime semper egit. Quum Æmiliana pertinacius arderent, in diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit; ac, positis ante se cum pecunia fisci, ad subveniendum hortatus est, repræsentans pro opera dignam cuique mercedem. Arctiore autem annonâ ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio Foro a turba, conviciisque et simul fragminibus panis ita infestatus, ut ægre, nec nisi postico, evadere in palatium valuerit, nihil non ex eo excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam et negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset, et naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit, pro

conditione ejusque : civi, vacationem legis Papiæ Pop-pææ ; Latino, jus Quiritium ; feminis, jus quatuor liberorum : quæ constituta hodieque servantur.

XX. Opera magna, potiusque necessaria, quam multa perfecit ; sed vel præcipua, aquarum ductum, a Caio inchoatum : item, emissarium Fucini lacus, portumque ostiensem : quamquam sciret, ex his alterum ab Augusto præcantibus assidue Marsis negatum, alterum a divo Julio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omis-sum. Claudie aquæ gelidos et uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio et Albulino nomen est, simulque rivum Anienis novi lapideo opere in Urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendii spe, quam gloriæ ; quum quidam, privato sumtu emissuros se, repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, et post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo jam solo mole objecta : quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrin in exemplum alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

XXI. Congiaria populo sæpius distribuit. Spectacula quoque complura et magnifica edidit, non usitata modo, ac solitis locis, sed et commentitia, et ex antiquitate repetita, et ubi præterea nemo ante eum. Ludos dedi-

cationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit, quum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caveam, sedentibus ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit et seculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos : quamvis ipse in historiis suis prodat, « intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegit. » Quare vox præconis irrita est, invitantis more sollempni ad ludos, « quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset; » quum superessent adhuc, qui spectaverant, et quidam histrionum, producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinque missus venatione. Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque et topina ac lignea antea fuerant, exulto, propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina Trojæ lusum exhibuit, et Africanas, conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus tribunis, ipsoque præfecto : præterea thessalos equites, qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliuntque defessos, et ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit; anniversarium in castris prætorianis, sine venatione apparatuque; justum atque legitimum in Septis; ibidem extraordinarium et breve, dierumque paucorum, quodque appellare cœpit *sportulam*, quia primum daturus edixerat, « velut ad subitam condictamque cœnulam invitare se populum. » Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior

erat, adeo, ut oblates victoribus aureos, prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret, ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, *dominos* identidem appellans, immixtis interdum frigidis et arcessitis jocis: qualis est, ut quum Palumbum postulantibus, « daturum se, » promisit, « si captus esset. » Illud plane quantumvis salubriter et in tempore: quum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset rudem, tabulam illico misit, admonens populum, « quanto opere liberos suscipere deberet, quos videret et gladiatori præsidio gratiæque esse. » Edidit et in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, et deditionem Britannæ regum, præseditque paludatus. Quin et, emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. Sed quum, proclamantibus naumachiariis, « Ave, imperator, morituri te salutant, » respondisset, « Avete vos; » neque post hanc vocem, quasi venia data, quisquam dimicare vellet: diu cunctatus, an omnes igai ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit, ac per ambitum lacus, non sine fæda vacillatione, discurrens, partim minando, partim adhortando, ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis sicula et rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, ex-ciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.

XXII. Quædam circa cerimonias, civilemque et militarem morem, item circa omnium ordinum statum, domi forisque, aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova instituit. In cooptandis per collegia sacer-

dotibus, neminem nisi juratus nominavit; observavitque sedulo, ut quoties terra in Urbe movisset, ferias advocata concione prætor indiceret; utque, dira avi in Urbe aut in Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamque ipse jure maximi pontificis, commonito pro Rostris populo, præiret, summotaque operariorum servorumque turba.

XXIII. Rerum actum, divisum antea in hibernos æstivosque menses, conjunxit. Jurisdictionem de fidei commissis, quotannis et tantum in Urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per provincias potestatibus demandavit. Capiti Papiæ Poppææ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogavit. Sanxit, ut papillis extra ordinem tutores a consulibus darentur, utque hi, quibus a magistratibus provinciæ interdicerentur, Urbe quoque et Italia summoventur. Ipse quosdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe. De majore negotio acturus in Curia, medius inter consulum sellas, tribunicio subsellio sedebat. Commeatus, a senatu peti solitos, beneficii sui fecit.

XXIV. Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducentariis indulxit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non lecturum se senatorem, nisi civis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab equite romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit; ignarus, tempo-

ribus Appii et deinceps aliquamdiu *libertinos* dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus injunxit; detractaque ostiensi et gallica provincia, curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut, uti nunc, prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Silano, filiaæ suæ sponso, nondum puberi dedit; majoribus vero natu tam multis, tamque facile, ut epistola communis legionum nomine exstiterit, petentium, « ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quærerent. » A. Plautio etiam ovationem decrevit; ingressoque Urbem obviam progressus, et in Capitolium eunti, et inde rursus revertenti latus textit. Gabinio Secundo, Chaucis, gente germanica, superatis, cognomen *Chaucius* usurpare concessit.

XXV. Equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem, alam; post alam, tribunatum legionis daret: stipendiaque instituit, et imaginariæ militiæ genus, quod vocatur *supra numerum*, quo absentes, et titulo tenus fungerentur. Milites domus senatorias salutandi causa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro equitibus romanis agerent, publicavit. Ingratos, et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem; advocatisque eorum negavit, se adversus libertos ipsorum jus dicturum. Quum quidam ægra et affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, cædis cri-

mine teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto. Puteolis et Ostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit. Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare romana nomina, duntaxat gentilicia. Civitatem romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit. Provincias Achaïam et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui reddidit. Lyeiis, ob exitiabiles inter se discordias, libertatem ademit: Rhodiis, ob pœnitentiam veterum delictorum, reddidit. Iliensibus, quasi romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit; recitata vetere epistola græca senatus populique romani, Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Judæos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit. Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia deducti, quum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriore[m] virtutem aut conditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud Gallos, diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit. Contra sacra Eleusinia etiam transferre ex Attica Romam conatus est; templumque in Sicilia Veneris Erycinæ, vetustate collapsum, ut ex ærario populi romani reficeretur, auctor fuit. Cum regibus fœdus in Foro icit, porca cæsa, ac vetere Fecialium præfatione adhibita. Sed et hæc, et cetera, totumque adeo ex parte magna principatum, non tam suo, quam

uxorum libertorumque arbitrio, administravit; talis ubique plerumque, qualem esse eum, aut expediret illis, aut liberet.

XXVI. Sponsas admodum adolescens duas habuit: Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem; item Liviam Medullinam, cui et cognomen Camillæ erat, e genere antiquo dictatoris Camilli. Priorem, quod parentes ejus Augustum offenderant, virginem adhuc repudiavit: posteriorem ipso die, qui erat nuptiis destinatus, ex valetudine amisit. Uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam, triumphali, et mox Æliam Petinam, consulari patre. Cum utraque divortium fecit: sed cum Petina, ex levibus offensis: cum Urgulanilla, ob libidinum probra et homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messalinam, Barbati Messalæ, consobrini sui, filiam, in matrimonium accepit. Quam quum comperisset, super cetera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit; confirmavitque pro concione apud prætorianos, «Quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu: ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.» Nec durare valuit, quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque Lollie Paulinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filie, per jus osculi et blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit, proximo senatu, qui censerent, cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi reipublicæ maxime interesset; dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habeban-

tur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias; non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, et altero primipilari, cujus officium nuptiarum et ipse cum Agrippina celebravit.

XXVII. Liberos ex tribus uxoribus tulit: ex Urgulanilla Drusum et Claudiam; ex Petina Antoniam; ex Messalina Octaviam, et quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit. Drusum Pompeiis impubere amisit, piro, per lusum in sublime jactato et hiatu oris excepto, strangulatum; cui et ante paucos dies filiam Sejani despondisset. Quo magis miror, fuisse, qui traderent, fraude a Sejano necatum. Claudiam, ex liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris januam, et nudam jussit abjici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullæ, nobilissimis juvenibus, Octaviam Neroni privigno suo collocavit, Silano ante desponsatam. Britannicum, vicesimo imperii die, inque secundo consulatu natum sibi, parvulum etiam tum, et militi, pro concione manibus suis gestans, et plebi, per spectacula gremio aut ante se retinens, assidue commendabat, faustisque omnibus cum acclamantium turba prosequabatur. E generis Neronem adoptavit: Pompeium atque Silanum non recusavit modo, sed et interemit.

XXVIII. Libertorum præcipue suspexit Posiden spadonem, quem etiam britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit: nec minus Felicem, quem cohortibus et alis provinciæque Judææ præposuit, trium reginarum maritum: et Arpocran, cui lectica per Urbem vehendi, spectaculaque publice edendi jus tribuit:

ac super hos Polybium a studiis, qui sæpe inter duos consules ambulabat : sed ante omnes Narcissum ab epistolis, et Pallantem a rationibus, quos decreto quoque senatus non præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriiis prætorisque ornamentis honorari libens passus est, tantum præterea acquirere et rapere, ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, « Abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. »

XXIX. His, ut dixi, uxoribusque addictus, non principem, sed ministrum egit. Compendio cujusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est : et quidem insciens plerumque et ignarus. Ac ne singillatim minora quoque enumerem, revocatas liberalitates ejus, judicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorum codicillos; Appium Silanum, consocerum suum, Juliasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione ulla data, occidit : item Cn. Pompeium, majoris filiæ virum, et L. Silanum, minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est : Silanus abdicare se prætura ante quartum kalendas januarias, morique initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum. In quinque et triginta senatores, trecentosque amplius equites romanos tanta facilitate animadvertit, ut, de nece consularis viri renunciante centurione, « factum esse quod imperasset, » negaret, quicquam se imperasse, nihilo minus rem comprobaret; affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad ultionem impe-

ratoris ultro procucurrissent. Nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit; inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

XXX. Auctoritas dignitasque formæ non defuit vel stanti, vel sedenti, ac præcipue quiescenti. Nam et prolixo, nec exili, corpore erat; et specie canitieque pulchra, opimis cervicibus. Ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi, et remisse quid vel serio agentem multa debonestabant: risus indecens; ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus; præterea linguæ titubantia, caputque, quum semper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.

XXXI. Valetudine sicut olim gravi, ita princeps perprospera usus est, excepto stomachi dolore, quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

XXXII. Convivia agitavit et ampla et assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni simul discumberent. Convivatus est et super emissarium Fucini lacus, ac pæne summersus, quum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ et liberos suos cum pueris puellisque nobiles, qui more veteri ad fulera lectorum sedentes vescerentur. Convivæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, revocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, «quo veniam daret, flatum crepitumque ventris in convivio emittendi;» quum, periclitatum quemdam præ pudore ex continentia, reperisset.

XXXIII. Cibi viniq̄ue quocunq̄ue et tempore et loco appetentissimus. Cognoscens quondam in Augusti Foro, ictusq̄ue nidore prandii, quod in proxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, unaq̄ue decubuit. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, et ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni brevissimi erat (nam ante mediam noctem plerumq̄ue evigilabat): ut tamen interdium nonnunquam in jure dicendo obdormisceret, vixq̄ue ab advocatis, de industria vocem argentibus, excitaretur. Libidinis in feminas profusissimæ, marium omnino expers. Aleam studiosissime lusit: de cujus arte librum quoq̄ue emisit: solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur.

XXXIV. Sævum et sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quæstionum pœnasq̄ue parricidarum repræsentabat, exigebatq̄ue coram. Quum et spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, et, deligatis ad palum noxiis, carnifex deesset, accitum ab Urbe vesperam usq̄ue opperiri perseveravit. Quocunq̄ue gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium facies videret. Quum par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi parvulos ex utroq̄ue ferro in usum fieri sine mora jussit. Bestiariis meridianisque adeo delectabatur, ut et prima luce ad spectaculum descenderet, et meridie, dimisso ad prandium populo, persederet; præterq̄ue destinatos, etiam levi subitaq̄ue de causa, quosdam committeret,

de fabrorum quoque ac ministrorum, atque id genus numero, si automatum, vel pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit et unum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus.

XXXV. Sed nihil æque quam timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus, quamquam, ut diximus, jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo, culcitisque et stragulis prætentatis et excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos. Sero enim ac vix remisit, ne feminae prætextatique pueri et puellæ contrectarentur, et ne cujus comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu civili, quum eum Camillus, non dubitans etiam circa bellum posse terreri, contumeliosa et minaci et contumaci epistola cedere imperio juberet, vitamque otiosam in privata re agere; dubitavit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

XXXVI. Quasdam insidias temere delatas adeo expavit, ut deponere imperium tentaverit. Quodam, ut supra retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, senatum per præcones propere convocavit, lacrymisque et vociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset; ac diu publico abstinuit. Messalinæ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu, abjecit, quum adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit,

nihil tota via, quam, essetne sibi salvum imperium, requirens.

XXXVII. Nulla adeo suspicio, nullus auctor tam levis exstitit, a quo non, mediocri scrupulo injecto, ad cavendum ulciscendumque compelleretur. Unus ex litigatoribus seducto in salutatione affirmavit, vidisse se per quietem, occidi eum a quodam: dein paulo post, quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem adversarium suum demonstravit; confestimque is pro deprehenso ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum ferunt Appium Silanum: quem quum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem similis attonito patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se, vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari, retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie, ad id temporis ut adesset, præceptum erat, quasi plane repræsenteretur somnii fides, arcessi statim ac mori jussus est. Nec dubitavit postero die Claudius, ordinem rei gestæ perferre ad senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.

XXXVIII. Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit edicto; distinxitque, pollicitus « alteram quidem brevem et innoxiam, alteram non injustam fore. » Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obviam non miserint, graviter correptis, eaque cum invidia, ut, « in ordinem se coactum, » conscriberet, repente, tantum non satisfacientis modo, veniam dedit. Quosdam, in publico parum tempestive adeuntes, manu

sua repulit. Item scribam quæstorium, itemque prætura functum senatorem, inauditos et innoxios relegavit: quod ille adversus privatum se intemperantius adfuisset; hic in ædilitate inquilinos prædiorum suorum, contra vetitum cocta vendentes, multasset, villicumque intervenientem flagellasset. Qua de causâ etiam coercitionem popinarum ædilibus ademit. Ac ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Caio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est. Nec tamen persuasit; quum intra breve tempus liber editus sit, cui index erat *μωρῶν ἐπανόστασις*, argumentum autem, « stultitiam neminem fingere. »

XXXIX. Inter cetera in eo mirati sunt homines et oblivionem et inconsiderantiam, vel, ut græce dicam, *μετεωρίαν* et *ἀβλεψίαν*. Occisa Messalina, paulo post, quam in triclinio decubuit, « cur domina non veniret, » requisivit. Multos ex iis, quos capite damnaverat, postero statim die et in convivium, et ad aleæ lusum admoneri jussit: et, quasi morarentur, ut somniculosos per nuncium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non cessavit omni oratione « filiam, » et « alumnam, » et « in gremio suo natam atque educatam » prædicare. Asciturus in nomen familiæ suæ Neronem, quasi parum reprehenderetur, quod adulto jam filio privignum adoptaret, identidem divulgavit, « neminem unquam per adoptionem familiæ Claudię insertum. »

XL. Sermonis vero rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire aut cogitare existima-

retur. Quum de lanis ac vinariis ageretur, exclamavit in Curia: «Rogo vos, quis potest sine offula vivere?» descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim et ipse petere. De quæstore quodam candidato inter causas suffragationis suæ posuit, «quod pater ejus frigidam ægro sibi tempestive dedisset.» Inducta teste in senatu, «Hæc,» inquit, «matris meæ liberta et ornatrix fuit: sed me patronum semper existimavit. Hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patronum non putant.» Sed et pro tribunali, Ostiensibus quiddam publice orantibus, quum excanduisset, «Nil habere se,» vociferatus est, «quare eos demereatur: si quem alium, et se liberum esse.» Nam illa ejus quotidiana, et plane omnium horarum et momentorum erant, «Quid? ego tibi Theogonius videor?» et, «λάλει, καὶ μὴ Σίγγωνε.» multaque talia, etiam privatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

XLI. Historiam in adolescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavio etiam adjuvante, scribere aggressus est. Et quum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso. Nam quum initio recitationis, defractis compluribus subselliis obesitate cujusdam, risus exortus esset; ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque revocaret. In principatu quoque et scripsit plurimum, et assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris dictatoris. Sed et transiit ad inferiora tempora,

cœpitque a pace civili; quum sentiret, neque libere, neque vere, sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe et a matre et ab avia. Prioris materiæ duo volumina, posterioris unum et quadraginta reliquit. Composuit et « de Vita sua » octo volumina, magis inepte, quam ineleganter : item « Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros, » satis eruditam. Novas etiam commentus est litteras tres, ac numero veterum, quasi maxime necessarias, addidit : de quarum ratione quum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, actis diurnis, titulisque operum.

XLII. Nec minore cura græca studia secutus est, amorem præstantiamque linguæ occasione omni professus. Cuidam barbaro, græce et latine disserenti, « Quum utroque, » inquit, « sermone nostro sis paratus. » Et in commendanda patribus conscriptis Achaia, « gratam sibi provinciam, » ait, « communium studiorum commercio. » Ac sæpe in senatu legatis perpetua oratione respondit. Multum vero pro tribunali etiam Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno, signum de more poscenti, non temere aliud dedit, quam

Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνη.

Denique et græcas scripsit historias, *Τυρρῆνικῶν* xx, *Καρχηδονιακῶν* viii. Quarum causa veteri Alexandriae museo alterum additum ex ipsius nomine; institutumque, ut quotannis in altero *Τυρρῆνικῶν* libri, in altero

Καρχηδονιακῶν, diebus statutis, velut in auditorio, recitarentur toti a singulis per vices.

XLIII. Sub exitu vitæ, signa quædam, nec obscura, penitentis et de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione, dederat. Siquidem, commemorantibus libertis, ac laudantibus cognitionem, qua pridie quamdam adulterii ream condemnaverat, « sibi quoque in fatis esse, » jactavit, « omnia impudica, sed non impunita matrimonia. » Et subinde obvium sibi Britannicum artius complexus, hortatus est, « ut cresceret, rationemque a se omnium factorum acciperet; » græca insuper voce prosecutus, ὁ πρώσας καὶ ἰάσεται. Quumque impubi teneroque adhuc, quando statura permetteret, togam dare destinasset, adjecit: « ut tandem populus romanus verum Cæsarem habeat. »

XLIV. Non multoque post, testamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratum obsignavit. Prius igitur, quam ultra progredetur, præventus est ab Agrippina, quam præter hæc conscientia quoque, nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et veneno quidem occisum convenit: ubi autem, et per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem; alii, domestico convivio, per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat. Etiam de subsequentibus diversa fama est. Multi statim, hausto veneno, obmutuisse aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente evomuisse omnia, repetitumque toxico, incertum, pul-

tine addito, quum velut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem, ut quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subveniretur.

XLV. Mors ejus celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque et quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt, et inducti per simulationem comædi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit tertio idus octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola, consulibus, quarto et sexagesimo ætatis, imperii quartodecimo anno; funeratusque est sollemni principum pompa, et in numerum deorum relatus. Quem honorem, a Nerone destitutum abolitumque, recepit mox per Vespasianum.

XLVI. Præsgia mortis ejus præcipua fuerunt : exortus crinitæ stellæ, quam *cometen* vocant : tactumque de cœlo monumentum Drusi patris; et quod eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant. Sed nec ipse ignorasse, aut dissimulasse ultima vitæ suæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam et quum consules designaret, neminem ultra mensem, quo obiit, designavit : et in senatu, cui novissime interfuit, multum ad concordiam liberos suos cohortatus, utriusque ætatem suppliciter patribus commendavit. Et in ultima cognitione pro tribunali, « accessisse se ad finem mortalitatis, » quamquam abominantibus, qui audiebant, semel atque iterum pronunciavit.

NERO.

I. **E**x gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorum, et Ænobarborum. Ænobarbi auctorem originis, itemque cognominis, habent L. Domitium : cui rure quondam revertenti juvenes gemini augustiore forma ex occurso imperasse traduntur, nunciaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat : atque in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique assimilẽ capillum redderent. Quod insigne mansit et in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem consulatibus septem, triumpho, censuraque duplici, et inter patricios allecti, perseverarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne prænomina quidem ulla, præterquam Cnei et Lucii, usurparunt ; eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per trinas personas, modo alternantes per singulas. Nam primum secundumque ac tertium Ænobarborum Lucios ; sequentes rursus tres ex ordine Cneos accepimus ; reliquos nonnisi vicissim, tum Lucios, tum Cneos. Plures e familia cognosci referre arbitror, quo facilius appareat, ita degenerasse a suorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cujusque, quasi tradita et ingenita, retulerit.

II. Ut igitur paulo altius repetam, atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu pontificibus offensior, quod alium,

quam se, in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit : ac in consulatu, Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam vectus est, turba militum, quasi inter sollemnia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, « Non esse mirandum, quod æneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset. » Hujus filius prætor C. Cæsarem abeuntem consulatu, quem adversus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem senatus vocavit : mox consul imperatorem ab exercitibus gallicis retrahere tentavit : successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus est. Unde dimissus, Massilienses obsidione laborantes quum adventu suo confirmasset, repente destituit, acieque demum pharsalica occubuit : vir neque satis constans, et ingenio truci : in desperatione rerum, mortem, timore appetitam, ita expavit, ut haustum venenum pœnitentia evomuerit, medicumque manumiserit, quod sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio de mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

III. Reliquit filium, omnibus gentis suæ procul dubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis, quamquam insons, damnatus lege Pedia, quum ad Cassium Brutumque se, propinqua sibi cognatione junctos, contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit : auxit etiam; nec, nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte, et ingentis meriti loco, tradidit; solusque omnium ex iis, qui pari lege damnati

erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percurrit: ac subinde redintegrata dissensione civili, eidem Antonio legatus, delatam sibi summam imperii ab iis, quos Cleopatrarum pudebat, neque suscipere, neque recusare fidenter, propter subitam valetudinem, ausus, transiit ad Augustum: et in diebus paucis obiit, nonnulla et ipse infamia aspersus. Nam Antonius, cum desiderio amicæ Serviliæ Naidis transfugisse, jactavit.

IV. Ex hoc Domitius nascitur, quem emtorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est; non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde ornamenti triumphalibus ex germanico bello. Verum arrogans, profusus, immitis, censorem L. Plancum via sibi decedere ædilis coegit: præturæ consulatusque honore, equites romanos matronasque ad agendum mimum produxit in scenam. Venationes et in Circo, et in omnibus Urbis regionibus, dedit: munus etiam gladiatorium; sed tantæ sævitia, ut necesse fuerit Augusto, clam frustra monitum edicto coercere.

V. Ex Antonia majore patrem Neronis procreavit, omni parte vitæ detestabilem. Siquidem comes ad Orientem C. Caesaris juvenis, occiso liberto suo, quod potare, quantum jubebatur, recusarat, dimissus e cohorte amicorum, nihilo modestius vixit. Sed et in viæ Appiæ vicô repente puerum, citatis jumentis, haud ignarus obtrivit; et Romæ medio Foro cuidam equiti romano liberius jurganti oculum eruit: perfidiæ vero tantæ, ut non modo argentarios pretiis rerum coemtaram, sed et in prætura mercede palmarum aurigarios fraudaverit.

Notatus ob hæc et sororis joco, querentibus dominis factionum, « repræsentanda præmia in posterum, » sanxit. Majestatis quoque, et adulteriorum, incestique cum sorore Lepida, sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit; decessitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina, Germanico genita.

VI. Nero natus est Antii post nonum mensem, quam Tiberius excessit, duodevicesimo kalendas januaras, tantum quod ex oriente sole, pæne ut radiis prius, quam terra, contingeretur. De genitura ejus statim multa et formidolosa multis conjectantibus, præsagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quicquam ex se et Agrippina, nisi detestabile et malo publico, nasci potuisse. Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patrum suum, a quo mox principe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare: neque ipse serio, sed per jocum, et aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cujus ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caium universis bonis: et subinde matre etiam relegata, pæne inops atque egens, apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore. Verum Claudio imperium adepto, non solum paternas opes recuperavit, sed et Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. Gratia quidem et potentia revocatæ restitutæque matris usque eo floruit, ut emanaret in vulgus, missos

a Messalina, uxore Claudii, qui eum meridianam, quasi Britannici æmulum, strangularent. Additum fabulæ est, eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis, quas tamen, aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas, dextro brachio gestavit aliquamdiu; ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit; rursusque extremis suis rebus frustra requisivit.

VII. Tener adhuc, necdum matura pueritia, circensibus ludis Trojam constantissime favorabiliterque lusit. Undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ, jam tune senatori, in disciplinam traditus. Ferunt, Senecam proxima nocte visum sibi per quietem C. Cæsari præcipere: et fidem somnio Nero brevi fecit, prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Ænobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est. Amitam autem Lepidam ream testimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea premebatur. Deductus in Forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit: exin patri gratias in senatu egit. Apud eundem consulem pro Bononiensibus latine, pro Rhodiis atque Iliensibus græce verba fecit. Auspicatus est et jurisdictionem præfectus Urbi sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translaticias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus; quamvis interdictum a Claudio esset. Nec

multo post duxit uxorem Octaviam : ediditque pro Claudii salute circenses et venationem.

VIII. Septemdecim natus annos, ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores ; quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur : proque palatii gradibus imperator consalutatus, lectica in castra, et inde raptim appellatis militibus in Curiam delatus est, discessitque jam vesperi, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantum patris patriæ nomine recusato, propter ætatem.

IX. Orsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium, apparatissimo funere elatum, laudavit consecravitque. Memoriam Domitii patris honores maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit. Primo etiam imperii die signum excubanti tribuno dedit « Optimam matrem : » ac deinceps ejusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, ascriptis veteranis e prætorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilariis : ubi et portum operis sumtuosissimi fecit.

X. Atque, ut certiozem adhuc indolem ostenderet, « ex Augusti præscripto imperaturum se, » professus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit. Graviora vectigalia aut abolevit, aut minuit. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Divisis populo viritim quadringenis nummis, senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, et quibusdam quingena, constituit : item prætorianis cohortibus fru-

mentum menstruum gratuitum. Et quum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur : « Quam vellem, » inquit, « nescire litteras ! » Omnes ordine subinde ac memoriter salutavit. Agenti senatui gratias respondit : « Quum meruero. » Ad eampestres exercitationes suas admisit et plebem : declamavitque sæpius publice : recitavit et carmina, non modo domi, sed in theatro, tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata.

XI. Spectaculorum plurima et varia genera edidit : Juvenales, circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Juvenalibus senes quoque consulares, anusque matronas recepit ad lusum. Circensibus loca equiti secreta a ceteris tribuit : commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate imperii susceptos appellari *Maximos* voluit, ex utroque ordine et sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Inducta est et Afranii togata, quæ *Incendium* inscribitur; concessumque, ut scenici ardentis domus suppellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies : singula quotidie millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ; novissime naves, insulæ, agri.

XII. Hos ludos spectavit e proscenii fastigio. Munere, quod in amphitheatro ligneo, regione Martii campi intra anni spatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne

noxiorum quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosque equites romanos, et quosdam fortunæ atque existimationis integræ : ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum, et varia arenæ ministeria. Exhibuit et naumachiam marina aqua, innantibus belluis : item pyrrhichas quasdam e numero ephedorum, quibus post editam operam diplomata civitatis romanæ singulis obtulit. Inter pyrrhicharum argumenta, taurus Pasiphaen, ligneo juvencæ simulacro abditam, iniit, ut multi spectantium crediderunt. Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. Nam perraro præsidere, ceterum accubans, parvis primum foraminibus, deinde toto podio adaperto, spectare consuevit. Instituit et quinquennale certamen primum omnium Romæ, more græco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit *Neronia*. Dedicatisque thermis atque gymnasio, senatui quoque et equiti oleum præbuit. Magistros toti certamini præposuit consulares sorte, sede prætorum : deinde in orchestram senatumque descendit, et orationis quidem carminisque latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit : citharæ autem, a iudicibus ad se delatam, adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit. Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysiæ apparatus, barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino consecravit. Ad athletarum spectaculum invitavit et virgines vestales, quia Olympiæ quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

XIII. Non immerito inter spectacula ab eo edita et Tiridatis in Urbem introitum retulerim. Quem Armenia regem, magnis pollicitationibus sollicitatum, quum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit, dispositis circa Fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria atque vexilla: et primo per devexum pulpitem subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est; dein precanti, tiara deducta, diadema imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronunciante. Perductum inde in theatrum, ac rursus supplicentem, juxta se latere dextro collocavit. Ob quæ imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata. Janum geminum clausit, tanquam nullo residuo bello.

XIV. Consulatus quatuor gessit: primum bimestrem, secundum et novissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos continuavit; reliquos inter annua spatia variavit.

XV. In jurisdictione postulatoribus, nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit. Cognoscendi morem eum tenuit, ut, continuis actionibus omissis, singillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad consultandum secederet, neque in commune quicquam, neque propalam deliberabat; sed conscriptas ab unoquoque sententias tacitus ac secreto legens, quod sibi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In Curiam libertinorum filios diu non admisit: admissis a prioribus principibus honores denegavit. Candidatos, qui supra

numerum essent, in solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit. Consulatum in senos plerumque menses dedit. Defunctoque circa kalendas januarias altero e consulibus, neminem substituit; improbens exemplum vetus Caninii Rebili, uno die consulis. Triumphalia ornamenta etiam quæstoriæ dignitatis et nonnullis ex equestri ordine tribuit, nec utique de causa militari. De quibusdam rebus orationes ad senatum missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat.

XVI. Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, et ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumtu suo extruxit. Destinarat etiam Ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere. Multa sub eo et animadversa severe, et coercita, nec minus instituta. Adhibitus sumtibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactæ: interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, quum antea nullum non opsonii genus proponeretur: afflictis supplicii christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ; vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per jocosum jus erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ.

XVII. Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur. Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur; ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi ascriberet; item, ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem, pro subselliis nullam

omnino darent, præbente ærario gratuita : utque rerum actu ab ærario causæ ad Forum ac recuperatores transferrentur : et ut omnes appellationes a iudicibus ad senatum fierent.

XVIII. Augendi propagandique imperii neque voluntate ulla, neque spe motus unquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit : nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum, concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit.

XIX. Peregrinationes duas omnino suscepit, alexandrinam et achaicam : sed alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis quum in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit : deinde tanta oborta caligo est, ut dispicere non posset. In Achaia isthnum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est ; tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit. Parabat et ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex italicis senum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli, ut secernerem a probris ac sceleribus ejus, de quibus dehinc dicam.

XX. Inter ceteras disciplinas pueritiæ tempore imbutus et musica, statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharædum, vigentem tunc præter alios, arcessivit ; diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim et ipse meditari exerceri que cœ-

pit, neque eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causa, vel augendæ factitarent; sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere, et clystere vomituque purgari, et abstinere pomis cibusque officientibus, donec, blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis et fuscæ), prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares græcum proverbium jactans, «occultæ musicæ nullum esse respectum.» Et prodiit Neapoli primum; ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον. Ibidem sæpius, et per complures cantavit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balineis in theatrum transiit, mediaque in orchestra frequente populo epulatus, «si paulum subbibisset, aliquid se sufferti tinnituum,» græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo comœatu Neapolin confluerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui, divisi in factiones, plausuum genera condiscerent (*bombos, et imbrices, et testas* vocabant), operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguis coma, et excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo lævis: quorum duces quadragesena millia sestertium merebant.

XXI. Quum magni æstimaret cantare etiam Romæ, Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit; flagitantibusque cunctis cœlestem vocem, respondit quidem, «in hortis se copiam volentibus facturum:» sed adju-

vante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens; ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharæodorum jussit ascribi; sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo, simul præfecti prætorii citharam sustinentes, post tribuni militum, juxtaque amicorum intimi. Utque constitit, peracto principio, Nioben se cantaturum, per Cluvium Rufum consularem pronuntiavit, et in horam fere decimam perseveravit: coronamque eam et reliquam certaminis partem in annum sequentem distulit, ut sæpius canendi occasio esset. Quod quum tardum videretur, non cessavit identidem se publicare. Non dubitavit etiam privatis spectaculis operam inter scenicos dare, quodam prætorum sesterium decies offerente. Tragœdias quoque cantavit personatus; heroum deorumque, item heroidum ac dearum personis effectis ad similitudinem oris sui, et feminæ, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit «Canacem parturientem, Oresten matricidam, OEdipodem excæcatum, Herculem insanum.» In qua fabula fama est, tirunculum militem, positum ad custodiam aditus, quum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.

XXII. Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de circensibus erat: et quondam tractum prasinum agitorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui, ementitus est. Sed quum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos circenses e secessu

commeabat, primo clam, deinde propalam : ut nemini dubium esset, eo die utique adfuturum. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare : quare spectaculum multiplicatis missibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox et ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit : positoque in hortis inter servitia et sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse, Achaïam, ut diximus, petit, hinc maxime motus. Instituerant civitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharædorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusius, « Solos scire audire Græcos, solosque se et studiis suis dignos, » ait. Nec profectio dilata, ut primum Cassiopen trajecit, statim ad aram Jovis Cassii cantare auspicatus est.

XXIII. Certamina deinceps obiit omnia. Nam et quæ diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit; et Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit. Ac, ne quid circa hæc occupatum avocaret detineretve, quum præsentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis, « Quamvis nunc tuum consilium sit et votum, celeriter reverti me; tamen suadere et optare potius debes, ut Nerone dignus

revertar.» Cantante eo, ne necessaria quidem causa excedere theatro licitum erat. Itaque et enixæ quædam in spectaculis dicuntur, et multi tædio audiendi laudandique, clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adversariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi potest. Adversarios, quasi plane conditionis ejusdem, observare, captare, infamare secreto, nonnunquam ex occurso maledictis incessere, ac, si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Judices autem, prius quam inciperet, reverentissime alloquebatur, «Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunæ: illos, ut sapientes et doctos viros, fortuita debere excludere:» atque, ut auderet, hortantibus, æquiore animo recedebat; ac ne sic quidem sine sollicitudine, taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia et malignitate arguens, suspectosque sibi dicens.

XXIV. In certando vero ita legi obediebat, ut nunquam exscreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in tragico quodam actu, quum elapsum baculum cito resumsisset, pavidus et metuens, ne ob delictum certamine summo veretur, non aliter confirmatus est, quam adjurante hypocrita, non animadversum id inter exsultationes succlamationsque populi. Victorem autem se ipse pronunciabat; qua de causa et præconio ubique contendit. Ac ne cujus alterius hieroniarum memoria aut vestigium exstaret usquam, subverti et unco trahi abjicique in latrinas omnium statuas et imagines, imperavit. Aurigavit quoque plurifariam,

Olympiis vero etiam decemjugem; quamvis id ipsum in rege Mithridate carinine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, quum perdurare non posset, destitit ante decursum; neque eo secius coronatus est. Decedens deinde, provinciam universam libertate donavit; simulque iudices civitate romana, et pecunia grandi. Quæ beneficia e medio stadio, Isthmiorum die, sua ipse voce pronunciavit.

XXV. Reversus e Græcia Neapolin, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens olympiacam, dextra manu pythiam, præeunte pompa ceterarum cum titulis, « ubi, » et « quos, quo cantionum, quove fabularum argumento vicisset; » sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, « Augustianos, militesque se triumphi ejus, » clamitantibus. Dehinc, diruto Circi maximi arcu, per Velabrum Forumque, Palatium et Apollinem petiit. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, ac lemnisci, et bellaria. Sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit: item statuas suas citharædico habitu; qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantum abfuit a remittendo laxandoque studio, ut, conservandæ vocis gratia, neque milites unquam, nisi absens, aut alio verba pronunciante, appellarit; neque quicquam serio jocove egerit, nisi adstante pho-nasco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os

applicaret; multisque vel amicitiam suam obtulerit, vel similitatem indixerit, prout quisque se magis parciusve laudasset.

XXVI. Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, sensim quidem primo et occulte, et velut juvenili errore, exercuit: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia, non ætatis esse. Post crepusculum statim, arrepto pileo vel galero, popinas inibat; circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assue- rat: tabernas etiam effringere et expilare, quintana domi constituta, ubi partæ et ad licitationem dividendæ prædæ pretium absumeretur. Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum et vitæ periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare nunquam postea publico se illud horæ sine tribunis commisit, procul et occulte subsequentibus. Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori signifer simul ac spectator aderat. Et quum ad manus ventum esset, lapidibusque et subselliõrum fragminibus decerneretur, multa et ipse jecit in populum, atque etiam prætoris caput consauciavit.

XXVII. Paulatim vero invalescentibus vitiis, jocularia et latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad majora palam erupit. Epulas a medio die ad mediam noctem protrahabat, refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis: cœnitabatque nonnunquam et in publico, Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel

Circo maximo, inter scortorum totius Urbis ambubaia-
rumque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret,
aut Baianum sinum præternavigaret, dispositæ per li-
tora et ripas deversoriæ tabernæ parabantur, insignes
ganeæ et matronarum, institorias operas imitantium,
atque hinc inde hortantium, ut appelleret. Indicebat et
familiaribus cœnas, quorum uni mellita quadragies se-
stertio constitit, alteri pluris aliquanto absorptio rosaria.

XXVIII. Super ingenuorum pædagogia, et nuptiarum
concupinatus, vestali virgini Rubriæ vim intulit. Acten
libertam, paulum abfuit, quin justo matrimonio sibi
conjungeret, summissis consularibus viris, qui regio
genere ortam pejerarent. Puerum Sporum, exsectis te-
stibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare cona-
tus, cum dote et flammeo, per sollemne nuptiarum,
celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit.
Exstatque cujusdam non inscitus jocus, « Bene agi po-
tuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem
habuisset uxorem. » Hunc Sporum, Augustarum orna-
mentis excultum, lecticaque vectum, et circa conventus
mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria,
comitatus est, identidem exosculans. Nam matris con-
cubitum appetisse, et ab obtrectatoribus ejus, ne ferox
atque impotens mulier et hoc genere gratiæ prævaleret,
deterritum, nemo dubitavit : utique postquam meretricem,
quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter
concupinas recepit. Olim etiam, quoties lectica cum
matre veheretur, libidinum incestu, ac maculis vestis
proditum, affirmant.

XXIX. Suam quidem pudicitiam usque adeo prosti-

tuit, ut, contaminatis pæne omnibus membris, novissime quasi genus lusus excogitaret, quo feræ pelle contactus emitteretur e cavea, virorumque ac feminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet; et quum affatim desævisset, conficeretur a Doryphoro liberto: cui etiam, sicut ipsi Sporus, .ita ipse denupsit, voces quoque et ejulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum esse; verum plerosque dissimulare vitium, et callide obtegere: ideoque professis apud se obscœnitatem cetera quoque concessisse delicta.

XXX. Divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus impensarum ratio constaret; prælauros vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque avunculum Caium nullo magis nomine, quam quod ingentes a Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In Tiridaten, quod vix credibile videatur, octingena nummum millia diurna erogavit, abeuntique super sestertium millies contulit. Menecraten citharædum et Spiculum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibusque donavit. Cercopithecum Panerotem, feneratorum, et urbanis rusticisque prædiis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum sestertiis aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Nunquam minus mille carrucis fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusimatis mulionibus, ar-

millata et phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.

XXXI. Non in alia re tamen damnosior, quam in ædificando. Domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo *Transitoriam*, mox, incendio absumtam, restitutamque, *Auream* nominavit. De cujus spatio atque cultu suffecerit hæc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie; tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet; item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem; rura insuper, arvis atque vinetis, et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis et Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum quum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut, «se,» diceret, «quasi hominem tandem habitare cœpisse.» Præterea inchoabat piscinam a Miseno ad Avernum lacum, contactam, porticibusque conclusam, quo, quicquid totis Baiis calidarum aquarum esset, converteretur: fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per centum sexaginta millia; latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique esset custodia, in Italiam deportari, etiam scelere convictos non nisi ad opus damnari, præceperat.

Ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam imperii, etiam spe quadam repentina immensarum et reconditarum opum impulsus est, ex indicio equitis romani, pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera.

XXXII. Verum ut spes fefellit, destitutus, atque ita jam exhaustus et egens, ut stipendia quoque militum, et commoda veteranorum, protrahi ac differri necesse esset, calumniis rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur, qui sine probabili causa eo nomine fuissent, quo essent ullæ familie, quas ipse contingeret: deinde, ut ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac, ne impune esset studiosis juris, qui scripsissent vel dictassent ea: tum, ut lege majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Revocavit et præmia coronarum, quæ unquam sibi in certaminibus civitates detulissent. Et quum interdixisset usum amethystini ac tyrii coloris, summisissetque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet, præcluserit cunctos negotiatores. Quin etiam inter cauendum animadversam matronam e spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis dicitur; detractamque illico, non veste modo, sed et bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret, « scis, quid mihi opus sit: » et, « hoc agamus, ne quis quicquam habeat. » Ultimo, templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabri-

cata conflavit ; in his penatium deorum , quæ mox Galba restituit.

XXXIII. Parricidia et cædes a Claudio exorsus est : cujus necis etsi non auctor, at conscius fuit ; neque dissimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quasi deorum cibum, posthac proverbio græco collaudare sit solitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sævitæ arguens. Nam et *morari* eum inter homines desisse, producta prima syllaba, jocabatur : multa que decreta et constituta, ut insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique bustum ejus consepiri, nisi humili levique maceria, neglexit. Britannicum, non minus æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quam metu, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Quod acceptum a quadam Locusta, venenariorum inclita, quum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto ; arcessitam mulierem sua manu verberavit, arguens, pro veneno remedium dedisse : excusantique, minus datum ad occultandam facinoris invidiam ; « Sane, » inquit, « legem Juliam timeo : » coegitque se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac præsentaneum coquere. Deinde in hædo expertus, postquam is quinque horas protraxit, iterum ac sæpius recoctum, porcello objecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti secum Britannico imperavit. Et quum ille ad primum gustum concidisset, comitali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translaticio extulit funere.

Locustæ pro navata opera impunitatem prædiaque ampla, sed et discipulos dedit.

XXXIV. Matrem, dicta factaque sua exquirentem acerbius et corrigentem, hætenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodumque abiturus: mox et honore omni et potestate privavit; abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque ac palatio expulit. Neque in divexanda quicquam pensi habuit, summissis, qui et Romæ morantem litibus, et in secessu quiescentem per convicia et jocos, terra marique prætervehentes inquietarent. Verum minis ejus ac violentia territus, perdere statuit. Et quum ter veneno tentasset, sentiretque antidotis præmunitam; lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per consocios parum celato, solutilem navem, cujus vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis litteris Baias evocavit ad sollemnia Quinquatruum simul celebranda; datoque negotio trierarchis, qui liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit, hilare prosecutus: atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cæptorum opperiens exitum. Sed ut diversa omnia, nandoque evasisse eam, comperit, inops consilii, L. Agerinum liberum ejus, salvam et incolumem cum gaudio nunciantem, abstracto clam juxta pugione, ut percussorem sibi subornatum arripi constringique jussit, matremque occidi;

quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, sed incertis auctoribus, ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim oborta, bibisse. Neque tamen conscientiam sceleris, quamquam et militum, et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut unquam postea ferre potuit, sæpe confessus, exagitari se materna specie, verberibusque Furiarum ac tædis ardentibus. Quin et, facto per magos sacro, evocare manes et exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii et scelerati voce præconis summoventur, interesse non ausus est. Junxitque parricidio matris amitæ necem. Quam quum ex duritie alvi cubantem visitaret, et illa, tractans lanuginem ejus, ut assolet, jam grandis natu, per blanditias forte dixisset, « simul hanc excepero, mori volo : » conversus ad proximos, confestim se positurum, velut irridens ait; præcepitque medicis, ut largius purgarent ægram. Necdum defunctæ bona invasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.

XXXV. Uxores præter Octaviam duas postea duxit : Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam, et equiti romano antea nuptam; deinde Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum ejus, Atticum Vestinum consulem, in honore ipso trucidavit. Octaviæ consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, « Sufficere illi debere, » respondit, « uxoria ornamenta. » Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem : sed

improbante divortium populo, nec parcente conviciis, etiam relegavit. Denique occidit sub crimine adulteriorum, adeo impudenti falsoque, ut, in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum indicem subjecerit, qui dolo stupratam a se fateretur. Poppæam, duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unice. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quod se, ex aurigatione sero reversum, gravida et ægra conviciis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullum adeo necessitudinis genus est, quod non scelere pereulerit. Antoniam, Claudii filiam, recusantem post Poppææ mortem nuptias suas, quasi molitricem novarum rerum interemit. Similiter ceteros, aut affinitate aliqua sibi, aut propinquitate conjunctos; in quibus Aulum Plantium juvenem: quem quum ante mortem per vim conspurcasset, « Eat nunc, » inquit, « mater mea, et successorem meum osculetur; » jactans, dilectum ab ea, et ad spem imperii impulsus. Privignum Rufium Crispinum, Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. Tuscum, nutricis filium, relegavit, quod in procuratione Ægypti, balineis in adventum suum exstructis lavisset. Senecam præceptorem ad necem compulit; quamvis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte jurasset, « suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei. » Burrho præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos divites et senes, olim adoptionis,

mox dominationis suæ fautores atque rectores, veneno, partim cibus, partim potionibus indito, interceptit.

XXXVI. Nec minore sævitia foris et in exteros grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere; nobilissimo cuique exitium destinavit. Enimvero multo magis, et quasi per justam causam, duabus conjurationibus provulgatis: quarum prior majorque Pisoniana, Romæ; posterior, Viniciiana, Beneventi conflata atque detecta est. Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixere causam: quum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tanquam aliter illi non possent, nisi morte, succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi Urbe pulsati, enectique veneno, aut fame. Constat, quosdam cum pædagogis et capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

XXXVII. Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi, quoscunque libuisset, quacunque de causa. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito objectum est, quod tabernas tres de domo sua circa Forum civitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii, percussoris Cæsaris, retinisset imagines: Pæto Thraseæ, tristior et pædagogi vultus. Mori jussis non amplius, quam horarum spatium, dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, «qui

cunctantes continuo curarent;» ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam polyphago cuidam ægyptii generis, erudam carnem, et, quicquid daretur, mandere assueto, concupisse vivos homines laniandos absumendosque objicere. Elatus inflatusque tantis velut successibus, negavit, « quemquam principum scisse, quid sibi liceret : » multasque nec dubias significationes sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum senatoribus; eumque ordinem sublaturum quandoque e republica, ac provincias et exercitus equiti romano ac libertis permisurum. Certe neque adveniens, neque proficiscens, quemquam osculo impertiit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspicando opere isthmi, magna frequentia clare, « Ut sibi ac populo romano bene res verteret, » optavit, dissimulata senatus mentione.

XXXVIII. Sed nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi,

Ἐμοῦ θανάτος γὰρ μεγάλῳ περι

« Immo, » inquit, « ἐμοῦ ζῶντος. » Planeque ita fecit : nam, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, et angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem tam palam, ut plerique consulares cubicularios ejus, cum stuppa tædaque in prædiis suis deprehensos, non attigerint : et quædam horrea circa *domum auream*, quorum spatium maxime desiderabat, [ut] bellicis machinis labefactata atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per sex dies septemque noctes ea clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque deversoria plebe compulsa. Tunc, præter immensum numerum in-

sularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatæ, deorumque ædes, ab regibus, ac deinde punicis et gallicis bellis votæ dedicatæque, et quicquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium e turre Mæcenatiana prospectans, lætusque «flammæ,» ut aiebat, «pulchritudine,» ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. Ac ne non hinc quoque, quantum posset prædæ et manubiarum, invaderet, pollicitus cadaverum et rudерum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit; collationibusque non receptis modo, verum et efflagitatis, provincias privatorumque census prope exhaustit.

XXXIX. Accesserunt tantis ex principe malis probrisque quædam et fortuita : pestilentia unius autumnii, quo triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt : clades britannica, qua duo præcipua oppida, magna civium sociorumque cæde, direpta sunt : ignominia ad Orientem, legionibus in Armenia sub jugum missis, ægreque Syria retenta. Mirum, et vel præcipue notabile inter hæc fuerit, nihil eum patientius, quam maledicta et convicia hominum, tulisse; neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. Multa græce latineque proscripta, aut vulgata sunt; sicut illa :

Νέρων, Ὁρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.

Νεόνυμφρον Νέρων ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν.

Quis negat, Æneæ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
 Noster erit Pæan, ille Ἐκαστὸν βελίετις.

Roma domus fiet : Veios migrate, Quirites,
 Si non et Veios occupat ista domus.

Sed neque auctores requisit : et quosdam per indicem delatos ad senatum, affici graviore pœna prohibuit. Transeuntem Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, «quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponderet.» Et Datus, atellanarum histrio, in cantico quodam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μήτηρ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum scilicet Claudii Agrippinæque significans : et in novissima clausula,

Orcus vobis ducit pedes,

senatum gestu notaret. Histriorem et philosophum Nero nihil amplius, quam Urbe Italiaque summovit, vel contentu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia.

XL. Talem principem paulo minus quatuordecim annos peressus terrarum orbis, tandem destituit; initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam propratore obtinebat. Prædictum a mathematicis Neroni olim erat, fore, ut quandoque destitueretur : unde illa vox ejus celeberrima, τὸ τεχνίον πᾶσα γαῖα πρέφει quo majore scilicet venia meditaretur citharœdicam artem, principi sibi gratam, privato necessariam. Sponponderant tamen quidam destituto Orientis dominationem, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinae fortunæ restitutionem.

Cui spei pronior, Britannia Armeniaque amissa, ac rursus utraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Ut vero, consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi, audivit, quasi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tanta fiducia non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut, amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, « pisces eas sibi relatueros.» Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso, quo matrem occiderat: adeoque lente ac secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum provinciarum. Statim in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectavit. Cœnæ quoque tempore interpellatus tumultuosioribus litteris, hactenus excanduit, ut malum iis, qui descissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliteravit.

XLI. Edictis tandem Vindicis contumeliosis et frequentibus permotus, senatum epistola in ultionem sui rei que publicæ adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem non adesset. Nihil autem æque doluit, quam ut malum se citharædum increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumpturum se professus est, deposito adoptivo. Cetera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inscitia sibi tanto opere elaboratæ perfectæ-

que a se artis objiceretur; singulos subinde rogans, « nossetne quemquam præstantiorem. » Sed urgentibus aliis super alios nunciis, Romam prætrepidus rediit: leviterque modo in itinere frivolo auspicio mente recreata, quum annotasset, insculptum monumento militem gallicum ab equite romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exsiluit gaudio, cœlumque adoravit. Ac ne tunc quidem aut senatu aut populo coram appellato, quosdam e primoribus viris domum evocavit: transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit: ostendensque singula, de ratione ac difficultate cujusque disserens, jam se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceat.

XLII. Postquam deinde etiam Galbam et Hispanias descivisse cognovit, collapsus, animoque male fracto, diu et sine voce, et prope intermortuus jacuit. Utque resipuit, veste discissa, capite converberato, « actum de se, » pronuntiavit: consolantique nutriculae, et aliis quoque jam principibus similia accidisse memoranti, « Se vero præter ceteros inaudita et incognita pati, » respondit, « qui summum imperium vivus amitteret. » Nec eo secius quicquam ex consuetudine luxus atque desidiae omisit, vel imminuit. Quin immo, quum prosperi quiddam ex provinciis nunciatum esset, super abundantissimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, lasciveque modulata, quæ vulgo notuerunt, etiam gesticulatus est; ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nunciûm misit, « abuti eum occupationibus suis. »

XLIII. Initio statim tumultus, multa et immania,

verum non abhorrentia a sua natura, creditur destinasse : successores percussoresque summittere exercitus et provincias regentibus, quasi conspiratis, idemque et unum sentientibus : quicquid ubique exsulum, quicquid in Urbe hominum gallicanorum esset, contrucidare : illos, ne desciscentibus aggregarentur; hos, ut conscios popularium suorum atque fautores : Gallias exercitibus diripiendas permittere : senatum universum veneno per convivia necare : Urbem incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam pœnitentia, quam perficiendi desperatione, credensque expeditionem necessariam, consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniiit consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a se consule. Ac susceptis fascibus, quum post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmavit, « simul ac primum provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quicquam aliud quam fleturum; revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret. »

XLIV. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinasque, quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, et securibus peltisque amazonicis instruendi. Mox tribus urbanas ad sacramentum citavit; ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit; nec, nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem aut amanuensibus exceptis,

recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre jussit : et insuper inquilinos privatarum ædium atque insularum pensionem annuam repræsentare fisco : exegitque ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam : ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, « a delatoribus potius revocanda præmia, quæcunque cepissent. »

XLV. Ex annonæ quoque caritate [lucranti] accrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame alexandrina navis nunciaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Quare omnium in se odio incitato, nihil contumeliarum defuit, quin subiret. Statuæ ejus a vertice cirrus appositus est cum inscriptione græca, « Nunc demum agona esse, » et « Traderet tandem. » Alterius collo et ascopera deligata, simulque titulus : « Ego quid potui? sed tu culeum meruisti. » Ascriptum et columnis, « Jam Gallos cum cantando excitasse. » Jam noctibus jurgia cum servis plerique simulantes, crebro *vindicem* posebant.

XLVI. Terrebatur ad hoc evidentibus portentis somniorum et auspiorum et ominum, quum veteribus, tum novis. Nunquam antea somniare solitus, occisa demum matre, vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum; trahique se ab Octavia uxore in artissimas tenebras : et modo pennatarum fornicarum multitudine oppleri, modo a simulacris gentium, ad Pompeii theatrum dedicatarum, circumiri, arcerique progressu; Asturconem, quo maxime lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tan-

tum capite integro, hincit edere canoros. De mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est nomine eum cientis. Kalendis januarii exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt. Auspiciantem Sporos annulum muneri obtulit, cujus gemmæ sculptura erat «Proserpinæ raptus.» Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia, vix repertæ Capitolii claves. Quum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in senatu, «datuos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos,» conclamatum est ab universis : «Tu facies, Auguste.» Observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice «OEdipodem exsulem,» atque in hoc desisse versu :

Θανείν μ' ἀνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

XLVII. Nunciata interim etiam ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus, quos Homeros a cœlatura carminum Homeri vocabat, solo illisit, ac sumto a Locusta veneno, et in auream pyxidem condito, transiit in hortos Servilianos. Ubi, præmissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem præparandam, tribunos centurionesque prætorii de fugæ societate tentavit. Sed partim tergiversantibus, partim aperte detrectantibus, uno vero etiam proclamante,

Usque adeone mori miserum est?

varia agitavit : Parthosne, an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque Rostris, quanta maxima posset miseratione, veniam præteritorum precaretur, ac, ni flexisset animos, vel Ægypti præfecturam

concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus : sed deterritum putant, ne prius, quam in Forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit, stationem militum recessisse, prosiluit e lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit, unde jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide veneni. Ac statim Spiculum mirmillonem, vel quemlibet percussorem, cujus manu periret, requisivit : et, nemine reperto, « Ergo ego, » inquit, « nec amicum habeo, nec inimicum? » procurritque, quasi præcipitatus se in Tiberim.

XLVIII. Sed revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit : et offerente Phaonte liberto suburbanum suum inter Salariam et Nomentanam viam circa quartum milliarium, ut erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit : adopertoque capite, et ante faciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solis comitantibus, inter quos et Sporus erat. Statimque tremore terræ, et fulgure adverso pavefactus, audiit ex proximis castris clamorem militum, et sibi adversa, et Galba prospera ominantium : etiam ex obviis viatoribus quemdam dicentem, « Hi Neronem persequuntur; » alium sciscitantem, « Ecquid in Urbe novi de Nerone? » Equo autem odore abjecti in via cadaveris consternato, detecta facie agnitus est a quodam missicio prætoriano, et

salutatus. Ut ad deverticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, ad aversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ arenæ concederet, negavit, « se vivum sub terram iturum : » ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta lacuna poturus manu hausit; et, « Hæc est, » inquit, « Neronis decocta. » Dein, divulsa sentibus pænula, trajectos surculos rasis : atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus in proximam cellam, decubuit super lectum, modica culcita, vetere pallio strato instructum. Fameque interim et siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantum bibit.

XLIX. Tunc unoquoque hinc inde instante, ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum : componique simul, si qua invenirentur, frusta marmoris, et aquam simul ac ligna conferrî, curando mox cadaveri, flens ad singula, atque identidem dictitans : « Qualis artifex pereor ! » Inter moras perlatus a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque, « se hostem a senatu judicatum, et quæri, ut puniatur more majorum : » interrogavitque, quale id genus esset pœnæ. Et quum comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi ; conterritus, duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit; tentataque utriusque acie, rursus condidit, causatus, « nondum adesse fatalem horam. » Ac modo Spörum hortabatur, ut lamentari ac

plangere inciperet : modo orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret : interdum segnitiam suam his verbis increpabat : « Vivo deformiter ac turpiter : οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει γήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις ἔργῳ ἡγείσθαι σεαυτὸν. » Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, trepidanter effatus,

Ἰππων μὲ ἀκυστόδων ἀμφὶ κτύπος οὕατα βάλλει,

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito a libellis. Semianimisque adhuc irrumpenti centurioni, et, pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quam « Sero, » et, « Hæc est fides! » Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium. Nihil prius aut magis a comitibus exegerat, quam ne potestas cuiquam capitis sui fieret; sed ut, quoquo modo, totus cremaretur. Permisit hoc Icelus, Galbæ libertus, non multo ante vinculis exsolutus, in quæ primo tumultu coniectus fuerat.

L. Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus kalendis januarii fuerat. Reliquias Ecloge et Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio, impositum colli horrorum. In eo monumento solium Porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, circumseptum est lapide Thasio.

LI. Statura fuit prope justa, corpore maculoso et fætido; sufflavo capillo, vultu pulchro magis, quam ve-

nusto, oculis cæsiis et hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam, qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per quatuordecim annos languit, atque ita, ut neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione achaica, etiam pone verticem summiserit; ac plerumque synthesinam indutus, ligato circum collum sudario, prodierit in publicum, sine cintu, et discalciatus.

LII. Liberales disciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philosophia eum mater avertit, monens, imperaturo contrariam esse: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad poeticam pronus, carmina libenter ac sine labore composuit: nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos; ita multa et deleta, et inducta, et superscripta inerant. Habuit et pingendi, fingendique maxime, non mediocre studium.

LIII. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit opinio, post scenicas coronas proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas. Nam et luctabatur assidue: nec aliter certamina gymnica tota Græcia spectaverat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens, ac, si qua paria longius recessis-

sent, in medium manibus suis protrahens. Destinaverat etiam, quia Apollinem cantu, Solem aurigando equiparare existimaretur, imitari et Herculis facta; præparatumque leonem aiunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus, in Amphitheatri arena, spectante populo, nudus elideret.

LIV. Sub exitu quidem vitæ palam voverat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partæ victoriæ ludis etiam hydraulam, et choraulam, et utricularium, ac novissimo die histrionem, saltaturumque Virgillii Turnum. Et sunt, qui tradant, Paridem histrionem occisum ab eo, quasi gravem adversarium.

LV. Erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta; ideoque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, novam induxit ex suo nomine. Mensem quoque aprillem Neroneum appellavit. Destinaverat et Romam Neropolin nuncupare.

LVI. Religionum usquequaque contemtor, præter unius deæ Syriæ. Hanc mox ita sprexit, ut urina contaminaret; alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime hæsit. Siquidem icunculam puellarem quum quasi remedium insidiarum a plebeio quodam et ignoto muneri accepisset, detecta confestim conjuratione, pro summo numine, trinisque in die sacrificiis, colere perseveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoscere. Ante paucos, quam periret, menses, attendit et extispicio, nec unquam litavit.

LVII. Obiit secundo et tricesimo ætatis anno, die, quo quondam Octaviam interemerat, tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota Urbe discurs-

reret. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent; ac modo imagines prætextatas in Rostris profferrent, modo edicta, quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri. Quin etiam Vologesus, Parthorum rex, missis ad senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam magno opere oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique, quum post viginti annos, adolescente me, exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, et vix redditus sit.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.

NOVA

SCRIPTORUM LATINORUM

BIBLIOTHECA

NOVA
SCRIPTORUM LATINORUM
BIBLIOTHECA

AD OPTIMAS EDITIONES RECENSITA

ACCLABANTIBUS PARIENSIS ACADEMIÆ PROFESSORIBUS

ET COLLIGENTE J. P. CHARPENTIER

RHETORICES PROFESSORE

—
EDIDIT

C. L. F. PANCKOUCKE

ÆQUAS LÆDONTI HONORIS ADSUMPTUS



LIPSIAE

APUD JOH. AMBR. BARTH

—
M DCCC XXXVII

SUETONIUS.

CAII
SUETONII TRANQUILLI
OPERA

SELECTIS VARIORUM
ANIMADVERSIONIBUS

SUISQUE INSTRUIT

E. GROS

IN ABBATIS RUDOLPHI MAGNI COLLEGIO HUMANIORUM LITTERARUM
PROFESSOR

VOLUMEN SECUNDUM.

LIPSIÆ
APUD JOH. AMBR. BARTH

M DCCC XXXVII

C. SÜETONII TRANQUILLI

GALBA.

I. **P**ROGENIES Cæsarum in Nerone defecit : quod futurum, compluribus quidem signis, sed vel evidentissimis duobus, apparuit. Liviæ olim, post Augusti statim nuptias Veientanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium : quumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad Gallinas* vocetur; tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent : fuitque mos triumphantibus, illas confestim eodem loco pangere : et observatum est, sub cuiusque obitum arborem, ab ipso institutam, elanguisse. Ergo novissimo Neronis anno et silva omnis exaruit radicitus, et quicquid ibi gallinarum erat, interiit : ac subinde tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus simul statuis deciderunt; Augusti etiam sceptrum e manibus excussum est.

II. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum, sed haud dubie nobilissimus, magnaque et vetere prosapia, ut qui statuarum titulis pronepotem se Q. Catuli Capitolini semper adscripserit;

imperator vero etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret.

III. Imagines et elogia universi generis exsequi longum est : familiæ breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hispaniæ, frustra diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus succenderit : alii, quod in diuturna valetudine galbeo, id est, remediis lana involutis, assidue uteretur : nonnulli, quod præpinguis fuerit visus, quem *galbam* Galli vocent ; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quæ in æsculis nascuntur, appellanturque *galbæ*. Familiam illustravit Servius Galba consularis, temporum suorum et eloquentissimus : quem tradunt, Hispaniam ex prætura obtinentem, xxx Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriathini belli causam exstitisse. Ejus nepos, ob repulsam consulatus infensus Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspiravit cum Cassio et Bruto : propter quod Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt imperatoris Galbæ avus et pater. Avus clarior studiis quam dignitate : non enim egressus præturæ gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit. Pater consulatu functus, quamquam brevi corpore, atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis, causas industrie actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaicam, neptem Catuli, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit : item Liviam Ocellinam, ditem admodum et pulchram : a qua tamen nobilitatis causa appetitus ultro existimatur, et aliquanto enixius, postquam subinde in-

stanti vitium corporis secreto posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Caium et Servium, procreavit. Quorum major Caius attritis facultatibus Urbe cessit : prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit.

IV. Serv. Galba imperator, M. Valerio Messala, Cn. Lentulo consulibus, natus est, ix kalendas januarii, in villa colli superposita, prope Terracinam, sinistrorsus Fundos petentibus. Adoptatus a noverca sua, Livium nomen et Ocellæ cognomen assumpsit, mutato prænومine. Nam et Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit. Constat, Augustum puero adhuc, salutanti se inter æquales, apprehensa buccula dixisse, καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρέξῃ. Sed et Tiberius, quum comperisset, imperaturum eum, verum in senecta, « Vivat sane, » ait, « quando id ad nos nihil pertinet. » Avo quoque ejus fulgur procuranti, quum exta de manibus aquila rapuisset, et in frugiferam quercum contulisset, responsum est, summum, sed serum, imperium portendi familiæ. Et ille irridens, « Sane, » inquit, « quum mula pepererit. » Nihil æque postea Galbam tentantem res novas confirmavit, quam mulæ partus : ceterisque ut obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii, dictique avi. Sumta virili toga, somniavit Fortunam dicentem, « stare se ante fores defessam, et, nisi ocius reciperetur, cuicunque obvio prædæ futuram. » Utque evigilavit, aperto atrio, simulacrum æneum deæ, cubitali majus, juxta limen invenit : idque gremio suo Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexit, et in parte ædium consecratum. men-

struis deinceps supplicationibus et pervigilio anniversario coluit. Quamquam ætate nondum constanti, veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

V. Inter liberales disciplinas attendit et juri. Dedit et matrimonio operam: verum, amissa uxore Lepida, duobusque ex ea filiis, remansit in cælibatu, neque sollicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem, viduatæ morte Domitii, quæ maritum quoque adhuc necdum cælibem, Galbam adeo omnibus sollicitaverat modis, ut in conventu matronarum correpta jurgio, atque etiam manu pulsata sit a matre Lepidæ. Observavit ante omnes Liviam Augustam: cujus et vivæ gratia plurimum valuit. et mortuæ testamento pæne ditatus est: sestertium namque quingenties quum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa. herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.

VI. Honoribus ante legitimum tempus initis, prætor commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos, edidit; exin provinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit: mox consulatum per sex menses ordinarium gessit: evenitque, ut in eo ipse Cn. Domitio, patri Neronis, ipsi Salvius Otho, pater Othonis, succederet, velut præsagium insequentis casus, quo medius inter utriusque filios exstitit imperator. A Caio Cæsare Gætulico substitutus, postridie quam ad legiones venit, sollemni forte spectaculo plaudentes inhibuit,

data tessera, « ut manus pænulis continerent. » Statimque per castra jactatum est,

Disce, miles, militare; Galba est, non Gætulicus.

Pari severitate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroboravit: matureque Barbaris, qui jam in Galliam usque proruperant, coercitis, præsentis quoque Caio talem et se et exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus provinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent: ipse maxime insignis, quod campestem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.

VII. Cæde Caii nunciata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratissimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, ut, quum subita ei valetudo, neque adeo gravis, incidisset, dilatus sit expeditionis britannicæ dies. Africam proconsule biennio obtinuit, extra sortem electus ad ordinandam provinciam, et intestina dissensione et Barbarorum tumultu inquietam: ordinavitque magna severitatis ac justitiæ cura, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem artissima annona residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri: et is fame extahuit. At in jure dicendo, quum de proprietate jumenti quaereretur, levibus utrinque argumentis et testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad

lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus esset, ad quem sponte se a potu recepisset.

VIII. Ob res, et tunc in Africa, et olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit, et sacerdotium triplex, inter quindecimviros sodalesque Titios, item Augustales, cooptatus: atque ex eo tempore prope ad medium Neronis principatum in secessu plurimum vixit; ne ad gestandum quidem unquam aliter iter ingressus, quam ut secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est. Acciditque, ut, quum provinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero e ministris, acerram tenenti, capillus repente toto capite canesceret. Nec defuerunt, qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurumque juveni senem, hoc est, ipsum Neroni. Non multo post in Cantabriæ lacum fulmen decidit: repertæque sunt duodecim securæ, haud ambiguum summi imperii signum.

IX. Per octo annos varie et inæquabiliter provinciam rexit. Primo acer, vehemens, et in coercendis quidem delictis vel immodicus. Nam et nummulario, non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit, et tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, cruce affecit: implorantique leges, et civem romanum se testificanti, quasi solatio et honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem et dealbatam statui crucem jussit. Paulatim in desidiam segnitieque conversus est, ne quid materiæ præberet Neroni, et, ut dicere solebat.

« quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur. » Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit, legato Aquitaniæ auxilia implorante. Supervenerunt et Vindicis litteræ, hortantis, « ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret. » Nec diu cunctatus, conditionem, partim metu, partim spe, recepit. Nam et mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat; et confirmabatur quum secundissimis auspiciis et ominibus, tum virginis honestæ vaticinatione; tanto magis, quod eadem illa carmina sacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali, somnio monitus, eruerat, ante ducentos annos similiter a fatidica puella pronunciata. Quorum carminum sententia erat, « Oriturum quandoque ex Hispania principem dominumque rerum. »

X. Igitur quum quasi manumissioni vacaturus conscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, et adstante nobili puero, quem exsulantem e proxima Baleari insula ob id ipsum acciverat, deploravit temporum statum, consulatusque imperator, « legatum se senatus ac populi romani, » professus est. Dein justitio indicto, e plebe quidem provinciæ legiones et auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, et cohortium trium: at e primoribus prudentiaque et ætate præstantibus, velut instar senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis juvenes, qui, manente annulorum aureorum usu, *evocati* appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per

provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, et ut, qua posset quisque opera, communem causam juvarent. Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est annulus opere antiquo, sculptura gemmæ Victoriam cum tropæo experimente. Ac subinde alexandrina navis Dertosam appulit, armis onusta, sine gubernatore, sine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium esset, justum piūque, et faventibus diis, bellum suscipi; quum repente ex inopinato prope cuncta turbata sunt. Alarum altera castris appropinquantem, pœnitentia mutati sacramenti, destituere conata est, ægreque retenta in officio: et servi, quos, a liberto Neronis ad fraudem præparatos, muneri acceperat, per angiportum in balineas transeuntem pœne interemerunt, nisi cohortantibus invicem, ne occasionem omitterent, interrogatisque, de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

XI. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis, qua maxime consternatus, destituitoque similis, non multum abfuit, quin vitæ renunciaret. Sed supervenientibus ab Urbe nunciis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse, cognovit; deposita legati, suscepit Cæsaris appellationem: iterque ingressus est paludatus, ac dependente a cervicibus pugione ante pectus; nec prius usum togæ recuperavit, quam oppressis, qui novas res moliebantur, præfecto prætorii Nymphidio Sabino, Romæ; in Germania, Fonteio Capitone; in Africa, Clodio Macro, legatis.

XII. Præcesserat de eo fama sævitiae simul atque ava-

ritiæ : quod civitates Hispaniarum Galliarumque , quæ cunctantius sibi accesserant , gravioribus tributis , quasdam etiam murorum destructione , punisset ; et præpositos procuratoresque supplicio capitis affecisset cum conjugibus ac liberis ; quodque oblatam a Tarraconensibus e vetere templo Jovis coronam auream librarum quindecim conflasset , ac tres uncias , quæ ponderi deerant , jussisset exigi. Ea fama et confirmata et aucta est , ut primum Urbem introiit. Nam quum classarios , quos Nero ex remigibus justos milites fecerat , redire ad pristinum statum cogeret ; recusantes , atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes , non modo immisso equite disjecit , sed decimavit etiam. Item Germanorum cohortem , a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam , multisque experimentis fidelissimam , dissolvit , ac sine ullo commodo remisit in patriam , quasi Cu. Dolabellæ , juxta cujus hortos tendebat , proniorem. Illa quoque , verene an falso , per ludibrium jactabantur , apposita lautiore cœna ingemuisse eum ; et ordinario quidem dispensatori , breviarum rationum offerenti , paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse ; Cano autem choraulæ , mire placenti , denarios quinque donasse , prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis.

XIII. Quare adventus ejus non perinde gratus fuit , idque proximo spectaculo apparuit : siquidem Atellanis notissimum canticum exorsis , « Venit , io ! Simus a villa ; » cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt ; ac sæpius versu repetito egerunt.

XIV. Majore adeo et favore et auctoritate adeptus est ,

quam gessit, imperium; quamquam multa documenta egregii principis daret: sed nequaquam tam grata erant, quam invisæ, quæ secus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos una et intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinus, legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex assessore præfectus prætorii, arrogantiæ socordiaque intolerabilis: libertus Icelus, paulo ante annulis aureis et Marciani cognomine ornatus, ac jam summæ equestris gradus candidatus. His, diverso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit et tradidit, ut vix sibi ipse constaret: modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior, quam conveniret principi electo, atque illud ætatis Quosdam claros ex utroque ordine viros, suspitione minima, inauditos condemnavit. Civitatem romanam raro dedit: jura trium liberorum vix uni atque alteri; ac ne his quidem, nisi ad certum præfinitumque tempus. Judicibus, sextam decuriam adjici præcantibus, non modo negavit, sed etiam concessum a Claudio beneficium, ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit.

XV. Existimabatur etiam senatoria et equestria officia, biennii spatio determinaturus, nec daturus, nisi invitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis, non plus decimis concessis, per quinquaginta equites romanos ea conditione revocandas curavit exigendasque, ut et, si quid scenici aut xystici donatum olim vendidissent, auferretur emtoribus, quando illi, absunto pretio, solvere nequirent. At contra, nihil non per comites atque

libertos pretio addici, aut donari gratia passus est, vetigalia, immunitates, penas innocentium, impunitates noxiorum. Quin etiam, populo romano deposcente supplicium Haloti et Tigellini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficientissimos incolumes præstitit : atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigellino etiam sævitiae populum increpuit edicto.

XVI. Per hæc prope universis ordinibus offensis, vel præcipua flagrabat invidia apud milites. Nam quum in verba ejus absentis jurantibus donativum grandius solito præpositi pronunciassent, neque ratam rem habuit, et subinde jactavit, « legere se militem, non emere consuesse. » Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. Ceterum prætorianos etiam metu et indignitate commovit, removens subinde plerosque, ut suspectos, et Nymphidii socios. Sed maxime fremebat superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis navatæ adversus Gallos et Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rumpere ausi, kalendis januariis adigi sacramento, nisi in nomen senatus, recusarunt : statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinaverunt, « displicere imperatorem in Hispania factum : eligerent ipsi, quem cuncti exercitus comprobarent. »

XVII. Quod ut nunciatum est, despectui esse non tam senectam suam, quam orbitatem ratus, Pisonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac sibi olim probatissimum, testamentoque semper in bona et nomen ascitum, repente e media salutantium turba apprehendit; filiumque appellans, perduxit in castra, ac pro concione adoptavit; ne tunc quidem donativi ulla

mentione facta. Quo faciliorem occasionem M. Salvio Olhoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem.

XVIII. Magna et assidua monstra jam inde a principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. Quum per omne iter dextra sinistraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus, securis ictu consternatus, rupto vinculo essedum ejus invasit, elatisque pedibus totum cruore perfudit; ac descendentem speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit. Urbem quoque, et deinde palatium ingressum excepit terræ tremor, et assimilis quidam mugitui sonus. Secuta sunt aliquanto manifestiora et tristiora. Monile, margaritis gemisque consortum, ad ornandam Fortunam suam tusculanam, ex omni gaza secreverat: id repente, quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte somniavit speciem Fortunæ querentis, fraudatam se dono destinato, minantisque, erepturam et ipsam, quæ dedisset. Quumque exterritus, luce prima ad expiandum somnium, præmissis, qui rem divinam appararent, Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, et in calice fictili merum. Observatum etiam est, kalendis januariis sacrificanti coronam de capite excidisse, auspicante pullos avolasse: adoptionis die, neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris, et in senatu curulem perverse collocatam.

XIX. Prius vero, quam occideretur, sacrificantem mane haruspex identidem monuit, caveret periculum:

non longe percussores abesse. Haud multo post cognoscit, teneri castra ab Othone : ac plerisque, ut eodem quamprimum pergeret, suadentibus (posse enim auctoritate et præsentia prævalere), nihil amplius, quam continere se, statuit, et legionariorum firmare præsidis, qui multifariam diverseque tendebant. Loricam tamen induit linteam, quamquam haud dissimulans, parum adversus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissipant, paucis temere affirmantibus, transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, advenire frequentes ceteros gratulabundos, et in omne obsequium paratos; his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam, occisum a se Othonem, gloriantem, « Quo auctore? » responderit : atque in Forum usque processit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat, quum per publicum, dimota paganorum turba, equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt : dein rursus incitati, desertum a suis contrucidarunt.

XX. Sunt, qui tradant, ad primum tumultum proclamasse eum, « Quid agitis, commilitones? ego vester sum, et vos mei; » donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse ultro jugulum, et, « ut hoc agerent, ac ferirent, quando ita videretur, » hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præsentium quemquam opem imperatori ferre conatum; et omnes qui accesserentur sprevisse nuncium, excepta Germanicianorum vexillatione. Ii, ob recens meritum, quod se ægros et invalidos magno opere fovisset, in auxilium advolaverunt : sed serius, itinere devio per ignorantiam

locorum retardati. Jugulatus est ad lacum Curtii, ac relictus ita uti erat, donec gregarius miles, a frumentatione rediens, abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit: mox, inserto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibusque donavit: qui hasta suffixum, non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes identidem, « Galba, cupide fruaris ætate tua; » maxime irritati ad talem jocorum petulantiam, quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam et vegetam, respondisse eum, ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν. Ab his Patrobii Neroniani libertus centum aureis redemptum, eo loco, ubi jussu Galbæ animadversum in patronum suum fuerat, abjecit. Sero tandem dispensator Argius, et hoc et ceterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.

XXI. Statura fuit justa, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, præpendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur.

XXII. Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consuevit: inter cœnam vero usque eo abundantis, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus. Libidinis in mares pronioris, et eos, non nisi præduros, exoletosque. Ferebant, in Hispania Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nunciantem, non modo

artissimis oculis palam exceptum ab eo, sed, ut sine mora velleretur, oratum, atque seductum.

XXIII. Perit tertio et septuagesimo ætatis anno, imperii mense septimo. Senatus, ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat, rostratæ columnæ superstantem, in parte Fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus abolevit, percussores sibi ex Hispania in Judæam summisisse opinatus.

OTHO.

I. **M**AJORES Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere et honorata, atque ex principibus Etruriæ. Avus M. Salvius Otho, patre equite romano, matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liviæ Augustæ, in cujus domo creverat, senator est factus, nec præturæ gradum excessit. Pater L. Otho, materno genere præclaro, multarumque et magnarum propinquitatum, tam carus, tamque non absimilis facie Tiberio principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. Urbanos honores, proconsulatum Africæ, et extraordinaria imperia, severissime administravit. Ausus etiam est in Illyrico milites quosdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire, et quidem ante principia, se coram; quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen mature recuperavit, detecta equitis romani fraude, quem, prodentibus servis, necem Claudio parare, compererat. Namque et senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum; et Claudius allectum inter patricios collaudans amplissimis verbis, hoc quoque adjecit: «Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.» Ex Albia Terentia, splendida femina, duos tulit filios, L. Titia-

num, et minorem Marcum cognominem sibi. Tulit et filiam, quam vixdum nubilem Druso, Germanici filio, despondit.

II. Otho imperator iv kalendas maias natus est, Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo, consulibus. A prima adolescentia prodigus ac procax, adeo, ut sæpe flagris objurgaretur a patre. Ferebatur et vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare. Post patris deinde mortem, libertinam aulicam gratiosam, quo efficacius coleret, etiam diligere simulavit, quamvis anum ac pæne decrepitam. Per hanc insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum; ut vero quidam tradunt, et consuetudine mutui stupri: ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetundis consularem virum, ingens præmium pactus, prius quam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitarit in senatum ad agendas gratias introducere.

III. Omnium autem consiliorum secretorumque participes, die, quem necandæ matri Nero destinaverat, ad avertendas suspiciones cœnam utrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam ejus, abductam marito, demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit. Nec corrupisse contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certe non modo missos ad arcessendam non recepisse, sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas et preces, ac depositum reposcentem. Quare, di-

ducto matrimonio, sepositus est per causam legationis in Lusitaniam. Id satis visum, ne pœna acrior mimum omnem divulgaret; qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit :

Cur Otho mentito sit, quæritis, exsul honore?
Uxoris mœchus cæperat esse suæ.

Provinciam administravit quæstorius per decem annos, moderatione atque abstinentia singulari.

IV. Ut tandem ultionis occasio data est, conatibus Galbæ primus accessit : eodemque momento et ipse spem imperii cepit, magnam quidem ex conditione temporum, sed aliquanto majorem ex affirmatione Seleuci mathematici; qui, quum eum olim superstitem Neroni fore spondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso, quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritum dividebat : nec eo minus alium alia via militem demerebatur. Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit emancipavitque; ut jam vix ullus esset, qui non et sentiret et prædicaret, solum successione imperii dignum.

V. Speraverat autem fore, ut adoptaretur a Galba; idque in dies expectabat. Sed postquam, Pisone prælato, spe decidit, ad vim conversus est; instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neque enim dissimulabat, « nisi principem, se stare non posse : nihilque referre, ab hoste in acie, an in Foro sub creditoribus, caderet. » Ante paucos dies servo Cæsaris pro

impetrata dispensatione decies sestertium expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit. Ac primo quinque speculatoribus commissa res est, deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant: omnibus dena sestertia repræsentata, et quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeo multi; haud dubia fiducia, in ipso negotio plures adfuturos.

VI. Tulerat animus, post adoptionem statim castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia; quod ejusdem statione et Caius fuerat occisus, et desertus Nero. Medium quoque tempus religio et Seleucus exemit. Ergo destinata die, præmonitis consciis, ut se in Foro sub æde Saturni ad Milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit; utque consuerat, osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audivitque prædicta haruspiceis. Deinde liberto, adesse architectos, nunciante, quod signum convenerat, quasi venalem domum inspecturus abscessit; proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum. Alii, febrem simulasse, aiunt, eamque excusationem proximis mandasse, si quæreretur. Tunc abditus propere muliebri sella, in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, quum descendisset, cursumque cepisset, laxato calcio restitit, donec omissa mora succollatus, et a præsentem comitatu *imperator* consalutatus, inter faustas acclamationes strictosque gladios ad principia devenit, obvivo quoque non aliter, ac si conscius et particeps foret, adherente. Ibi missis, qui Galbam et Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos

nihil magis pro concione testatus est, quam « id demum se habiturum, quod sibi ipsi reliquissent. »

VII. Deinde vergente jam die ingressus senatum, positaque brevi ratione, quasi raptus de publico, et suscipere imperium vi coactus, gesturusque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac super ceteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus *Nero*, nullum indicium recusantis dedit: immo, ut quidam tradiderunt, etiam diplomatibus primisque epistolis suis ad quosdam provinciarum præsides, *Neronis* cognomen adjecit. Certe et imagines statuasque ejus reponi passus est, et procuratores atque libertos ad eadem officia revocavit. Nec quicquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties sestertium ad peragendam Auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse: repertusque a concursantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare tentasse: postridie quoque in augurando tempestate orta graviter prolapsus, identidem obmurmurasse:

Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;

VIII. Sub idem vero tempus, Germaniciani exercitus in Vitellii verba jurarant. Quod ut comperit, auctor senatui fuit mittendæ legationis, quæ doceret, electum jam principem; quietem et concordiam suaderet. Et tamen per internuncios ac litteras, consortem imperii generumque se Vitellio obtulit. Verum haud dubio bello, jamque ducibus et copiis, quas Vitellius præmiserat,

appropinquantibus, animum fidemque prætorianorum erga se pæne internecone amplissimi ordinis expertus est. Et placuerat per classarios arma transferri, remittique navibus. Ea quum in castris sub noctem promerentur, insidias quidam suspicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, cædem senatus flagitantes: repulsisque tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis et occisis, sicut erant cruenti, ubinam imperator esset, requirerentes, perruperunt in triclinium usque, nec nisi viso destiterunt. Expeditionem autem impigre atque etiam præpropere inchoavit, nulla, ne religionum quidem, cura, sed et motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum habetur; et die, quo cultores deum matris lamentari et plangere incipiunt; præterea adversissimis auspiciis. Nam et victima Diti patri cæsa litavit; quum tali sacrificio contraria exta potiora sint. Et primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad vicesimum etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit.

IX. Simili temeritate, quamvis dubium nemini esset, quin trahi bellum oporteret, quando et fame et angustiis locorum urgeretur hostis, quam primum tamen decertare statuit: sive impatiens longioris sollicitudinis, speransque ante Vitellii adventum profligari plurimum posse; sive impar militum ardori, pugnam deposcentium. Nec ulli pugnae adfuit, substititque Brixelli. Et tribus quidem, verum mediocribus præliis, apud Alpes, circaque Placentiam, et ad Castoris, quod loco nomen est, vicit: novissimo maximoque apud Betriacum fraude superatus

est ; quum , spe colloquii facta , quasi ad conditionem pacis militibus eductis , ex improvise , atque in ipsa consalutatione , dimicandum fuisset . Ac statim moriendi impetum cepit : ut multi , nec frustra , opinantur , magis pudore , ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret , quam desperatione ulla , aut diffidentia copiarum : quippe residuis , integrisque etiam nunc , quas secum ad secundos casus detinuerat , et supervenientibus aliis e Dalmatia , Pannoniaque et Mœsia : ne victis quidem adeo afflictis , ut non in ultionem ignominiaë quidvis discriminis ultro , et vel solæ subirent .

X. Interfuit hoc bello pater meus Suetonius Lenis , tertiæ decimæ legionis tribunus angusticlavius . Is mox referre crebro solebat , Othonem etiam privatum usque adeo detestatum civilia arma , ut , memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu , cohorrerit : nec concursurum cum Galba fuisse , nisi confideret , sine bello rem transigi posse : tunc ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum , qui , quum cladem exercitus nunciaret , nec cuiquam fidem faceret , ac nunc mendacii , nunc timoris , quasi fugisset ex acie , argueretur , gladio ante pedes ejus incubuerit . Hoc viso , proclamasse eum , aiebat , « Non amplius se in periculum tales tamque bene meritos conjecturum . » Fratrem igitur , fratrisque filium , et singulos amicorum cohortatus , ut sibi quisque pro facultate consuleret , ab amplexu et osculo suo dimisit omnes , secretoque capto , binos codicillos exaravit : ad sororem consolatorios , sed et ad Messalinam Neronis , quam matrimonio destinarat , commen-

dans reliquias suas et memoriam. Quicquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit. Divisit et pecunias domesticis ex copia præsentis.

XI. Atque ita paratus, intentusque jam morti, tumultu inter moras exorto, ut eos, qui discedere et abire cœptabant, corripere quasi desertores, detinerique sensit, « Adjiciamus, » inquit, « vitæ et hanc noctem, » his ipsis totidemque verbis : vetuitque, vim cuiquam fieri; et in serum usque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui præbuit. Post hoc sedata siti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, et explorata utriusque acie, quum alterum pulvino subdidisset, foribus adaper-
tis artissimo somno quievit. Et circa lucem demum ex-
pergefactus, uno se trajecit ictu infra lævam papillam :
irrupentibusque ad primum gemitum, modo celans,
modo detegens plagam, exanimatus est, et celeriter
(nam ita præceperat) funeratus, tricesimo et octavo
ætatis anno, et nonagesimo et quinto imperii die.

XII. Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuisse enim traditur et modicæ staturæ, et male pedatus scambusque : munditiarum vero pæne muliebrum, vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dinosceret : quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum : idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset : sacra etiam Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse. Per quæ factum putem, ut mors ejus, minime congruens vitæ, majori miraculo fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo

fletu manus ac pedes jacentis exosculati, « fortissimum virum, unicum imperatorem » prædicantes, ibidem statim nec procul a rogo vim suæ vitæ attulerunt. Multi et absentium, accepto nuncio, præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem gravissime detestata, mortuum laudibus tulit : ut vulgo jactatum sit etiam, « Galbam ab eo non tam dominandi, quam reipublicæ ac libertatis restituendæ causa, interemtum. »

VITELLIUS.

I. **VITELLIORUM** originem alii aliam, et quidem diversissimam, tradunt : partim veterem et nobilem, partim vero novam et obscuram, atque etiam sordidam : quod ego per adultores obtrectatoresque imperatoris Vitellii evenisse opinarer, nisi aliquanto prius de familiæ conditione variatum esset. Exstat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Augusti quæstorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, et Vitellia, quæ multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperasse : horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam, atque inter patricios allectam : indicia stirpis mansisse diu, viam Vitelliam ab Janiculo ad mare usque; item coloniam ejusdem nominis, quam gentili copia adversus Æquiculos tutandam olim deposcissent : tempore deinde samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedis Nuceriæ; eorumque progeniem longo post intervallo repetisse Urbem atque ordinem senatorium.

II. Contra plures auctorem generis libertinum prodiderunt. Cassius Severus, nec minus alii, eundem et suptorem veteramentarium : cujus filius, sectionibus et cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia, equitem romanum genuerit. Sed quod discrepat, sit in medio. Ceterum P. Vitellius, domo Nuceria, sive ille

stirpis antiquæ, sive pudendis parentibus atque avis, eques certe romanus, et rerum Augusti procurator, quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines, ac tantum prænominibus distinctos, reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. Aulus in consulatu obiit, quem cum Domitio, Neronis Cæsaris patre, inierat : prælatus alioqui, famosusque cœnarum magnificentia. Quintus caruit ordine, quum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset. Publius, Germanici comes, Cn. Pisonem, inimicum et interfectorem ejus, accusavit condemnavitque : ac post præturæ honorem inter Sejani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incidit : nec tam mortis pœnitentia, quam suorum obtestatione, obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit. Lucius ex consulatu Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum regem summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insuper ordinarios consulatus, censuramque gessit. Curam quoque imperii sustinuit, absente eo, expeditione britannica : vir innocens, et industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cujus etiam salivis melle commixtis, ne clam quidem aut raro, sed quotidie ac palam, arterias et fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorare ut deum instituit ; quum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens. Claudium, uxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demeretur, pro maximo munere a Mes-

salina petiit, ut sibi pedes præberet excalciandos : detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. Narcissi quoque et Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Hujus et illa vox est, « Sæpe facias; » quum seculares ludos edenti Claudio gratularetur.

III. Decessit paralyti, altero die quam correptus est, duobus filiis superstitibus, quos ex Sextilia, probatissima nec ignobili femina, editos consules vidit, et quidem eodem ambos totoque anno, quum majori minor in sex menses successisset. Defunctum senatus publico funere honoravit : item statua pro Rostris, cum hac inscriptione, *PILTATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM*. Aulus Vitellius L. filius imperator natus est octavo kalendas octobris, vel, ut quidam, septimo idus septembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco, consulibus. Genituram ejus, prædictam a mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut pater magno opere semper contenderit, ne qua ei provincia vivo se committeretur ; mater et missum ad legiones, et appellatum imperatorem, pro afflicto statim lamentata sit. Pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, et ipse perpetuo Spintriæ cognomine notatus, existimatusque corporis gratia initium et causa incrementorum patri fuisse.

IV. Sequenti quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit ; Caio per auri-gandi, Claudio per aleæ studium familiaris ; sed aliquanto Neroni acceptior, quum propter eadem hæc, tum peculiari merito, quod præsidens certamini Neroneo, cupientem inter citharædos contendere, nec,

quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat, quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque præbuerat.

V. Trium itaque principum indulgentia, non solum honoribus, verum et sacerdotiis amplissimis auctus, proconsulatum Africæ post hæc, curamque operum publicorum administravit, et voluntate dispari, et existimatione. In provincia singularem innocentiam præstitit biennio continuato, quum succedenti fratri legatus substitisset. At in urbano officio dona atque ornamenta templorum surripuisse, et commutasse quædam ferebatur, proque auro et argento stannum et aurichalcum supposuisse.

VI. Uxorem habuit Petroniam, consularis viri filiam, et ex ea filium Petronianum, captum altero oculo. Hunc, heredem a matre sub conditione institutum, si de potestate patris exisset, manu emisit; brevique, ut creditum est, interemit, insimulatum insuper parricidii, et quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset. Duxit mox Galeriam Fundanam prætorio patre: ac de hac quoque liberos utriusque sexus tulit; sed marem titubantia oris prope mutum et elinguem.

VII. A Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adjutum putant T. Vinii suffragio, tunc potentissimi, et cui jam pridem per communem factionis venetæ favorem conciliatus esset: nisi quod Galba præ se tulit, nullos minus metuendos, quam qui de solo victu cogitarent, ac posse provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam; ut cuius evidens sit, contentu

magis, quam gratia, electum. Satis constat, exituro viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut, uxore et liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret; utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impensas. Creditorum quidem præstolantium ac detinentium turbam, et in his Sinuessanos Formianosque, quorum publica vectigalia interverterat, non nisi terrore calumniæ amovit; quum libertino cuidam, acerbis debitum reposcenti, injuriarum formulam, quasi calce ab eo percussus, intendisset, nec aliter, quam extortis quinquaginta sestertiis, remisisset. Advenientem male animatus erga principem exercitus, pronusque ad res novas, libens ac supinis manibus excepit, velut dono deum oblatum, ter consulis filium, ætate integra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum obvios exosculans, perque stabula ac deversoria mulionibus ac viatoribus præter modum comis; ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse, ructu quoque ostenderet.

VIII. Castra vero ingressus nihil cuidam poscenti negavit: atque etiam ultro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia densit. Quare, vixdum mense transacto, neque diei, neque temporis habita ratione, ac jam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat, in veste domestica, imperator est consalutatus, circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis,

atque in prima gratulatione porrectum sibi a quodam : nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini : quum quidem, consternatis, et quasi omine adverso anxiiis omnibus, « Bono, » inquit, « animo estote; nobis alluxit; » nullo sermone alio apud milites usus. Consentiente deinde etiam superioris provinciæ exercitu, qui prius a Galba ad senatum defece- rat, cognomen *Germanici*, delatum ab universis, cu- pide recepit : *Augusti* distulit : *Cæsaris* in perpetuum recusavit.

IX. Ac subinde cæde Galbæ annunciata, compositis germanicis rebus, partitus est copias, quas adversus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret. Præ- misso agmine, lætum evenit auspicium; siquidem a parte dextra repente aquila advolavit, lustratisque si- gnis, ingressus viam sensim antecessit. At contra, ipso movente, statuæ equestres, quum plurifariam ei pone- rentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt : et laurea, quam religiosissime circumdederat, in profluen- tem excidit. Mox Viennæ pro tribunali jura reddenti gallinaceus supra humerum, ac deinde in capite adstitit. Quibus ostentis par respondit exitus : nam confirmatum per legatos suos imperium, per se retinere non potuit.

X. De betriacensi victoria et Othonis exitu, quum adhuc in Gallia esset, audiit : nihilque cunctatus, quic- quid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exem- pli, uno exactoravit edicto, jussas tribunis tradere arma. Centum autem atque viginti, quorum libellos Othoni datos invenerat, exposcentium præmia ob edi- tam in cæde Galbæ operam, conquiri, et supplicio af-

fici imperavit : egregie prorsus atque magnifice, et ut summi principis spem ostenderet, nisi cetera magis ex natura, et priore vita sua, quam ex imperii majestate gessisset. Namque itinere inchoato, per medias civitates ritu triumphantium vectus est : perque flumina delicatissimis navigiis, et variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiæ aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens, qui non contenti epulo ubique publice præbito, quoscunque libuisset, in libertatem asserebant, verbera et plagas, sæpe vulnera, nonnunquam necem, repræsentantes adversantibus. Utque campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare ausus est : « Optime olere occisum hostem, et melius civem. » Nec eo secius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hausit, passimque divisit. Pari vanitate atque insolentia lapidem, *Memoriæ Othonis* inscriptum, intuens, « dignum eo mausoleo » ait : pugionemque, quo is se occiderat, in Agrippinensem coloniam misit, Marti dedicandum. In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.

XI. Urbem denique ad classicum introiit paludatus, ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Magis deinde ac magis omni divino humanoque jure neglecto, Aliensi die pontificatum maximum cepit : comitia in decem annos ordinaavit, seque perpetuum consulem. Et ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ reipublicæ eligeret, medio Martio campo, adhibita publicorum sa-

cerdotum frequentia inferias Neroni dedit : ac sollemni convivio citharædum placentem palam admonuit, ut aliquid et de Dominico diceret; inchoantique Neroniana cantica, primus exsultans etiam plausit.

XII. Talibus principiis, magnam imperii partem non nisi consilio et arbitrio vilissimi cujusque histrionum et aurigarum administravit, et maxime Asiatici liberti. Hunc adolescentulum, mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, quum Puteolis poscam vendentem reprehendisset, coniecit in compedes, statimque solvit, et rursus in deliciis habuit : iterum deinde, ob nimiam contumaciam et ferocitatem gravatus, circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repente surripuit, et provincia demum accepta manumisit : ac primo imperii die aureis donavit annulis super cœnam, quum mane, rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam.

XIII. Sed vel præcipue luxuriæ sævitæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam disperriebat, in jentacula, et prandia, et cœnas, commissationesque; facile omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die : nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt. Famosissima super ceteras fuit cœna data ei adventicia a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium, apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem *clypeum Minervæ Πολιοῦχου* dictitabat. In hac scarorum jecinora, phasianorum et pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, muræ-

narum lactes, a Parthia usque fretoque hispanico per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit. Ut autem homo non profundæ modo, sed intempestivæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus et farra, pæne rapta e foco, manderet, circaque viarum popinas fumantia opsonia, vel pridiana, atque semesa.

XIV. Pronus vero ad cujusque, et quacunque de causa, necem atque supplicium, nobiles viros, condiscipulos et æquales suos, omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit : etiam unum veneno, manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre poposcerat. Tum feneratorum et stipulatorum, publicanorumque, qui unquam se aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitassent, vix ulli pepercit. Ex quibus quemdam in ipsa salutatione supplicio traditum, statimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici jussit, « velle se, » dicens, « pascere oculos : » alterius pænæ duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos. Sed et equitem romanum proclamantem, quum raperetur ad pœnam, « Heres meus es, » exhibere testamenti tabulas coegit : utque legit, coheredem sibi libertum ejus ascriptum, jugulari cum liberto imperavit. Quosdam et de plebe ob id ipsum, quod, venetæ factioni clare maledixerant, interemit; contemptu sui, et nova spe id ausos, opinatus. Nullis tamen infensor, quam vernaculis et mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat; exacerbatus, quod post edi-

ctum suum, quo jubebat, intra kalendas octobris Urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus propositus est, « et Chaldæos edicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem kalendarum diem usquam esset. » Suspectus et in morte matris fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset; vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, « ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset. » Alii tradunt, ipsam tædio præsentium, et imminentium metu, venenum a filio impetrasse, haud sane difficulter.

XV. Octavo imperii mense desciverunt ab eo exercitus Mæsiarum atque Pannoniæ; item ex transmarinis Judaicus et Syriacus: ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba jurarunt. Ad retinendum ergo ceterorum hominum studium ac favorem, nihil non publice privatimque, nullo adhibito modo, largitus est. Dilectum quoque ea conditione in Urbe egit, ut voluntariis non modo missionem post victoriam, sed etiam veteranorum justæque militiæ commoda polliceretur. Urgenti deinde terra marique hosti, hinc fratrem cum classe ac tironibus et gladiatorum manu opposuit; hinc et betriacenses copias et duces. Atque ubique aut superatus, aut proditus, salutem sibi et millies sesterium a Flavio Sabino, Vespasiani fratre, pepigit: statimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites, « cedere se imperio, quod invitus recepisset, » professus, cunctis reclamantibus, rem distulit; ac nocte interposita, primo diluculo sordidatus descendit ad Rostra, multisque cum lacrymis eadem illa, verum e libello, te-

status est. Rursus interpellante milite ac populo, et, ne deficeret, hortante, omnemque operam suam certatim pollicente, animum resumpsit; Sabinumque et reliquos Flavianos, nihil jam metuentes, vi subita in Capitolium compulit, succensoque templo Jovis Optimi Maximi oppressit; quum et prælium, et incendium e Tiberiana prospiceret domo inter epulas. Non multo post pœnitens facti, et in alios culpam conferens, vocata concione juravit, coegitque jurare ceteros, « nihil sibi antiquius quiete publica fore. » Tunc solutum a latere pugionem, consuli primum, deinde, illo recusante, magistratibus, ac mox senatoribus singulis porrigens, nullo recipiente, quasi in aede Concordiæ positurus, abscessit. Sed quibusdam acclamantibus, « ipsum esse Concordiam, » rediit : nec solum retinere se ferrum affirmavit, verum etiam Concordiæ recipere cognomen.

XVI. Suasitque senatui, ut legatos cum virginibus vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum, petituros. Postridie responsa opperienti nunciatum est per exploratorem, hostem appropinquare. Continuo igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus, pistore et coquo, Aventinum et paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox, levi rumore et incerto, tanquam pax impetrata esset, referri se in Palatium passus est : ubi quum deserta omnia reperisset, dilabentibus etiam, qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit; confugitique in cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectoque et culcita objectis.

XVII. Irruperant jam agminis antecessores, ac ne-

mine obvio rimabantur, ut fit, singula. Ab his extractus e latebra, sciscitantes, « quis esset » (nam ignorabatur), et « ubi esse Vitellium sciret, » mendacio elusit : deinde agnitus, rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere : donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in Forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ Sacræ spatium, reducto coma capite, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subrecto, ut visendam præberet faciem, neve submitteret; quibusdam stercore et cæno incessentibus, aliis *incendiarium* et *patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile, impulsu olim quadrigæ, quum auriganti Caio ministratorem exhiberet), tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, et inde unco tractus in Tiberim.

XVIII. Perit cum fratre et filio, anno vitæ septimo et quinquagesimo : nec fefellit conjectura eorum, qui augurio, quod factum ei Viennæ ostendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicujus gallicani hominis potestatem : siquidem ab Antonio Primo, adversarum partium duce, oppressus est, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia *Becco* fuerat. Id valet gallinacei rostrum.

VESPASIANUS.

I. **R**EPELLIONE trium principum et cæde incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque tandem gens Flavia : obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus, sed tamen reipublicæ nequaquam pœnitenda; constet licet, Domitianum cupiditatis ac sævitæ merito pœnas luisse. Titus Flavius Petro, municeps Reatinus, bello civili Pompeianarum partium centurio an evocatus, profugit ex pharsalica acie, domumque se contulit : ubi deinde, venia et missione impetrata, coactiones argentarias factitavit. Hujus filius, cognomine Sabinus, expers militiæ (etsi quidam eum primipilarem : nonnulli, quum adhuc ordines duceret, sacramento solutum per causam valetudinis, tradunt), publicum quadragesimæ in Asia egit ; manebantque imagines a civitatibus ei positæ sub hoc titulo, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Postea fenus apud Helvetios exercuit, ibique diem obiit, superstitibus uxore Vespasia Polla, et duobus ex ea liberis : quorum major Sabinus ad præfecturam Urbis, minor Vespasianus ad principatum usque processit. Polla, Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit Vespasium Pollionem, ter tribunum militum, præfectumque castrorum; fratrem senatorem prætoricæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum miliarium a Nursia Spoleitium euntibus in monte summo appellatur Vespasiæ ; ubi Vespasiorum complura monumenta exstant, ma-

gnum indicium splendoris familiæ et vetustatis. Non negaverim, jactatum a quibusdam, Petronis patrem e regione transpadana fuisse mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare soleant; subsedissem autem in oppido reatino, uxore ibidem ducta. Ipse ne vestigium quidem de hoc, quamvis satis curiose inquirerem, inveni.

II. Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, quintodecimo kalendas decembris, vesperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Popæo Sabino, consulibus, quinquennio ante, quam Augustus excederet: educatus sub paterna avia Tertulla, in prædiis cosanis. Quare princeps quoque et locum incunabulorum assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret: et aviæ memoriam tanto opere dilexit, ut sollemnibus ac festis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Sumta virili toga, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu aversatus est; nec, ut tandem appeteret, compelli, nisi a matre, potuit. Ea demum extudit, magis convicio, quam precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Tribunus militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit. Ædilitatis ac mox præturæ candidatus, illam non sine repulsa sextoque loco vix adeptus est: hanc prima statim petitione, et in primis. Prætor, infensum senatui Caium ne quo non genere demeretur, ludos extraordinarios pro victoria ejus germanica depoposcit, pœnæque conjuratorum addendum censuit, ut insepulti pro-

jicerentur. Egit et gratias ei apud amplissimum ordinem, quod se honore cœnæ dignatus esset.

III. Inter hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statii Capellæ, equitis romani, Sabratensis ex Africa, delicatam olim, latinæque conditionis, sed mox ingenuam et civem romanam recuperatorio judicio pronunciatam, patre asserente Flavio Liberali, Ferenti genito, nec quicquam amplius quam quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit Titum, et Domitianum, et Domitillam. Uxori ac filiæ superstes fuit, atque utramque adhuc privatus amisit. Post uxoris excessum, Cænidem, Antonia libertam et a manu, dilectam quondam sibi, revocavit in contubernium, habuitque etiam imperator pæne justæ uxoris loco.

IV. Claudio principe, Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est : inde in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vectem, Britannia proxima, in ditionem redegit, partim Auli Plautii legati consularis, partim Claudii ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta, et in brevi spatio duplex sacerdotium accepit : præterea consulatum, quem gessit per duos novissimos anni menses : medium tempus, ad proconsulatum usque, in otio secessuque egit, Agrippinam timens, potentem adhuc apud filium, et defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Exin sortitus Africam, integerrime nec sine magna dignatione administravit; nisi quod Adrumeti, seditione quadam, rapa in eum jacta sunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui, prope labefacta jam fide, omnia prædia fratri obligarit, neces-

sarioque ad mangonicos quæstus sustinendæ dignitatis causa descenderit: propter quod vulgo Mulio vocabatur. Convictus quoque dicitur ducenta sestertia expressisse juveni, cui latum clavum adversus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus. Peregrinatione achaica inter comites Neronis, quum, cantante eo, aut discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione, secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti etiamque extrema metuenti provincia cum exercitu oblata est. Percrebruerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de imperatore romano, quantum postea eventu paruit, prædictum, Judæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum quum exercitu ampliore, et non instrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimum delectus, ut et industriæ expertæ, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos majore filio assumto, ut primum provinciam attingit, proximas quoque convertit in se, correctæ statim castrorum disciplina, unoque et altero prælio tam constanter inuito, ut in oppugnatione castelli lapidis ictum genu, scutoque sagittas aliquot exceperit.

V. Post Neronem Galbanque, Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in spem imperii venit, jam

pridem sibi per hæc ostenta conceptam. In suburbano Flaviorum quereus antiqua, quæ erat Marti sacra, per tres Vespasiæ partus, singulos repente ramos a frutice dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati : primum, exilem et cito arefactum; ideoque puella nata non perannavit : secundum, prævalidum ac prolixum, et qui magnam felicitatem portenderet : tertium vero, instar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt, haruspicio insuper confirmatum, renunciasse matri, « nepotem ei Cæsarem genitum : » nec illam quicquam aliud, quam cachinnasse, mirantem, « quod adhuc se mentis compote deliraret jam filius suus. » Mox, quum ædilem eum C. Cæsar, succensens curam verrendis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt, qui interpretarentur. quandoque proculcatam desertamque rempublicam civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium, deventuram. Prandente eo quondam, canis extrarius e trivio manum humanam intulit, mensæque subjecit. Cœnante rursus, bos arator, decusso jugo, triclinium irrupit, ac fugatis ministris, quasi repente defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit. Arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. At in Achaia somnavit, initium sibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemtus esset : evenitque, ut sequenti die progressus in atrium medicus dentem ei ostenderet, tantum quod exemtum. Apud Judæam Carmeli dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut, quicquid

cogitaret volveretque animo, quamlibet magnum, id esse proventurum, pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis, Josephus, quum conjiceretur in vincula, constantissime asseveravit, fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum jam imperatore. Nunciabantur et ex Urbe præsagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut tensam Jovis Optimi Maximi e sacrario in domum Vespasiani, et inde in Circum deduceret: ac non multo post, comitia secundi consulatus ineunte Galba, statuum divi Julii ad Orientem sponte conversam: acieque betriacensi, priusquam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse; victaque altera, supervenisse tertiam ab solis exortu, ac victricem abegisse.

VI. Nec tamen quicquam ante tentavit, promptissimis atque etiam instantibus suis, quam sollicitatus quorundam et ignotorum et absentium fortuito favore. Mœsiaci exercitus bina e tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam ingressis iter nuntiatum est, victum eum, ac vim vitæ suæ attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam omni rapinarum genere grassati, quum timerent, ne sibi reversis reddenda ratio, ac subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique imperatoris: « Neque enim deteriores esse aut hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut prætoriano, qui Othonem, aut germanico, qui Vitellium fecissent. » Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot ubique tunc erant, quum ceteros, alium alia de causa, improbarent, et quidam e legione tertia, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Mœsiam

fueraat, Vespasianum laudibus ferrent; assensere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris parumper. Ceterum, divulgato facto, Tiberius Alexander, præfectus Ægypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit kalendis juliis : qui principatus dies in posterum observatus est. Judaicus deinde exercitus quinto idus julias apud ipsum juravit. Plurimum cœptis contulerunt jactatum exemplar epistolæ, veræ, sive falsæ, defuncti Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione ultionem mandantis, et, ut reipublicæ subveniret, optantis : simul rumor dissipatus, destinasse victorem Vitellium permutare hiberna legionum, et germanicas transferre in Orientem ad securiorem mollioremque militiam : præterea ex præsidibus provinciarum Licinius Mucianus, et e regibus Vologesus Parthus; ille, deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat, syriacum promisit exercitum; hic quadraginta millia sagittariorum.

VII. Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret. Hic quum de firmitate imperii capturus auspiciam, ædem Serapidis, summotis omnibus, solus intrasset, ac, propitiato multum deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est : quem neque admissum a quoquam, et jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse, constabat. Ac statim advenere litteræ, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in Urbe inter-

entum, nunciantes. Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato et adhuc novo principi, deerat : hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini, demonstratam a Serapide per quietem : restitutum oculos, si inspisset; confirmatum crus, si dignaretur calce contingere. Quum vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet; extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit : nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacro loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago.

VIII. Talis tantaque cum fama in Urbem reversus, acto de Judæis triumpho, consulatus octo veteri addidit. Suscepit et censuram : ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque rempublicam stabilire primo, deinde et ornare. Milites, pars victoriæ fiducia, pars ignominie dolore, ad omnem licentiam audaciamque processerant. Sed et provinciæ, civitatesque liberæ, nec non et regna quædam tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem et exauctoravit plurimos, et coercuit. participibus autem victoriæ adeo nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia non nisi sero persolverit. Ac, ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum, fragrantem unguento, quum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit, « Maluissem, allium abo-

luisse, » litterasque revocavit. Classarios vero, qui ab Ostia et Putcolis Romam pedibus per vices commeant, petentes, « constitui aliquid sibi calciarii nomine, » quasi parum esset sine responso abegisse, jussit posthæc ex calciatos cursitare : et ex eo ita cursitant. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta, item Thraciam, Ciliciam, et Commagenen, ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit. Cappadociæ propter assiduos Barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite romano. Deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat : vacuas areas occupare, et ædificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit. Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit : arearumque tabularum tria millia, quæ simul conflaverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus; instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pæne ab exordio Urbis senatusconsulta, plebiscita, de societate, et fœdere, ac privilegio, cuicumque concessis.

IX. Fecit et nova opera, templum Pacis Foro proximum; divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum : item amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum. Amplissimos ordines, et exhaustos cæde varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit; supplevitque, recenso senatu et equite; summotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. Atque, uti notum esset,

utrumque ordinem non tam libertate inter se, quam dignitate differre, de jurgio quodam senatoris equitisque romani ita pronunciavit : « Non oportere maledici senatoribus, remaledici civile fasque esse. »

X. Litium series ubique majorem in modum excreverant, manentibus antiquis, intercapedine jurisdictionis; accedentibus novis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur; quique judicia centumvitalia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.

XI. Libido atque luxuria, coercente nullo, invaluerat. Auctor senatui fuit decernendi, ut, quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur : neve filiorum familiarum feneratoribus exigendi crediti jus unquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.

XII. Ceteris in rebus statim ab initio principatus usque ad exitum civilis et clemens, mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin et conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores reatinos comitemque Herculis, cujus monumentum exstat via Salaria, referre, irrisit ultro. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetivit, ut triumphi die, fatigatus tarditate et tædio pompæ, non reticuerit, « merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis, aut speratum unquam sibi, tam inepte senex concupisset. » Ac ne tribuniciam quidem potestatem, et Patris patriæ appellationem, nisi sero recepit. Nam consuetudinem scrutandi salutantes, manente adhuc bello civili, omiserat.

XIII. Amicorum libertatem, causidicorum figuras, ac philosophorum contumaciam lenissime tulit. Licinium Mucianum, notæ impuditiæ, sed meritorum fiducia minus sui reverentem, nunquam, nisi clam, et hactenus relaxare sustinuit, ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ : « Ego tamen vir sum. » Salvium Liberalem, in defensione divitis rei ausum dicere, « Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertium millies habet ? » et ipse laudavit. Demetrium cynicum, in itinere obvium sibi post damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit *Canem* appellare.

XIV. Offensarum inimicitiarumque minime memor exsecutorve, Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit, dotavitque etiam et instruxit. Trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque, quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admissionis simul expellens, « abire Morboniam » jusserat. In hunc postea deprecantem haud ultra verba excanduit, et quidem totidem fere atque eadem. Nam, ut suspicione aliqua vel metu ad perniciem cujusquam compelleretur, tantum abfuit, ut, monentibus amicis, cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesin habere imperatoriam, insuper consulem fecerit, spondens, quandoque beneficii memorem futurum.

XV. Non temere quis punitus insons reperietur, nisi absente eo et ignaro, aut certe invito atque decepto. Helvidio Prisco, qui et reversum se ex Syria solus privato nomine *Vespasianum* salutaverat, et in prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmi-

serat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde et interfici iussum, magni æstimavit servare quoquo modo, missis, qui percussores revocarent; et servasset, nisi, jam perisse, falso renunciatum esset. Ceterum neque cæde cujusquam unquam lætatus, justis suppliciis illacrymavit etiam et ingemit.

XVI. Sola est, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse; negotiationes quoque, vel privato pudendas, propalam exercuit, coemendo quædam tantum, ut pluris postea distraheret. Ne candidatis quidem honores, reisve, tam innoxiiis, quam nocentibus, absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret : quibus quidem vulgo « pro spongiis » dicebatur « uti, » quod quasi et siccos madefaceret, et exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei a sene bubulco, qui, negata sibi gratuita libertate, quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, « Vulpem pilum mutare, non mores. » Sunt contra, qui opinentur, ad manubias et rapinas necessitate compulsam, summa ærarii fiscique inopia : de qua testificatus sit initio statim principatus, professus, « quadringenties millies opus esse, ut respublica stare posset. » Quod et verisimilius videtur, quando et male partis optime usus est.

XVII. In omne hominum genus liberalissimus, explevit censum senatorum : consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit : plurimas per totum orbem civitates, terræ motu aut incendio afflictas, restituit in melius.

XVIII. Ingenia et artes vel maxime fovit : primus e fisco latinis græcisque rhetoribus annua centena constituit : præstantes poetas, nec non et artifices, Coæ Veneris, item Colossi refectorem, insigni congiario magna-que mercede donavit : mechanico quoque, grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit; operam remisit, præfatus; « Sineret, se plebeculam pascere. »

XIX. Ludis, per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata revocaverat. Apollinari tragædo quadringenta, Terpno Diodoroque citharædis ducena, nonnullis centena, quibus minimum, quadragena sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed et convivabatur assidue, ac sæpius recta et dapsile, ut macellarios adjuvaret. Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per kalendas martias feminis : et tamen ne sic quidem pristinae cupiditatis infamia caruit. Alexandrini *Cybiosacten* eum vocare perseveraverunt, cognomine unius e regibus suis turpissimarum sordium. Sed et in funere Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, « quanti funus et pompa constaret? » ut audiit, « sestertio centies, » exclamavit : « Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent. »

XX. Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitentis. De quo quidam urbanorum non infacete: siquidem petenti, « ut et in se aliquid diceret: » — « Dicam, » inquit, « quum ventrem exonerare desieris. » Valetudine prosperrima usus est, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces ceteraque membra sibimet ad numerum in sphaeristerio defricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.

XXI. Ordinem vitæ fere hunc tenuit. In principatu maturius semper, ac de nocte evigilabat: dein perlectis epistolis, officiorumque omnium brevariis, amicos admittebat; ac dum salutabatur, et calciabat ipse sese, et amiciebat: postque decisa, quæcunque obvenissent, uogotia, gestationi et inde quieti vacabat, accubante aliqua pallacarum, quas in locum defunctæ Cænidis plurimas constituerat: a secreto in balineum tricliniumque transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur; eaque momenta domestici ad aliquid petendum magno opere captabant.

XXII. Et super cœnam autem, et semper alias communissimus, multa joco transigebat: erat enim dicacitatis plurimæ, et sic scurrilis ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla ejus facetissima exstant: in quibus et hæc. Mestrium Florum consularem, admonitus ab eo, *plaustra* potius, quam *plostra* dicenda, postero die *Flaurum* salutavit. Expugnatus autem a quadam, quasi amore sui deperiret, quum perductæ pro concubitu sestertia quadringenta donasset; admonente dispensatore, quemadmodum sum-

nam rationibus vellet inferri; « Vespasiano, » inquit, « adamato. »

XXIII. Utebatur et versibus græcis tempestive satis, ut de quodam proceræ staturæ, improbiusque nato :

Μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος·

et de Cerulo liberto, qui dives admodum ob subterfugiendum quandoque jus fisci, ingenuum se et Lachetem mutato nomine cœperat ferre, ᾧ Λάχης, Λάχης, ἐπ' ἀν' ἀποβάνης, αὐτοῖς ἐξαρχῆς ἔσθ' Κήρυκος. Maxime tamen diacacitatem affectabat in deformibus lucris, ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad sales. Quemdam e caris ministris, dispensationem cuidam, quasi fratri, petentem quum distulisset, ipsum candidatum ad se vocavit; exactaque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. Interpellanti mox ministro, « Alium tibi, » ait, « quære fratrem : hic, quem tuum putas, meus est. » Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calciandas mulas desiluisse, ut adeunti litigatori spatium moramque præberet, interrogavit, « Quanti calciasset? » pactusque est lucri partem. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vetigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, « num odore offenderetur; » et illo negante, « Atqui, » inquit, « e lotio est. » Nunciantes legatos, « decretam ei publice non mediocris summæ statuam colosseam, » jussit, vel continuo ponerent, cavam-manum ostentans, et « paratam basin » dicens. Ac ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abstinuit jocis. Nam quum inter cetera prodigia Mausole-

leum derepente patuisset, et stella crinita in cœlo apparuisset : alterum ad Juniam Calvinam e gente Augusti pertinere, dicebat; alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, « Væ, » inquit, « puto, deus fio. »

XXIV. Consulatu suo nono tentatus in Campania motiunculis levibus, protinusque Urbe repetita, Cutilias ac reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit. Hic, quum super urgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ usu etiam intestina vitiasset, nec eo minus muneribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem soluta, « Imperatorem, » ait, « stantem mori oportere. » Dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est, ix kalendas juli, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum.

XXV. Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affirmare senatui, « aut filios sibi successuros, aut neminem. » Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli palatinæ domus positam examine æquo; quum in altera lance Claudius et Nero starent, in altera ipse ac filii. Nec res fefellit : quando totidem annis, parique temporis spatio utrique imperaverunt.

TITUS.

I. **T**ITUS, cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunae superfuit; et, quod difficillimum est, in imperio, quando privatus, atque etiam sub patre principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit), natus est tertio kalendas januarias, insigni anno Caiana nece, prope Septizonium, sordidis aedibus, cubiculo vero perparvo et obscuro : nam manet adhuc et ostenditur.

II. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis, et apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, aiunt, metoposcopum, a Narcisso, Claudii liberto, adhibitum, ut Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse, illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui tunc prope adstabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque juxta cubans gustasse credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, statuam ei auream in Palatio posuit, et alteram ex ebore equestrem, quae circensi pompa hodieque praefertur, dedicavit, prosecutusque est.

III. In puero statim corporis animique dotes exsplenderunt, magisque ac magis deinceps per aetatis gradus : forma egregia, et cui non minus auctoritatis inesset,

quam gratiæ, quamquam neque procera statura, et ventre paulo projectiore; præcipuum robur, memoria singularis, docilitas ad omnes fere tum belli, tum pacis artes. Armorum et equitandi peritissimus: latine græceque vel in orando, vel in fingendis poematibus, promptus et facilis, ad extemporalitatem usque: sed ne musicæ quidem rudis, ut qui cantaret et psalleret jucunde scienterque. E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitarique chirographa, quæcunque vidisset, ac sæpe profiteri, « se maximum falsarium esse potuisse. »

IV. Tribunus militum et in Germania et in Britannia meruit, summa industriæ, nec minore modestiæ fama; sicut apparet et statuarum et imaginum ejus multitudine, ac titulis per utramque provinciam. Post stipendia foro operam dedit, honestam magis, quam assiduam: eodemque tempore Arricidiam Tertullam, patre equite romano, sed præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit uxorem: et in defunctæ locum Marciam Furnillam splendidi generis; cum qua, sublata filia, divortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore legioni præpositus, Tarichæas et Gamalam, urbes Judææ validissimas, in potestatem redegit; equo quadam acie sub feminibus amisso, alteroque incenso, cujus rector circa se dimicans occubuerat.

V. Galba mox tenente rempublicam, missus ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines, quasi adoptionis gratia arcesseretur. Sed ubi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere: aditoque Paphiæ Veneris ora-

culo, dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est. Cujus brevi compos, et ad perdomandam Judæam relictus, novissima Hierosolymorum oppugnatione, XII propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus; cepitque eam natali filiae suæ, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione imperatorem eum consalutaverint, et subiade decedentem provincia detinuerint, suppliciter, nec non et minaciter efflagitantes, « aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret. » Unde nata suspicio est, quasi desciscere a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bove Api diadema gestavit : de more quidem rituque priscae religionis; sed non deerant, qui secus interpretarentur. Quare festinans in Italiam, quum Rhegium, dein Puteolos, oneraria nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus inopinanti-que patri, velut arguens rumorum de se temeritatem : « Veni, » inquit, « pater, veni. »

VI. Neque ex eo destitit, participem atque etiam tutorem imperii agere. Triumphavit cum patre, censuramque gessit una. Eidem collega et in tribunicia potestate, et in septem consulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, quum patris nomine et epistolas ipse dictaret, et edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret etiam quæstoris vice, præfecturam quoque prætorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab equite romano administratam; egitque aliquanto incivilius et violentius. Siquidem suspectissimum quemque sibi, summissis, qui per theatra et castra quasi consensu

ad pœnam deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his A. Cæcinam consularem virum, vocatum ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum, confodi jussit : sane urgente discrimine, quum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites concionis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cavit, ita ad præsens plurimum contraxit invidiæ : ut non temere quis tam adverso rumore, magisque invitis omnibus, transierit ad principatum.

VII. Præter sævitiam suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem comissiones cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, propter exoletorum et spadonum greges, propterque insignem reginæ Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta et rapacitas; quod constabat, in cognitionibus patris nundinari præmiarique solitum. Denique propalam alium Neronem et opinabantur, et prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes, neque vitio ullo reperto, et contra virtutibus summis. Convivia instituit jucunda magis, quam profusa. Amicos elegit, quibus etiam post eum principes, ut et sibi et reipublicæ necessariis, acquieverunt, præcipueque sunt usi. Berenicen statim ab Urbe dimisit, invitum invitam. Quosdam e gratissimis delicorum, quamquam tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint, non modo fovere prolixius, sed spectare omnino in publico cœtu supersedit. Nulli civium quidquam ademit : abstinuit alieno, ut si quis unquam : ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificen-

tia minor. Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit apparatusimum largissimumque. Dedit et navale prælium in veteri Naumachia : ibidem et gladiatores : atque uno die quinque millia omne genus ferarum.

VIII. Natura autem benevolentissimus, quum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia, a superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto; nec a se peti passus est. In ceteris vero desideriis hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Quin et admonentibus domesticis, « quasi plura polliceretur, quam præstare posset : » — « Non oportere, » ait, « quemquam a sermone principis tristem discedere. » Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit : « Amici, diem perdidit. » Populum in primis universum tanta per omnes occasiones comitate tractavit, ut, proposito gladiatorio munere, « non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se, » professus sit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quicquam petentibus; et ut, quæ vellent, peterent, ultro adhortatus est. Quin et studium armorum Threcum præ se ferens, sæpe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillatus est; verum majestate salva, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis, admissa plebe, lavit. Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt : ut conflagratio Vesevi montis in Campania; et incendium

Romæ, per triduum, totidemque noctes; item pestilentia, quanta non temere alias. In his tot adversis ac talibus, non modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum præstitit: nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ e consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil, nisi sibi, publice perisse testatus, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit; præposuitque complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ valetudini, leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere. Inter adversa temporum et delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri. Hos assidue in Foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam, partim subjici, ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi. Utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quæve de cujusquam defunctorum statu, ultra certos annos.

IX. Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset; sed « periturum se potius, quam perditurum, » adjurans. Duos patricii generis convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut desisterent, monuit, docens, « principatum

fato dari, » si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum : et confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxie saluum filium nunciarent. Ceterum ipsos non solum familiari cœnæ adhibuit, sed et insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ferramenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam, cognita utriusque genitura, « imminere ambobus periculum, » affirmasse : « verum quandoque, et ab alio : » sicut evenit. Fratrem, insidiari sibi non desinentem sed pæne ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit : sed, ut a primo imperii die, consortem successoremque testari perseveravit ; nonnunquam secreto precibus et lacrymis orans, « ut tandem mutuo erga se animo vellet esse. »

X. Inter hæc morte præventus est, majore hominum damno, quam suo. Spectaculis absolutis, in quorum fine populo coram ubertim fleverat, Sabinos petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat, quodque tempestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, quam inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum, multumque conquestus, « eripi sibi vitam immerenti. Neque enim exstare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. » Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrat. Quidam opinantur, consuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse, persancte Domitia jurabat : haud negatura, si qua omnino fuisset ; immo

etiam gloriatura, quod illi promptissimum erat in omnibus probris.

XI. Excessit in eadem, qua pater, villa, idibus septembris, post biennium ac menses duos, diesque viginti, quam successerat patri, altero et quadragesimo ætatis anno. Quod ut palam factum est, non secus atque in domestico luctu mœrentibus publice cunctis, senatus, prius quam edicto convocaretur, ad Curiam concurrat, obseratisque adhuc foribus; deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque conguessit, quantas ne vivo quidem unquam atque præsentat.

DOMITIANUS.

I. **D**OMITIANUS natus est nono kalendas novembris, patre consule designato, inituroque mense insequenti honorem, regione urbis sexta, ad Malum Punicum, domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit. Pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia tantaque infamia gessisse fertur, ut nullum argenteum vas in usu haberet : satisque constat, Clodium Polliionem prætorium virum, in quem est poema Neronis, quod inscribitur *Luscio*, chirographum ejus conservasse, et nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicentis : nec defuerunt, qui affirmarent, corruptum Domitianum et a Nerva, successore mox suo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum : sed irrumpentibus adversariis, et ardente templo, apud ædituum clam pernoctavit : ac mane Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis, quum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit. Post victoriam demum progressus, et Cæsar consalutatus, honorem præturæ urbanæ cum consulari potestate suscepit titulo tenus : nam jurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum, qualis

faturus esset, ostenderet. Ne exsequar singula, contretatis multorum uxoribus, Domitiam Longinam, Ælio Lamiae nuptam, etiam in matrimonium abduxit : atque uno die super viginti officia urbana aut peregrina distribuit; « mirari se, » Vespasiano dictitante, « quod successorem non et sibi mitteret. »

II. Expeditionem quoque in Galliam Germaniasque, neque necessariam, et dissuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri se et operibus et dignatione adæquaret. Ob hæc correptus, quo magis et ætatis et conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur : ac triumphum utriusque judaicum equo albo commitatus est. In sex consulatibus non nisi unum ordinarium gessit, eumque cedente et suffragante fratre. Simulavit et ipse mire modestiam; inprimisque poeticæ studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abjectum : recitavitque etiam publice. Nec tamen eo secius, quum Vologesus Parthorum rex auxilia adversus Alanos, ducemque alterum ex Vespasiani liberis, depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimum mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentavit. Patre defuncto, diu cunctatus, an duplum donativum militi offerret, nunquam jactare dubitavit, « relictum se participem imperii, sed fraudem testamento adhibitam. » Neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam palamque : quoad correptum gravi valetudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deserijussit : defunctumque nullo præterquam consecrationis

honore dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis orationibus et edictis.

III. Inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarum sumere solebat, nec quicquam amplius, quam muscas captare, ac stilo præacuto configere : ut cuidam interroganti, « essetne quis intus cum Cæsare, » non absurde responsum sit a Vibio Crispo : « ne musca quidem. » Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem, Paridis histrionis amore perditam, repudiavit; intraque breve tempus impatiens discidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem autem imperii aliquamdiu se varium præstitit, mixturaque æquabili vitiorum atque virtutum : donec virtutes quoque in vitia deflexit : quantum conjectare licet, super ingenii naturam, inopia rapax, metu sævus.

IV. Spectacula assidue magnifica et sumtuosa edidit, non in Amphitheatro modo, verum et in Circo : ubi præter sollemnes bigarum quadrigarumque cursus, prælium etiam duplex, equestre ac pedestre, commisit : at in Amphitheatro navale quoque. Nam venationes gladiatoresque, et noctibus ad lychnuchos : nec virorum modo pugnas, sed et feminarum. Præterea quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria e suo ludo postulandi, eaque novissima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ei stabat puerulus coccinatus, parvo portentosoque capite, cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. Au-

ditus est certe, dum ex eo quærit, « ecquid sciret, cur sibi visum esset, ordinatione proxima Ægypto præficere Mæcium Rufum. » Edidit navales pugnas pæne justarum classium, effosso et circumstructo juxta Tiberim lacu : atque inter maximos imbres perspectavit. Fecit et ludos seculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat. In his, Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina corripuit. Instituit et quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium, quam nunc est, coronarum. Certabant enim et prosa oratione græce latineque : ac præter citharædos chorocitharistæ quoque et psilocitharistæ : in stadio vero cursu etiam virgines. Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis Minervæque; assidentibus Diali sacerdote, et collegio Flavialium, pari habitu : nisi quod illorum coronis inierat et ipsius imago. Celebrabat et in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, ederentque eximias venationes et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina. Congiarium populo numerorum trecenorum ter dedit : atque inter spectacula muneris largissimum epulum. Septimontiali sacro quidem, senatui equitique panariis, plebei sportellis cum obsonio distributis; initium vescendi primus fecit : dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit : et quia pars major intra popularia deciderat, quinquage-

nas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronunciavit.

V. Plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit : inqueis et Capitolium, quod rursus arserat : sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi, et Forum, quod nunc *Nervæ* vocatur : item Flaviæ templum gentis, et Stadium, et Odeum, et Naumachiam; e cujus postea lapide maximus Circus, deustis utrinque lateribus, exstructus est.

VI. Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario; sponte, in Cattos : necessario, unam in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa; in Dacos duas, primam Oppio Sabino consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco, præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque, post varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit. Bellum civile, motum a L. Antonio, superioris Germaniæ præside, confecit absens, felicitate mira, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria præsigniis prius, quam nunciis, comperit. Siquidem ipso, quo dimicatum erat, die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit : pauloque post, occisum Antonium, adeo vulgatum est, ut caput quoque ejus apportatum vidisse se, plerique contenderent.

VII. Multa etiam in communi rerum usu novavit. Sportulas publicas sustulit, revocata rectorum cœnarum

consuetudine. Duas circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso. Castrari mares vetuit. Spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est. Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, Ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte : nec exsequi rem perseveravit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos equitesque romanos communicavit. Geminari legionum castra prohibuit : nec plus quam mille nummos a quoquam ad signa deponi; quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit et quartum stipendium militi, aureos ternos.

VIII. Jus diligenter et industrie dixit, plerumque et in Foro pro tribunali extra ordinem. Ambitiosas centumvirorum sententias rescidit. Recuperatores, ne se perfusoriis assertionibus acomodarent, identidem admonuit. Nummarios judices cum suo quemque consilio notavit. Auctor et tribunus plebis fuit, ædilem sordidum repetundarum accusandi, judicesque in eum a senatu petendi. Magistratibus quoque urbicis, provincialiumque præsidibus coercendis tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores unquam, neque justiores exstiterint : e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit.

Scripta famosa, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolevit, non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, movit senatu. Probrosis feminis lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata hereditatesque. Equitem romanum, ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit iudicium albo. Quosdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnavit. Incesta vestalium virginum, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie ac severe coercuit: priora, capitali supplicio; posteriora, more veteri. Nam quum Ocellatis sororibus, item Varronillæ, liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset: mox Corneliam, maximam virginem, absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam, atque convictam, defodi imperavit; stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi, excepto prætorio viro, cui, dubia etiam tum causa, et incertis quæstionibus atque tormentis, de semet professo exsilium indulisit. Ac ne qua religio Deum impune contaminaretur, monumentum, quod libertus ejus e lapidibus, templo Capitolini Jovis destinatis, filio extruxerat, diruit per milites, ossaque et reliquias, quæ inerant, mari mersit.

IX. Inter initia usque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut, absente adhuc patre, recordatus Virgilii versum,

Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,

edicere destinarit, « ne boves immolarentur. » Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix suspicionem ullam, aut privatus unquam, aut princeps aliquamdiu dedit; immo

e diverso magna sæpe non abstinentiæ modo, sed etiam liberalitatis, experimenta. Omnes circa se largissime prosecutus, nihil prius aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent. Relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex testamento Rusci Cæpionis, qui caverat, « ut quotannis ingredientibus Curiam senatoribus certam summam viritum præstaret heres suus, » irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit; nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione, permisit, ut accusatori, qui causam non teneret, exsilium pœna esset. Scribas quæstorios, negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit. Subsiciva, quæ divisis per veteranos agris, carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit. Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit: ferebaturque vox ejus: « Princeps, qui delatores non castigat, irritat. »

X. Sed neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: et tamen aliquanto celerius ad sævitiam descivit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi impuberem adhuc, et quum maxime ægrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras; librariis etiam, qui eam descripserant, cruci fixis. Patremfamilias, quod « Threcem mirmilloni parem, munerario imparem » dixerat, detractum spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: « Impie locutus parmularius. » Complures senatores, in

his aliquot consulares, interemit : ex quibus Civicum Cerialem in ipso Asiæ proconsulatu ; Salvidienum Orfitum, Acilium Glabronem in exsilio, quasi molitores novarum rerum : ceteros levissima quemque de causa : Ælium Lamiam, ob suspiciosos quidem, verum et veteres et innoxios jocos ; quod post abductam uxorem laudanti vocem suam εὐτακτῶ dicerat ; quodque Tito, hortanti se ad alterum matrimonium, responderat, μὴ καὶ σὺ γαμῶσαι θέλεις ; Salvium Cocceianum, quod Othonis imperatoris, patruī sui, diem natalem celebraverat : Metium Pomposianum, quod habere imperatoriam genesin vulgo ferebatur, et quod depictum orbem terræ in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret, quodque servis nomina Magonis et Annibalis indidisset : Sallustium Lucillum, Britanniae legatum, quod lanceas novæ formæ appellari *Luculleas* passus esset : Junium Rusticum, quod Pæti Thrasæ et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellassetque eos « sanctissimos viros ; » cujus criminis occasione philosophos omnes Urbe Italiaque summovit. Occidit et Helvidium filium, quasi scenico exodio sub persona Paridis et OEnones divortium suum cum uxore taxasset : Flavium Sabinum, alterum e patruelibus, quod eum comitorum consularium die destinatum, perperam præco non *consulem* ad populum, sed *imperatorem* pronunciasset. Verum aliquanto post civilis belli victoriam sævior, plerosque partis adversæ, dum etiam latentes conscios investigat, novo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna igne : nonnullis et manus amputavit. Satisque constat, duos solos e notioribus venia donatos, tribu-

num laticlavium, et centurionem : qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant; et ob id neque apud duces, neque apud milites, ullius momenti esse potuisse.

XI. Erat autem non solum magnæ, sed etiam callidæ inopinatæque sævitæ. Actorem summarum, pridie quam cruci figeret, in cubiculum vocavit, assidere in toro juxta coegit, securum hilaremque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus est. Arretinum Clementem consularem, unum e familiaribus et emissariis suis, capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quoad novissime simul gestanti, conspecto delatore ejus, « Vis, » inquit, « hunc nequissimum servum cras audiamus. » Et quo contemptius abuteretur patientia hominum, nunquam tristiore sententiam sine præfatione clementiæ pronuntiavit : ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset, quam principis lenitas. Quosdam majestatis reos in Curiam induxerat : et quum prædixisset, « experturum se illa die, quam carus senatui esset, » facile perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur : deinde, atrocitate pæne conterritus, ad leniendam invidiam intercessit, his verbis (neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere) : « Permittite, patres conscripti, a pietate vestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam et parcetis oculis vestris, et intelligent me omnes senatui interfuisse. »

XII. Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendioque, quod adjecerat, tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumtus, militum numerum demi-

nuere : sed quum et obnoxium se Barbaris per hoc animadverteret, neque eo secius in explicandis oneribus hæeret, nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona vivorum ac mortuorum usquequaque, quolibet et accusatore et crimine, corripiebantur. Satis erat, objici qualecunque factum dictumve adversus majestatem principis. Confiscabantur alienissimæ hereditates, vel uno existente, qui diceret, audisse se ex defuncto, quum viveret, « heredem sibi Cæsarem esse. » Præter ceteros judaicus fiscus acerbissime actus est : ad quem deferebantur, qui vel improfessi judaicam viverent vitam, vel, dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, quum a procuratore, frequentissimoque consilio, inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Ab juvena minime civilis animi, confidens etiam, et quum verbis, tum rebus immodicus. Cænidii, patris concubinæ, ex Istria reversæ, osculumque, ut assuerat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris, indigne ferens, albatos et ipsam ministros habere, proclamavit : Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

XIII. Principatum vero adeptus, neque in senatu jactare dubitavit, « et patri se et fratri imperium dedisse; illos sibi reddidisse : » neque in reducenda post divortium uxore edicere, « vocatam eam in pulvinar suum. » Acclamari etiam in amphitheatro epuli die libenter audiit : « Domino et dominæ feliciter. » Sed et capitolino certamine cunctos ingenti consensu precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatu, *tacere* tantummodo jussit, voce præconis. Pari arrogancia,

quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit : « Dominus et deus noster hoc fieri jubet. » Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. Janos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot extruxit, ut cuidam græce inscriptum sit : ΑΡΚΕΙ. Consulatus septemdecim cepit, quot ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuavit : omnes autem pæne titulo tenus gessit : nec quemquam ultra kalendas maii : plures ad idus usque januarias. Post autem duos triumphos, Germanici cognomine assumpto, septembrem mensem et octobrem ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumque transnominavit; quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

XIV. Per hæc terribilis cunctis et invisus, tandem oppressus est amicorum libertorumque intimorum conspiratione, simul et uxoris. Annum diemque ultimum vitæ jam pridem suspectum habebat : horam etiam, nec non et genus mortis. Adolescentulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cœnam quondam fungis abstinentem palam irriserat, ut ignarum sortis suæ, quod non ferrum potius timeret. Quare pavidus semper atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur; ut edicti, de excidendis vineis propositi, gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quam quod sparsi libelli cum his versibus erant :

Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἐτι καρποφορήσω,
Ὅσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυμένω.

Eadem formidine oblatum a senatu novum et excogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusavit: quo decretum erat, «ut, quoties gereret consulatum, equites romani, quibus sors obtigisset, trabeati et cum hastis militaribus præcederent eum, interlictores apparitoresque.» Tempore vero suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticum, in quibus spatium consuevit, parietes phengite lapide distinxit, e cuius splendore per imagines, quicquid a tergo fieret, provideret. Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptis quoque in manum catenis, audiebat. Utque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem, Epaphroditum a libellis capitali pœna condemnavit, quod post destitutionem Nero in adipiscenda morte manu ejus adjutus existimabatur.

XV. Denique Flavium Clementem patruelem suum, contemptissimæ inertiae, cuius filios, etiam tum parvulos, successores palam destinaverat, et abolito priore nomine, alterum *Vespasianum* appellari jusserat, alterum *Domitianum*, repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso ejus consulatu interemit. Quo maxime facto maturavit sibi exitium. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nunciataque sunt, ut exclamaverit, «Feriat jam, quem volet.» Tactum de cœlo Capitolium, templumque Flaviae gentis: item domus Palatina, et cubiculum ipsius: atque etiam e basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ in monumentum proximum decidit. Arbor, quæ privato adhuc Vespasiano eversa surrexerat, tunc rursus repente corrui. Prænestina for-

tuna, toto imperii spatio annum novum commendanti lætam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione. Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantem, ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove. Nulla tamen re perinde commotus est, quam responso casuque Ascletarionis mathematici. Hunc delatum, nec infitiantem jactasse se, quæ providisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus : et affirmantem, « fore, ut brevi laceraretur a canibus, » interfici quidem sine mora; sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime imperavit. Quod quum fieret, evenit, ut, repentina tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discernerent canes, idque ei cœnanti a mimo Latino, qui præteriens forte animadverterat, inter ceteras diei fabulas referretur.

XVI. Pridie quam periret, quum oblatos tuberos servari jussisset in crastinum, adjecit, « si modo uti licuerit : » et conversus ad proximos affirmavit, « fore, ut sequenti die luna se in Aquario cruentaret, factumque aliquod existeret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem. » Ad mediam noctem ita est exterritus, ut ex strato prosiliret. Dehinc mane haruspicem, ex Germania missum, qui consultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, « Utinam, » inquit, « hactenus! » Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nunciata est. His, velut transacto jam periculo, lætum, festinantemque ad corporis curam, Par-

thenius cubiculo præpositus convertit, nuncians esse, qui magnum nescio quid afferret, nec differendum. Itaque, summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.

XVII. De insidiarum cædisque genere hæc fere divulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, quando et quomodo, [id est,] lavantemne, an cœnantem aggredierentur; Stephanus, Domitillæ procurator, et tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Ac sinisteriore brachio, velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto, ad ipsam horam dolonem interjecit: professusque conspiracy indicium, et ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum, et attonito, suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius, et Maximus, Parthenii libertus, et Saturius, decurio cubiculariorum, et quidam e gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidarunt. Puer, qui aræ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat, jussum se a Domitiano ad primum statim vulnus pugionem pulvino subditum porrigere, ac ministros vocare, neque ad caput quicquam, excepto capulo, et præterea clausa omnia reperisse: atque illum interim, correpto deductoque ad terram Stephano, collectatum diu, dum modo ferrum extorquere, modo, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatur. Occisus est quarto decimo kalendas octobris, anno ætatis quinto et quadragesimo, imperii quinto decimo. Cadaver ejus, populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit; sed reliquias tem-

plo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ, Titi filiæ, quam et ipsa educarat, commiscuit.

XVIII. Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore : præterea pulcher ac decens, maxime in juvena, et quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat; postea calvitio quoque deformis, et obesitate ventris, et crurum gracilitate : quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit : « Usque adhuc certe animum meum probastis, et vultum. » Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur; quamvis libello, quem *de Cura capillorum* ad amicum edidit, hæc etiam, simul illum seque consolans, inseruerit :

Οὐκ ἔράξας, οἷος κἀγὼ καλὸς τε μέγας τε;

« Eadem me tamen manent capillorum fata, et forti animo fero comam in adolescentia senescentem. Scias, nec gratius quicquam decore, nec brevius. »

XIX. Laboris impatiens, pedibus per Urbem non temere ambulavit : in expeditione et agmine equo rarius, lectica assidue vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii genere feras sæpe in albano secessu conficientem spectavere plerique; atque etiam ex industria ita quarumdam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua efficeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo dispensam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte

direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocuæ evaderent.

XX. Liberalia studia imperii initio neglexit, quamquam bibliothecas incendio absuntas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Nunquam tamen aut historiæ, carminibusve noscendis, operam ullam, aut stilo vel necessario dedit. Præter commentarios et acta Tiberii Cæsaris nihil lectitabat: epistolas, orationesque, et edicta alieno formabat ingenio: sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium. « Vellem, » inquit, « tam formosus esse, quam Metius sibi videtur. » Et cujusdam caput, varietate capilli subrutilum et incanum, « perfusam nivem mulso » dixit.

XXI. « Conditionem principum miserrimam » aiebat, « quibus de conjuratione comperta non crederetur, nisi occisis. » Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisque horis: ac lavabat de die, prandebatque ad satietatem; ut non temere super cœnam, præter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam sumeret. Convivabatur frequenter ac large, sed pæne raptim: certe non ultra solis occasum, nec ut postea commissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud, quam solus secreto deambulabat.

XXII. Libidinis nimie, assiduitatem concubitus, velut exercitationis genus, *clinopalen* vocabat. Eratque fama, quasi concubinas ipse develleret, nataretque inter vulgatissimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem, oblatam in matrimonium sibi, quum devinctus

Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam, corrupit ultro, et quidem vivo etiam tum Tito : mox patre ac viro orbatam, ardentissime palamque dilexit, ut etiam causa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se abigere.

XXIII. Occisum eum populus indifferenter, miles gravissime tulit, statimque *Divum* appellare conatus est; paratus et ulcisci, nisi duces defuissent : quod quidem paulo post fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissime cædis auctoribus. Contra senatus adeo lætatus est, ut, repleta certatim Curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret : scalas etiam inferri, clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et ibidem solo affligi juberet; novissime, eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos, quam occideretur, menses, cornix in Capitolio elocuta est, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur :

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere : dixit, Erit.

Ipsam etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi, pone cervicem, auream enatam, pro certoque habuisse, beatiorem post se lætioremque portendi reipublicæ statum. Sicut sane brevi evenit, abstinentia et moderatione insequentium principum.

C. SUETONII TRANQUILLI
DE
ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS
ET
DE CLARIS RHETORIBUS
LIBRI.

DE
ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS

LIBER.

I. GRAMMATICA Romæ ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat : rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magno opere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre exstitit : siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetæ et oratores semigræci erant (Livium et Ennium dico : quos utraque lingua domi forisque docuisse, adnotum est), nihil amplius quam græca interpretabantur : ac si quid latine ipsi composuissent, prælegebant. Nam, quod nonnulli tradunt, duos libros *de litteris syllabisque*, item *de metris*, ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poetæ, sed posterioris Ennii esse : cujus etiam *de augurandi disciplina* volumina feruntur.

II. Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum regione Palatii, prolapsus in cloacæ foramen, crus fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus, plurimas *ὑποτάσεις* subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum.

Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut Caius Octavius Lampadio Nævii punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros: ut postea Quintus Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut Læhus Archelaus, Vectius, Quintus Philocomus Lucilii satiras, familiaris sui; quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato, prædicant. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam, Lucius Ælius Lanuvinus, generi Quinti Ælii, Servius Clodius, uterque eques romanus, multique ac varii et in doctrina et in republica usus.

III. L. Ælius cognomine duplici fuit: nam et Præconinus, quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Servius, quum librum soceri nondum editum fraude interceptisset, et ob hoc repudiatus, pudore ac tædio secessisset ab Urbe, in podagræ morbum incidit: cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes, et enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit. Post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus et ipsi aliquid de ea scriberent, utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholæ fuisse in Urbe tradantur; pretia grammaticorum tanta, mercedesque tam magnæ, ut constet, Lutatium Daphni-

dem, quem Lenæus Melissus per cavillationem nominis Πανός ἀγέπημα dicit, ducentis millibus nummum Quinto Catulo emtum, ac brevi manumissum : Lucium Appuleium ab Efcio Calvino, equite romano prædivate, quadringenis annuis conductum, multos edocuisse. Nam in provincias quoque grammatica penetraverat, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata : inter quos Octavius Teucer, et Siscennius Iacchus, et Oppius Chares : hic quidem ad ultimam ætatem, et quum jam non gressu modo deficere-tur, sed et visu.

IV. Appellatio *grammaticorum* græca consuetudine invaluit; sed initio *litterati* vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello, quo distinguit *litteratum* ab *erudito*, « litteratos quidem vulgo appellari, » ait, « eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere, aut scribere : ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοί nominentur. » Eisdem *litteratores* vocitatos, Messala Corvinus in quadam epistola ostendit, « non esse sibi, » dicens, « rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut litteratore Catone : » significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul grammaticumque notissimum. Sunt, qui *litteratum* a litteratore distinguant, ut Græci grammaticum a grammatista; et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment : quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam, « apud majores, » ait, « quum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem *litteratum* in titulo, sed, litteratorem inscribi solitum esse : quasi non

perfunctum litteris, sed imbutum. » Veteres grammatici et rhetoricam docebant : ac multorum de utraque arte commentarii feruntur. Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam jam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse et ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, paraphrases, allocutiones, ethologias, atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur : quæ quidem omitti jam video, desidia quorundam et infantia; non enim fastidio putem. Me quidem adolescentulo, repeto, quemdam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. Audiebam etiam memoria patrum, quosdam e grammatici statim ludo transisse in forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Clari professores, et de quibus prodi possit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt.

V. Sævius Nicanor primus ad famam dignationemque docendo pervenit : fecitque præter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, satiram quoque; in qua libertinum se, ac duplici cognomine esse, per hoc indicat :

Sævius Nicanor Marci libertus negabit,
Sævius Postumius idem; at Marcus docebit.

Sunt, qui tradant, ob infamiam quamdam eum in Sardiniam secessisse, ibique diem obiisse.

VI. Aurelius Opilius, epicurei cujusdam libertus,

philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnæ simulque consenuit; composuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis: qui, quia scriptores ac poetas sub clientela Musarum iudicaret, non absurde et scripsisse et fecisse se ait ex numero divarum et appellatione. Hujus cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam litteram scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur *Pinax*.

VII. M. Antonius Gniphō, ingenuus, in Gallia natus, sed expositus; a nutritore suo manumissus, institutusque Alexandriae quidem, ut aliqui tradunt, in contubernio Dionysii Scytobrachionis (quod equidem non temere crediderim, quum temporum ratio vix congruat), fuisse dicitur ingenii magni, memoriæ singularis, nec minus græce, quam latine doctus: præterea comi facillique natura, nec unquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primum in divi Julii domo, pueri adhuc: deinde in sua privata. Docuit autem et rhetoricam, ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero non nisi nundinis. Scholam ejus claros quoque viros frequentasse aiunt: in his Marcum Ciceronem, etiam quum prætura fungeretur. Scripsit multa, quamvis annum ætatis non excesserit: etsi Atteius Philologus duo tantum volumina *de Latino sermone* reliquisse eum tradit: nam cetera scripta discipulorum ejus esse, non ipsius: in quibus et suum alicubi reperiri nomen.

VIII. M. Pompilius Andronicus, natione Syrus, studio epicureæ sectæ desidiosior in professione grammaticæ habebatur, minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque, quum se in Urbe non solum Antonio Græphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit, ibique in otio vixit, et multa composuit : verum adeo inops atque egens, ut coactus sit præcipuum illud opusculum suum annalium Ennii elenchorum sedecim millibus nummum cuidam vendere : quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris.

IX. Orbilius Pupillus Beneventanus, morte parentum, una atque eadem die inimicorum dolo interemptorum, destitutus, primo apparituram magistratibus fecit : deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit : functusque militia, studia repetiit, quæ jam inde a puero non leviter attigerat : ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, consule Cicerone, transiit ; docuitque majore fama, quam emolumento. Namque jam persenex, pauperem se, et habitare sub tegulis, quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus *Perialogos*, edidit, continentem querelas de iniuriis, quas professores negligentia et ambitione parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ, non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, *plagosum* eum appellans, et Domitius Marsus scribens,

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

Ac ne principum quidem virorum insectatione abstinuit :

siquidem ignotus adhuc, quum judicio frequenti testimonium diceret, interrogatus a Varrone, diversæ partis advocato, « quidnam ageret, et quo artificio uteretur? » — « Gibberosos se de sole in umbram transferre, » respondit; quod Murena gibber erat. Vixit prope ad centesimum ætatis annum, amissa jam pridem memoria, ut versus Bibaculi docet,

Orbilius ubinam est, litterarum oblivio?

Statua ejus Beneventi ostenditur in Capitolio, ad sinistram latus, marmorea, habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scriniis. Reliquit filium Orbilium, et ipsam grammaticum professorem.

X. Atteius Philologus libertinus, Athenis natus. Hunc Capito Atteius, notus jurisconsultus, inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. De eodem Asinius Pollio in libro, quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit: « In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Atteius Prætextatus, nobilis grammaticus latinus, declamantium deinde adjutor atque præceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus. » Ipse ad Lælium Hermam scripsit, « se in græcis litteris magnum processum habere, et in latinis nonnullum: audisse Antonium Gniphonem, ejusque Hermam: postea docuisse. Præcepisse autem multis et claris juvenibus: in quibus Appio quoque et Pulchro Claudiis, fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit. » *Philologi* appellationem assumsisse videtur, quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit,

multiplici variaque doctrina censebatur; quod sane ex commentariis ejus apparet, quamquam paucissimi exstent : de quorum tamen copia sic altera ad eundem Hermam epistola significat : « Hylen nostram aliis memento commendare : quam omnis generis coegimus, uti scis, octingentos in libros. » Coluit postea familiarissime Caium Sallustium, et eo defuncto, Asinium Pollionem : quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit; alterum præceptis de ratione scribendi. Quo magis miror, Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio : quum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civili-que et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii, et audaciam in translationibus.

XI. Valerius Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burseni cujusdam libertus, ex Gallia : ipse libello, cui est titulus *Indignatio*, ingenuum se natum ait, et pupillum relictum, eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, et nobiles : visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest :

Cato grammaticus, latina Siren,
Qui solus legit, ac facit poetas.

Scrpsit præter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus præcipue probantur *Lydia* et *Diana*. *Lydicæ* Tivida meminit :

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna :

Secula permaneat nostri *Diana* Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, et pæne inopia, abditus modico gurgustio, postquam tuseulana villa creditoribus cesserat, ut auctor est *Bibaculus* :

Si quis forte mei domum Catonis,
 Depictas minio assulas, et illos
 Custodis videt hortulos Priapi,
 Miretur, quibus ille disciplinis
 Tantam sit sapientiam assecutus,
 Quem tres cauliculi, et selibra farris,
 Racemi duo, tegula sub una
 Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus :

Catonis modo, Galle, Tusculanum
 Tota creditor urbe venditabat.
 Mirati sumus, unicum magistrum,
 Summum grammaticum, optimum poetam,
 Omnes solvere posse quæstiones,
 Unum difficile expedire nomen.
 En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

XII. Cornelius Epicadus, Lucii Cornelii Sullæ dictatoris libertus, calatorque in sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto gratissimus fuit : quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.

XIII. Laberius Eros hero suo emtus de catasta, et propter litterarum studium manumissus, docuit inter ceteros Brutum et Cassium. Sunt, qui tradant, tanta

eum honestate præditum, ut temporibus Sullanis proscriptorum liberos gratis, et sine mercede ulla, in disciplinam receperit.

XIV. Curtius Nicias hæsit Cneo Pompeio et Caio Memmio : sed quum codicillos Memmii ad Pompeii uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea, Pompeium offendit, domoque ei interdictum est. Fuit et Marci Ciceronis familiaris; in cujus epistola ad Dolabellam hæc de eo legimus : « Omnino mihi litteræ magis sunt expetendæ a te, quam a me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciæ : alter Aristarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. » Item ad Atticum : « De Nicia quod scribis, si ita me haberem, ut ejus humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere; sed mihi solitudo et recessus provincia est : quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, mollitiem, consuetudinem victus. Cur ergo illi molestus esse velim, quum mihi ille jucundus esse non possit? Voluntas tamen ejus mihi grata est. » Hujus de Lucilio libros etiam satira comprobat.

XV. Lenæus, Pompeii Magni libertus, et pæne omnium expeditionum comes, defuncto eo filiisque ejus, schola se sustentavit : docuitque in Carinis, ad Telluris ædem, in qua regione Pompeiorum domus fuerat : ac tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sallustium historicum, quod cum « oris improbi, animo in-

verecundo, » scripsisset, acerbissima satira laceraverit, « lastaurum » et « lurconem, » et « nebulonem popinonemque » appellans, et « vita scriptisque monstrosum; » præterea « priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem. » Traditur autem puer adhuc catenis subreptus, refugisse in patriam; perceptisque liberalibus disciplinis, pretium suum domino retulisse, verum ob ingenium et doctrinam gratis manumissus.

XVI. Q. Cæcilius Epirota, Tusculi natus, libertus Attici, equitis romani. ad quem sunt Ciceronis epistolæ, quum filiam patroni, nuptam Marco Agrippæ, doceret, suspectus in ea, et ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum se contulit: vixitque una familiarissime, quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto objicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli, scholam aperuit; sed ita, ut paucis, et tantum adolescentibus præciperet, prætextato nemini, nisi si cujus parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poetas novos prælegere cœpisse, quod etiam Demitii Marsi versiculus indicat,

Epirota, tenellorum nutricula vatim.

XVII. Verrius Flaccus, libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda discentium ingenia æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus ejus præceptor electus, transiit in Palatium cum tota

schola; verum, ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet : docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit. Decessit ætatis exactæ, sub Tiberio. Statuam habet Prænestæ, in inferiore Fori parte, contra hemicyclium : in quo fastos, a se ordinatos, et marmoreo parieti incisos, publicarat.

XVIII. L. Crassitius, genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat : deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito adeo inclaruit, ut hæc de eo scriberentur :

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit :

Desinite, indocti, conjugio hanc petere.

Soli Crassitio se dixit nubere velle :

Intima cui soli nota sua exstiterint.

Sed quum edoceret jam multos ac nobiles, in his Julium Antonium, triumviri filium, ut Verrius quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola, transiit ad Q. Sextii philosophi sectam.

XIX. Scribonius Aphrodisius, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia, Libonis filia, quæ prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus, docuit, quo Verrius, tempore, cujus etiam libris *de Orthographia* rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque ejus.

XX. C. Julius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus (etsi nonnulli Alexandrinum putant, et a Cæsare puerum Romam advectum, Alexandria capta), studiose

et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum, grammaticum græcum : quem propter antiquitatis notitiam *Polyhistorem* multi, quidam *Historiam* vocabant. Præfuit palatinæ bibliothecæ : nec eo secius plurimos docuit : fuitque familiarissimus Ovidio poetæ, et Caio Licinio consulari, historico; qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua, quoad vixerit, sustentatum. Hujus libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.

XXI. C. Melissus, Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura et industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Mæcenati pro grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum et acceptum in modum amici videret, quamquam asserente matre, permansit tamen in statu servitutis, præsentemque conditionem veræ origini anteposuit. Quare cito manumissus, Augusto etiam insinuatus est; quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit. Atque, ut ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Jocorum* inscribuntur, componere instituit : absolvitque centum et quinquaginta, quibus et alios diversi operis postea addidit. Fecit et novum genus Togatarum, inscripsitque *Trabeatas*.

XXII. M. Pomponius Marcellus, sermonis latini exactor molestissimus, in advocacione quadam (nam interdum et causas agebat) solœcismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus, interpellatis iudicibus, dilationem petiit : « ut litigator suus alium grammaticum adhiberet; quando non

putat is, cum adversario de jure sibi, sed de solæcismo, controversiam futuram. » Hic idem, quum ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atteio Capitone, « et esse illud latinum, et, si non esset, futurum certe jam inde : » — « Mentitur, » inquit, « Capito. Tu enim, Cæsar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes. » Pugilem olim fuisse, Asinius Gallus hoc in eum epigrammate ostendit :

Qui caput ad lævam rejicit, glossemata nobis
Præcipit : os nullum, vel potius pugilis!

XXIII. Remmius Palæmon, Vicentinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicit : postea manumissus, docuit Romæ : ac principem locum inter grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio, et mox Claudio, prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam : sed capiebat homines quum memoria rerum, tum facilitate sermonis : nec non poemata faciebat ex tempore. Scripsit et variis, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem *porcum* appellaret; secum et natas, et morituras litteras, jactaret; nomen suum in *Bucolicis* non temere positum, sed præsagiente Virgilio, fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palæmonem judicem. Gloriabatur etiam, latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse. Luxuriæ ita indulisit, ut sæpius in die lavaret; nec sufficeret sumtibus, quamquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cujus

diligentissimus erat, quum et officinas promercialium vestium exerceret, et agros adeo coleret, ut vitem, manu ejus institutam, satis constet trecenta sexaginta quinque vasa edidisse. Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris : dictoque non infaceto notatum ferunt cujusdam, qui, quum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, devitare non posset, « Vis tu, » inquit, « magister, quoties festinantem aliquem vides, abligurrire? »

XXIV. M. Valerius Probus, Berytius, diu centuriam petiit, donec tædio ad studia se contulit. Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammaticam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, sicut Romæ. Hos quum diligentius repetere, atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis, omnes contemni, magisque opprobrio legentibus, quam gloriæ et fructui esse, animadverteret, nihilominus in proposito mansit : multaque exemplaria contracta emendare, ac distinguere, et annotare curavit, soli huic, nec ulli præterea grammatices parti, deditus. Hic non tam discipulos, quam sectatores aliquot, habuit. Nunquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret. Unum vel alterum, vel, quum plurimos, tres aut quatuor, postmeridianis horis admittere solebat, cubansque, inter longos ac vulgares sermones, legere quædam, idque perraro. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quæstionculis edidit. Reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui.

DE CLARIS RHETORIBUS

LIBER.

I. **R**HETORICA quoque apud nos, perinde atque grammatica, sero recepta est, paulo etiam difficilius, quippe quam constet nonnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit, vetus senatusconsultum, item censorium edictum, subjiciam : « Caio Fannio Strabone, M. Valerio Messala, consulibus, Marcus Pomponius prætor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt : Ut M. Pomponius prætor animadverteret, curaretque, uti ei e republica fideque sua videretur, ut Romæ ne essent. » De iisdem, interjecto tempore, Cneus Domitius Ænobarbus, et Lucius Licinius Crassus, censores, ita edixerunt : « Renunciatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt : ad quos juvenus in ludum conveniat : eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras : ibi homines adolescentulos totos dies desiderare. Majores nostri, quæ liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. » Paulatim et ipsa utilis honestaque appa-

ruit : multique eam præsidii causa et gloriæ appetiverunt. Cicero ad præturam usque græce declamavit : latine vero senior quoque, et quidem consulibus Hirto et Pansa; quos discipulos, et grandes prætextatos, vocabat. Cneum Pompeium quidam historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum, quo facilius Caio Curioni, promptissimo juveni, causam Cæsaris defendenti, contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem; Marcum Antonium, item Augustum, ne mutinensi quidem bello omisisse. Nero Cæsar et primo imperii anno, publice quoque bis antea, declamavit : plerique autem oratorum etiam declamationes ediderunt. Quare magno studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint. Sed ratio docendi nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuit, quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam et dicta præclare, per omnes figuras, per casus, et apologos, aliter atque aliter exponere, et narrationes tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare consuerant : interdum Græcorum scripta convertere, ac viros illustres laudare, vel vituperare : quædam etiam ad usum communis vitæ instituta, tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere : sæpe fabulis fidem firmare, aut historiis demere; quod genus *ῥέσεις* et *ἀνασκευάς* et *κατασκευάς* Græci vocant : donec sensim hæc exoleverunt, et ad controversiam ventum est. Veteres *controversiæ* aut ex historiis trahebantur; sicut sane nonnullæ usque adhuc : aut ex veritate ac re, si

qua forte recens accidisset. Itaque, locorum etiam appellationibus adjectis, proponi solebant. Sic certe collectæ editæque se habent : ex quibus non alienum fuerit, unam et alteram, exempli causa, ad verbum referre : « Æstivo tempore adolescentes urbani quum Ostiam venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt, et pepigerunt, bolum quanti emerent : nummos solverunt : diu exspectaverunt, dum retia extraherentur : aliquando extractis, piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta. Tum emtores bolum suum aiunt, piscatores suum. » — « Venalicii quum Brundisii gregem venalium e navi educerent, formoso et pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam et prætextam togam impo- suere : facile fallaciam celarunt. Romam venit : res cognita est : petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem. » Olim autem eas appellatione græca *συγθέσεις* vocabant : mox *controversius* quidam, sed aut *fictas*, aut *judiciales*. Illustres professores, et quorum memoria aliqua exstet, non temere alii reperientur, quam de quibus tradam.

II. L. Plotius Gallus. De hoc Cicero ad M. Titinium sic refert : « Equidem memoria teneo, pueris nobis, primum latine docere cœpisse L. Plotium quemdam : ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam, mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, græcis exercitationibus alii melius ingenia posse. » Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Cœlius in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Atracino, accusatori suo, actionem :

subtractoque nomine, « hordearium » eum « rhetorem » appellat, deridens, ut inflatum ac levem et sordidum.

III. L. Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam ostiarius veteri more in catena fuisse; donec ob ingenium ac studium litterarum manumissus, accusanti patrono subscripsit. Deinde rhetoricam professus, Cn. Pompeium Magnum docuit, patrisque ejus res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit; primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.

IV. Ad id tempus Epidius, calumnia notatus, ludum dicendi aperuit: docuitque inter ceteros M. Antonium, et Augustum. Quibus quondam C. Canutius, objicientibus sibi, quod in republica administranda potissimum consularis Isaurici sectam sequeretur, « Malle, » respondit, « Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris. » Hic Epidius ortum se ab Epidio Nuncione prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo post cum cornibus exstitisse, ac statim non comparuisse, in numeroque deorum habitum.

V. Sextus Clodius, e Sicilia, latinæ simul græcæque eloquentiæ professor, male oculatus, et dicax, « par oculorum in amicitia M. Antonii triumviri extrisse se, » aiebat. Ejusdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, « acumen stili tentare, » dixit, nec eo minus, immo vel magis, ob hoc Antonio gratus. A quo mox consule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero objicit: « Adhibes joci causa magistrum suffragio tuo, et compotorum tuorum, rhetorem; cui

concessisti, ut, in quem vellet, diceret : salsum omnino hominem ! sed materia facilis, in te et in tuos dicere. At quanta merces rhetori est data ? Audite, audite, patres conscripti, et cognoscite reipublicæ vulnera. Duo millia jugerum campi leontini Sexto Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia : ut tanta mercede nihil sapere disceres. »

VI. C. Albutius Silus, Novariensis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus, e tribunali detractus est. Quod indigne ferens, statim contendit ad portam, et inde Romam : receptusque in Planci oratoris contubernium, cui declamaturus mos erat prius aliquem, qui ante diceret, excitare, suscepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco silentium imponeret, non audenti in comparisonem se demittere. Sed ex eo clarus, propria auditoria instituit, solitus proposita controversia sedens incipere, et calore demum proventus consurgere ac perorare. Declamabat autem genere vario : modo splendide atque adornate : tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide, et tantummodo trivialibus verbis. Egit et causas, verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur; nec alium in ulla locum, quam perorandi. Postea renunciavit foro, partim pudore, partim metu. Nam quum in lite quadam centumvirali, adversario, quem ut impium erga parentes incessebat, iurandum quasi per figuram sic obtulisset : « Jura per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent : » et alia in hunc modum : arripiente eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus, non sine magna sui invidia nego-

tium afflixit. Et rursus in cognitione cædis, Mediolani, apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, quum, cohibente lictore nimias laudantium voces, ita excaudisset, ut et, deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam provinciæ redigeretur, Marcum insuper Brutum, cujus statua in conspectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem et vindicem, pæne pœnas luit. Jam autem senior ob vitium vomicæ Novariam rediit: convocataque plebe, causis, propter quas mori destinasset, diu, ac more concionantis, redditis, abstinuit cibo.

VITÆ

TERENTII, HORATHI, LUCANI, PLINII,
JUVENALIS, PERSII.

PUBLII TERENTII VITA.

I. **P**UBLIUS TERENTIUS Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori : a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant : quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet ; quum inter finem secundi belli punici, et initium tertii natus sit et mortuus, nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad duces romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Lælio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur, quod et ipsum Fenestella arguit, contendens, utroque majorem natu fuisse ; quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Porcius suspicionem de consuetudine per hæc faciat :

Dum lasciviam nobilium, et fucosas laudes petit :

Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus :

Dum ad Furium se cœnitare et Lælium, pulchrum putat :

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi

Ob florem ætatis suæ : ipse, sublatis rebus, ad summam

Inopiam redactus est.

Itaque e conspectu omnium abiit Græciam in terram ultimam.

Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido : nihil Publius

Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius :

Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime,

Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,

Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

II. Scripsit comœdias sex : ex quibus primam Andriam quum ædilibus daret, jussus ante Cæcilio recitare, ad cœnantem quum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contentiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse; post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una, deinde cetera percurrisse, non sine magna Cæciliæ admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit. Quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat :

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis die acta est, meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam comœdia, id est, octo millia nummum : propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eamdem ipse auxit : nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum :

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
 Hunc adjutare, assidueque una scribere :
 Quod illi maledictum vehemens existimant,
 Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,
 Qui vobis universis et populo placent :
 Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
 Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat, Lælio et Scipioni non ingratis esse hanc opinionem : quæ tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

III. Q. Memmius in oratione pro se ait : « P. Afri-

canus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. » Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano kalendis martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interPELLARETUR: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse versus, qui sunt in *Heautontimorumenos* :

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

IV. Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popillio, consulari utroque, ac poeta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur; sed viros, quorum operam et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas comædias, nondum quintum atque tricesimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta, moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus Urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit :

Sed ut Afer sex populo edidit comædias,
 Iter hinc in Asiam fecit. Navim quum semel
 Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.

V. Q. Coſconius redeuntem e Græcia perisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis e Menandro. Ceteri, mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leu-

cadia, tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, Marco Fulvio Nobiliore, consulibus, morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum sarcinarum, quas in navi præmiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti romano nupsit: item hortulos viginti jugerum in via Appia ad Martis villam. Quo magis miror, Porcium scribere,

..... nihil Publius

Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius:
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillume,
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in *Compitalibus*:

Terentio non similem dices quempiam.

Volcatius autem non solum Nævio et Plauto et Cæcilio, sed Licinio quoque et Attilio postponit. Cicero in *Limone* hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quicquid come loquens, atque omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis,
Comica ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis; neque in hac despectus parte jaceres!
Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

HORATII POETÆ VITA.

HORATIUS FLACCUS, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino, et exactionum coactore; ut vero creditum est, salsamentario; quum illi quidam in altercatione exprobrasset, « Quoties ego vidi patrem tuum cubito se emungentem! » Bello philippensi, excitus a Marco Bruto imperatore, tribunus militum meruit: victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit. Ac primo Mæcenati, deinde Augusto insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit, satis monstratur illo epigrammate, ubi inquit,

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
Mulo me videas strigiosiore:

sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio: « Horatii Flacci, ut mei, memor esto. » Augustus ei epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Mæcenatem scripto significat: « Ante, ipse scribendis epistolis amicorum sufficebam: nunc occupatissimus, et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis juvabit. » Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolæ, ex quibus, argumenti gratia, pauca

subjeci : « Sume tibi aliquid juris apud me , tanquam si victor mihi fueris : recte enim , et non temere feceris ; quoniam id usus mihi tecum esse volui , si per valetudinem tuam fieri possit. » Et rursus : « Tui qualem habeam memoriam , poteris ex Septimio quoque nostro audire : nam incidit , ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram sprevisi , ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν. » Præterea sæpe inter alios jocos « purissimum penem , » et « homuncionem lepidissimum » appellat : unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit , mansuraque perpetuo opinatus est , ut non modo *Seculare carmen componendum injunxerit* , sed et vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum : eumque coegerit propter hoc , tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere : post *Sermones* quoque lectos , nullam sui mentionem habitam ita sit questus : « Irasci me tibi scito , quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris , ne apud posteros tibi infame sit , quod videaris familiaris nobis esse ? » expressitque eclogam , cujus initium est :

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
 Res italas armis tuteris , moribus ornes,
 Legibus emendes ; in publica commoda peccem ,
 Si longo sermone morer tua tempora , Cæsar.

Horatius habitu corporis brevis fuit , atque obesus : qualis a se ipso et in *Satiris* describitur , et ab Augusto hac epistola : « Pertulit ad me Dionysius libellum tuum , quem ego , ut accusem te , quantuluscunque est , boni consulo. Vereri autem mihi videris , ne majores libelli

tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas; quum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.»

Ad res venereas intemperantior traditur. [Nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, ut, quocunque respexisset, ibi ei imago coitus referretur.] Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini: domusque ejus ostenditur circa Tiburni luculum. Venerunt in manus meas et elegi sub ejus titulo, et epistola prosa oratione, quasi commendantis se Mæcenati: sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola etiam obscura: quo vitio minime tenebatur. Natus est sexto idus decembres, Lucio Cotta, et Lucio Torquato, consulibus. Decessit quinto kalendas decembres, Caio Marcio Censorino, et Caio Asinio Gallo, consulibus, post septimum et quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato, quum, urgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsiguandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

LUCANI VITA.

M. ANNULUS LUCANUS, Corlubiensis, prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein civile bellum, quod a Pompeio et Cæsare gestum est, recitavit. Qui tantæ levitatis et tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem et initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere : « et quantum mihi restat ad Culicem? » Hic, initio adolescentiæ, quum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longe cognovisset, revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quæstura honoratus, non tamen permansit in gratia. Siquidem ægre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus principem, neque factis exstantibus post hæc temperavit : adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronunciarit : « Sub terris tonuisse putes. » Sed et famoso carmine quum ipsum, tum potentissimos amicorum, gravissime proscidit. Ad extremum pæne signifer Pisonianæ conjurationis exstitit : multus in gloria tyrannidarum palam prædicanda; ac plenus minarum; usque eo intemperans, ut Cæsaris caput proximo cuique jactaret. Verum, detecta conjuratione, nequaquam animi constantiam præ-

stitit. Facile enim confessus, et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit; sperans, impietatem sibi apud parricidam principem profuturam. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibusdam versibus suis exaravit : epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico præbuit. Poemata ejus etiam prælegi mihi; confici vero, ac venalia proponi, non tantum opere et diligenter, sed inepte quoque.

CAII PLINII VITA.

PLINIUS SECUNDUS, Novocomensis, equestribus militiis industrie functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas, summa integritate administravit, et tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item Naturalis Historiæ triginta septem libros absolvit. Perit clade Campaniæ. Nam quum misenensi classi præesset, et flagrante Veservo ad explorandas propius causas liburnica pertendisset, neque adversantibus ventis remeare posset, vi pulveris ac favillæ oppressus est; vel, ut quidam existimant, a servo suo occisus, quem, deficiens æstu, ut necem sibi maturaret, oraverit.

D. JUNII JUVENALIS VITA.

JUNIUS JUVENALIS, libertini locupletis incertum filius, an alumnus, ad mediam fere ætatem declamavit, animi magis causa, quam quod scholæ se aut foro præpararet. Deinde paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum poetamque [Claudii Neronis, ejus semestribus militioliis tumentem], genus scripturæ industrie excoluit. Et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus. Mox magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis :

Quod non dant proceres, dabit histrio : tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tum in deliciis aulæ histrio; multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset : ac statim per honorem militiæ, quamquam octogenarius, Urbe summotus, missusque ad præfecturam cohortis, in extrema Ægypti parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore et tædio periit.

AULI PERSII VITA.

AULUS PERSIUS FLACCUS natus est pridie nonas decembris, Fabio Persico, L. Vitellio, consulibus. Decessit octavum kalendas decembr. Publio Mario, Asinio Gallo, consulibus. Natus in Etruria Volaterris, eques romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus, decessit ad octavum miliarium via Appia in prædiis suis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, equiti romano : et eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum duodecimum Volaterris : inde Romæ apud grammaticum Remmiam Palæmonem, et apud rhetorem Virginium Flavum. Quum esset annorum sedecim, amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet : a quo inductus aliquatenus in philosophiam est. Amicos habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum poetam, et Calpurnium Suram, qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Nonianum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit, sectæ stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se illo recitante a clamore, [quin « illa esse vera poemata » diceret]. Sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio.

Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum et sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agathemeri, medici lacedæmonii, et Petronii Aristocratis, Magnetis, quos unice miratus est et æmulatus, quum æquales essent, et Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus a Pæto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi et pudicus. Reliquit circa HS. vicies matri et sorori : scriptis tamen ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum; ut alii volunt, argenti facti pondo viginti, et libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem. [Verum Cornutus, sublatis libris, pecuniam sororibus, quam frater heredes fecerat, reliquit.] Et raro, et tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui denti sunt ultimo libri : et quasi finitus esset, leviter retractavit Cornutus, et Cæcio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus *Prætextam* [Vescio], et Ὀδοιπορικῶν librum unum, et paucos uxori Thraseæ in Arriam matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem ea Cornutus auctor fuit matri ejus, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, et diripere cœperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis tricesimo. Sed mox, ut a schola et magistris diverterat, lecto libro Lucilii decimo, vehementer satiras componere studuit : ejus libri principium imitatus est,

sibi primo, mox omnibus detractatis, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cujus versus in Neronem quum ita se haberet,

Aurículas asini Mida rex habet,

in hunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus,

Aurículas asini *quis non* habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

IN C. SUETONIUM TRANQUILLUM

NOTÆ.*

IN C. J. CÆSAREM.

CAPUT. I. *Cæsar.* Libri vel omittunt Cæsaris nomen, vel diverse præponunt. Quam ob rem nonnulla hic deesse crediderunt doct. viri, quos vehementer errare Casaubon. arbitratur. Diserte monet Cl. *Hase* ne temere deperditum hujus vitæ initium pronuntiemus.

Annum. L. Cornelio Cinna IV, Cn. Papiro Carbone coss., A. U. 670. Nam Cæsar natus erat C. Mario VI et L. Valerio Flacco coss. A. U. 654, idibus quintil.

Dialis. Flamen *Dialis* Jovis sacra curabat : « Maximæ dignationis flamen *Dialis* est inter XV flamines. » *Festus.* Quum a Numa tres principio tantum instituti fuissent, *Dialis*, *Martialis* et *Quirinalis*, postea XII alii additi sunt et ad numerum XV aucti. Vide *Pitisc.*, *Antiq. rom.*, in *Flamen*.

Destinatus. H. e. designatus vel creatus, ut *Vell.*, II, 43 : « pæne puer a Mario Cinnaque flamen *Dialis* creatus. etc. »

Ullo modo. *Plutarch.*, in *Cæsar.*, p. 707 : Οὔτε ἐπιτίθει, οὔτε φέρεφ.

Gentilitiis. H. e. bonis, quæ cognationis jure ad eum rediissent : nam lege *Cornelia* de proscriptione statutum fuerat, teste *Vell.*, II, 28 : « Ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus, etiam petendorum honorum jure prohiberentur. »

Diversarum. H. e. adversarum, ut in *Cæsar.*, *de Bello Civ.*, II, 29 : « Municipia etiam *diversis* partibus conjuncta. »

* Memineris velim, opt. Lect., me Casauboni, Torrentii et Pitisci, aliorumque, quum recentiori, tum nostra quidem ætate, criticæ artis peritis, inter quos primas tenent Oudendorp., Baumgarten, et Cl. *Hase*, auxilio adjectum, meas istas qualescunque adnotationes confecisse.

E medio. Scil. omnium e conspectu.

Inquisitoribus. Plutarcho auct., manus militum Corn. Phagitæ, Syllæ liberto, fuit commissa ad inquirendum Cæsarem. *Inquisitorum* vocabulo eadem significatione utitur Juvenal., sat. iv, 49.

Vestales. Vestalium in deprecando, quum apud deos, tum apud homines præpotentes summa semper fuit auctoritas. Cic. *pro Font.*, xvii : « Tendit ad vos virgo vestalis manus supplices easdem, quas pro vobis diis immortalibus tendere consuevit. » Cf. *Nostr.*, *Tib.*, xi; *Vitell.*, xv; *ΤΑΚΙΤ.*, *Ann.*, xi, 32; *Hist.*, iii, 81.

Mamercum Æmilium. Consul fuit cum D. Bruto, A. U. 676, Æmilio; Cotta vero cum Lucullo, A. U. 679.

Inesse. Annotat Torrent. acriora illa et animi vehementius commoti apud Plutarch., ubi supr. : Οὐκ ἔφη νοῦν ἔχειν αὐτοὺς, εἰμὴ πολλοὺς ἐν τῷ παιδί τούτῳ Μαρτίου ἐνορῶσιν.

CAP. II. M. Therni. — *Thermus* Minuciorum cognomen fuit. Nihil de Thermo constat.

Desedit. H. e. otiose commoratus fuit, ut Plaut., *Pseud.*, iv, 4, 71 :

Quid tu intus, quæso, desedisti?

Apud Nicomedem. Illo nomine plures fuerunt Bithyniæ reges : is Nicomedes iv, de quo Appian., *Mithrid.*, vii.

Per causam. H. e. sub prætextu; ita in *Oth.*, iii : « Sepositus est *per causam* legationis in Lusitaniam. »

Mitylenarum. Sic legendum, non *Mytilenarum*, ut contendit Oudendorp.

Corona civica. Bellicæ virtutis insigne clarissimum. Cf. *PLIN.*, *Hist. Nat.*, xvi, 4, 5.

CAP. III. Servilio Isaurico. Consulatum gesserat cum Appio Claudio Pulchro A. U. 675.

Brevi tempore. M. Æmilio Lepido, Q. Lutatio coss., A. U. 676.

Offenderat. H. e. invenerat : sic Plaut., *Pseud.*, i, 2, 30 :

Hæc facite, ut offendam peccata.

CAP. IV. Cornelium Dolabellam. Is consul fuit cum M. Tullio Decula, A. U. 673, atque in Macedoniam e consulatu profectus de victis Thracibus triumphavit. Cic., *Pis.*, xix.

Pharmacusam. Steph. Byzant. : Φαρμάκουσσαί (rectius in Strab., viii, Φάρμακοῦσαι) : δύο γῆσαι, πλησίον Σαλαμῖνος. Ἔστι καὶ ἄλλη ὑπὲρ Μίλητον. De hac Noster.

Expediendus. H. e. comparandas, ut Cæsar, *Bell. Gall.*, VIII, 36.

E vestigiis. H. e. statim.

Inter jocum. H. e. per jocum : inter sæpius est idem quod in vel per. Cf. DUKER. ad Flor., II, 6.

Nutantes. H. e. ad defectionem inclinantes. Tacit., *Hist.*, III, 18 : « Nutantem aciem victor equitatus incursat. »

CAP. V. *Auctores.* Auctores fuerunt præcipui Pompeius et Crassus COS. A. U. 68½. Vell., II, 30 : « Hoc consulatu Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem sine jure reliquerat. »

Deminuerat. Appian., *B. C.*, I, p. 413 : Τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἴσα καὶ ἀνεῖλεν, ἀσθενεστάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δημάρχον ἀρχὴν εἶναι ἄρχειν.

Post necem. H. e. post mortem : nex de morte naturali interdum. Seneca, *Consol. ad Marc.*, XII : « Agunt opus suum fata : nobis sensum nostræ necis auferunt. »

Rogatione. De rogatione ac lege sic Festus : « Rogatio est, quum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat, et de una pluribusve rebus, de quibus non omnibus sanciat. Nam quod in omnes homines resve populus scivit, lex appellatur. »

Concionem. Concionis hujus mentionem habet Gell., XIII, 3.

CAP. VI. *Pro rostris.* De illo more mortuos laudandi pro rostris, vide POLYB., VI, 53.

Marcii reges. — Rex, Marcie gentis cognomen fuit, quæ ab Anco Marcio rege se oriundam jactitabat.

A Venere. Vide VELL., II, 41.

Cærimonia deorum. H. e. religiosa veneratio.

Quæstionem. Scil. iudicium extra ordinem.

CAP. VII. *Mandatu.* Quæstores enim et jurisdictionem prætoris mandatu exercere, et discedentis prætoris munere fungi solebant.

Conventus. — *Conventus et judicia* erant provincialia ad quæ conveniebant incolæ a prætore vel quæstore evocati.

Conjectores. Quintil., III, 6, 30 : « Somniorum atque omnium interpretes conjectores vocantur. » Cic., *de Div.*, II, 65 : « Defert ad conjectorem quidam somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. »

CAP. VIII. *Colonias latinas.* Intell. Gallos Cisalpinos Transpadanos, quibus jus Latii post bellum marsicum lege Pompeii Strabonis, patris Magni, datum fuerat.

Civitate. H. e. jure suffragiorum et honorum, quod a Cæsare dictatore impetrasse auctor Dio, xli, 36.

CAP. IX. *Consulari.* Consulatum gesserat cum Pompeio Magno A. U. 684.

Ambitus. Crimen honoris affectati per malas artes.

Condemnatis. Lege Calpurnia de ambitu, quam tulit C. Calpurnius Piso consul A. U. 686.

In historia. Seneca, *Epist.* xciii : « Annales Tanusii scis quam non decori sint, et quid vocentur. »

In Edictis. — *Archilochia* dicebantur propter illam acerbiteriam qua in Cæsarem Bibulus invehebatur, teste Cic. *ad Attic.*, ii, 19.

C. Curio. Consul fuit cum Cn. Octavio A. U. 677. De quo Cic., *Brut.*, lx.

Non obiisse. H. e. die cædi destinata non adfuisse loco constituto. Cic., *de Amicit.*, ii : « Qui diligentissime semper illum *diem* solitus esset *obire.* »

Provincia Hispania. Dio, xxxvi, p. 21 : Ἐπει δὲ εὖν καὶ ὡς ἐ Πίσων ἰθακρῶνυετο, ἐφροθήθη τε ἡ γερουσία μὴ τι συνταράξῃ, καὶ εὐθὺς αὐτὸν ἐς Ἰβηρίαν, πρόφασιν, ὡς καὶ ἐπ' ἀρχὴν τινα ἐπειμψε.

CAP. X. *Basilicasque.* Basilicæ erant loca adjuncta foris, et negotiantibus caudicisque aperta. Cf. Vitruv., v, 1.

Venationes. Exhibebantur venationes amphitheatrales, in quibus vel feræ cum feris, vel bestię cum hominibus, pugnabant. Cf. Pitisc., *Ant. rom.*, in *Venatio.*

Munus. Lips., *Saturn.* vii : « Spectaculum hoc appellatum proprie *munus.* » Inde *munerarius*, qui suis sumptibus *munus* gladiatorium exhibebat. Cf. NOSTR. in *Domit.*, x; FLOR., iii, 20.

Paribus. Intellig. *paria gladiatorium*, ζεύγη μονομαχῶν, ut in Tib., xxxiv : « Dedit paria viginti et trecenta. »

CAP. XI. *Provincia.* Ægyptus non erat populi romani provincia, illis temporibus. Igitur h. l. *provincia* est muneris publici procuratio vel administratio : nonnunquam privatum munus quoque designat.

Plebiscito. H. e. comitiis tributis. Cf. Pitisc., *Ant. rom.*, in *Plebiscitum.*

Regem suum. Non fuit is Cleopatræ pater, ut perperam intelligit Torrent.; at contra Ptolemæus Alexander, quem post matrem occisam Alexandrinī ejecerunt A. U. 690. Cf. ERNEST. BAUMGART., *Element. Hist. ant.*, p. 374.

Restituit. Vell., 11, 43 : « Restituta in ædilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii. »

In exercenda.... quæstione. — *Exercere quæstionem* vel *quæstioni* vel *judicio præesse.* Cic., *de Finib.*, 11, 16 : « Qui quum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset. » Non tamen Cæsar prætor fuit tunc temporis, sed, optime docente Casaubono, post ædilitatem factus est *judex quæstionis*, eique prætori operam navavit, cui sorte contigerat *quæstio* inter sicarios.

Proscriptione. H. e. tempore proscriptionis Sullanæ.

Legibus. Latis A. U. 671, a L. Corn. Sylla dictatore. H. 1., ut recte Cl. Hase adnotavit, *leges Cornelix* dicuntur, ob varia capita legis re vera *unius*.

CAP. XII. *Subornavit.* Subaudi *T. Attium Labienum*, *tribunum plebis*.

C. Rabirio. Cicerone et Hortensio defendentibus.

Perduellionis. Pitisc., *Ant. rom.*, in *Perduellio* : « Crimen est, quod nos vix a majestatis crimine distinguimus, quo hostium numero habebatur, qui rempublicam hostili animo læsisset. » Paullo infra : « *Perduellionis* (scil. crimen) civem romanum contra jus libertatis sibi legibus, Porcia maxime et Sempronia, concessæ, in crucem tollere, aut securi percutere, aut in lautumias conjicere, aut verberare. »

Aliquot. Cic., in *Pison.*, 11 : *Quadraginta*; sed Ascon. monet « perinde accipiendum ac si dixerit *prope quadraginta*. » Dio, xxxvii, 41, *sex et triginta* dicit.

Judex. Duumviri in causa perduellionis judicabant, a quibus ad populum provocare licebat, qui comitiis centuriatis de reo suffragia ferebat. Non fuit ergo *judex quæstionis* Cæsar in judicio Rabirii, ut voluit Casaubon.

Tam cupide. H. e. tanto studio partium. Cic., *pro Font.*, 1x : « Induciomarum, talem virum, tam cupide, tam temere dixisse. »

CAP. XIII. *Petit.* M. Tullio Cicerone et C. Antonio coss., A. U. 691.

Largitione. Ad hunc honorem sibi viam fecit, quum largitione in tenuiores, tum potentium assecratione ad sæditatem adulationis usque. Dio, xxxvii, p. 47 : Οὐδὲ ἑμὲν οἱ τῆς ἀδύτου ταπεινότητος πρὸς τὴν ἐκ τοῦ ἐπίουτα ἰσθῶν' ἀλλ' ὅσοι ἐπιχειροῦσι προτεῦσαι, τούτους ὡς καὶ ἀρίστους ὑπάρχει.

Competitores. Q. Catulum et P. Isauricum.

Tribubus. Errasse eos, qui propter tribuum mentionem opinantur pontifices comitiis tributis electos fuisse docet Cl. Hase, ex Ernest. et Oudendorp.; insuper addit: « Probabile est populum secundum tribus in Campum processisse, ibique in classes et centurias suas distinctum suffragia edidisse. »

CAP. XIV. *Municipatim.* H. e. per municipia in vinculis habendos. Cf. SALLUST., *Catil.*, LI.

Intentans. Idem narrat Sallust., *Catil.*, XLIX.

Pauci. Curionem nominat Plutarch., in *Cæs.*, p. 711: Κυρίων τότε λέγεται τῆ τηθέντων περιβαλὼν ὑπεξαγαγεῖν.

CAP. XV. *In alium.* Puta in Pompeium, ut docet Dio, XXXVII, p. 49: Ἐπραττεν ὁ Καῖσαρ, ὅπως τὸ μὲν τοῦ Κατούλου ὄνομα ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίνου ἀφαιρεθῆι τῷ δὲ δὴ Πομπηίῳ τὰ λοιπὰ προσεξεργάσασθαι ἐπιτραπέιη.

Novorum. Dec. Jun. Silani, et L. Licinii Murenæ.

Officio. — *Officium* vocat quod consulibus, quo die inibant magistratum, præstabatur. Namque senatus et populus illos deducebant primo in Capitolium, deinde domum.

CAP. XVI. *Intercessionem.* H. e. oppositionem: *intercedentium* vox erat *veto*: hanc solam tribunis Sylla reliquerat.

Magistratu. Scil. prætura.

Jus dicere. Quod prætorum erat, qui etiam *duos lictores* habebant, et *prætextam*. Liv., XXXIV, 7: « Eam primo muneris die, nuncupatis votis induere solebant. »

Restituit. H. e. dignitatem prætoriam illi reddidit.

Inducto. H. e. abolito, ut Cic., *Epist. ad Att.*, IV, 18: « Hæc pactio prolata est a Memmio nominibus *inductis*. »

CAP. XVII. *Nominatus.* Sic Liv., XXXIX, 17: « Qui *nominatus* profugisset. » NOSTR., *Tib.*, LXXIII; *Cal.*, XXVI.

Quæstorem. Dubium videtur utrum *quæstorem* an *quæsitorem* seu *judicem quæstionis* intelligendum. Quum vero Ernest., ex Cic. *pro Flacco*, XIII, ostendat M. Curtium et P. Sextilium eo anno quæstores urbanos fuisse; libenter accipiam *quæsitorem*, cui, docente Cl. Hase, extraordinaria de Catiliniis quæstio a senatu fuerat demandata.

Q. Curio. Fuit iste in conjuratione Catilinæ, de quo Sallust., *Catil.*, XXIII: « Neque retinere quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare quicquam pensi habebat. »

Docuisset. Narrasset seu certum fecisset. Cæsar, *de Bell. Gall.*, I, 3 : « Qui de his rebus doceant. »

Pignoribus captis. Pœnæ genus erat *pignoris captio*, maxime negato magistratui obsequio. Cic., *de Orat.*, III : « Crassum in senatu Philippus consul se lacessentem pignoribus captis instituit coercere. » Vide LIV., III, 38.

Direpta. Ex Casaubon. : si quis consuli aut prætori non obtemperaret, lictores mittebantur qui eum coercerent. Si aditus non pateret, fabri adhibebantur qui omnia disturbabant; quam violentiam exprimit Suetonius, voce *direpta*. Erit igitur *direpta supplex*, quæ fuerit cupide ablata.

Mulcatum. H. e. pulsatum. Terent., *Adelph.*, I, 2, 10 :

Muleavit usque ad mortem. . . .

Compellari. H. e. deferri, accusari. Quod pati non debuisset Novius; nam qui magistratum gerebant accusari non poterant, nisi abdicare se magistratu fuissent coacti.

CAP. XVIII. *Retinentes.* Plutarch., in *Cæsar.*, p. 712 : Ἐνεχλοῦντας καὶ καταβοῶντας. Appian., B. C. I I, p. 432 : Διακρατοῦντας ἐν Ῥώμῃ.

Removît. Quod ita narrat Plutarch., ub. supr. : Ἀναδεξαμένου τοῦ Κράσσου τὸς μάλιστα χαλεπούς ἢ ἀπαραίτητους τῶν δανειστῶν, καὶ διεγγυήσαντες ἑκαταεσίων καὶ τριάκοντα ταλάντων, οὕτως ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν ἐπαρχίαν.

Ornarentur. Quidam : *ordinarentur*, perperam. Provincias enim *ordinare*, erat eas constituere vel decernere. Facta vero provinciarum sortitione, solebat senatus pro cujusque provinciæ ratione formam præscribere qua administrarentur. Solebat etiam ea decernere quæ proficiscentibus necessaria videbantur. Hæc quum fierent, *ornari* provinciæ, *ornari* etiam prætores ipsi, proconsulesque dicebantur. Cic., *ad Att.*, III, 23. « Quum scripsissetis consulares provincias ornatas esse. » Cf. SIGON., *de Ant. Jur. prov.*, II, 1; ERNEST., *Clav. Cic.*, in *Ornare*.

Privato. H. e. prætura abeunti.

Implorantibus. Una vexabantur a creditoribus et vicinorum latrocinii. Vide PLUTARCH., in *Cæs.*; DION., XXXVII.

Non exspectato. Magistratus decessurus provincia, successorem exspectare debebat, ut ei administrationem et copias traderet; intraque triginta dies, hoc facto, proficisci e lege Cornelia, ut docet Hase.

Edictis comitiis. Quum publice constitutus esset comitiorum dies.

Ratio ejus haberi. H. e. in candidatorum numerum recipi : *ratio non haberi illorum* dicebatur, qui a magistratus petitione repellentur. Liv., VII, 22 : « Quin ambo tum forte patricii consules erant, qui rationem ejus se habituros negabant. »

Solveretur. Absenti consulatum petere vetitum erat lege.

Contradicerent. Dio, XXXVII, 54 : Τοῦ Κάτωνος ὅτε μάλιστα ἐναντιωθέντες.

CAP. XIX. *Consulatus.* Vox apposita haud dubie.

Luceium. De quo Cic. *ad Att.*, I, 17.

Pronuntiaret. H. e. palam promitteret. Cic. *ad Att.*, I, 11 : « Novi est in lege hoc, ut qui nummos in tribus pronuntiaverit, etc. »

E republica fieri. H. e. utilem esse. Cic. *ad Brut.*, v : « Si arbitrare utile eque republica esse. »

Decernerentur. Ad hujusmodi provincias quum nullis opus esset copiis, minus erat a Cæsare metuendum.

Confirmarentur. Obstante præsertim Lucullo : cui Metellum Creticum addit Velleius, II, 40.

Gesserant. A. U. 684. De horum discordia vide APPIAN., B. C., I, p. 426-427.

Societatem. De qua Lucan., I, 85 :

..... Tu causa malorum,
Facta tribus dominis communis Roma. . .

CAP. XX. *Publicarentur.* Dum Suetonium erroris Grævius hoc in loco arguit, audiendus Cl. Hase : « Memoriam rerum publice gestarum, singulis annis antea litteris mandavit pontifex maximus, iique *annales maximi* sunt appellati, ut adeo actis diurnis opus non esset. Hæc annalium conscribendorum ratio obtinuit, usque ad pontificem P. Mutium, h. e. ad medium prope seculum septimum ab U. C., postea fortasse ob turbas domesticas omissa. Ideo Cæsar cos. acta diurna instituit, post ejus consulatum propter optimatum invidiam intermissa.... ab eodem Cæsare iterum consule et dictatore postea restituta. »

Quo mense. Alternis mensibus fasces habebant coss.; mense priori, consul ætate major; sequenti, ejus collega. Plutarch., in *Public.* : ὃ τῆς ἡγεμονικωτέρας ἐξιστάμενος ὄντι πρεσβυτέρῳ τάξεως παρέδωκε τοὺς καλουμένους φάσκις. Gell., XI, 15 : « Capite septimo legis Juliae, priori ex consulibus fasces sumendi potestas facta est, qui plures

liberos quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit.

Accensus. Accensus minister fuit magistratum supra lictores.

Cic. ad Q. Jr., 1, 1; *Sigon.*, de *Jur. civ. rom.*, xi, 15.

Lege Agraria. De campo Stellate et agro Campano plebi dividendis.

Obnuntiantem. H. e. obsistentem : *obnuntiare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis, sævumque viderint. *Donat.*, *Adelph.*, iv, 2, 9. *Obnuntiatione* perniciosius legibus resistebatur, hæc solemnī formula : *Se de cælo servaturum*. Vide *ERN.*, *Clav. Cic.*, in voc. *Obnuntiare*. Rem narrat *Dio*, xxxviii, 60 : Ὁ δὲ Βίβουλος, μέγα ἀναθεύσας, οὐχ ἔξετε, ἔφη, τὸν νόμον τεῦτον ἐν τῷ ἔτει τούτῳ, εὐδ' ἂν πάντες θηλιάσκητε.

Censere. H. l. non est simpliciter *sententiam dicere*, sed loco sententiæ de ea re, de qua relatum erat a consule, aliud quid in senatu proponere ac rogare ut referatur. Hoc *Tacit.* vocat *relationem egredi*, *Ann.*, 11, 38.

Obnuntiaret. H. e. obsisteret, ut supra.

Urbanorum. H. e. facietorum. *Cic. ad Famil.*, 111, 8 : « Hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbanum. »

Julio et Cæsare coss. *Dio*, xxxviii, 63 : Ὅθεν περ χαριεντιζόμενοι τινίς τὸ μὲν τοῦ Βιβούλου ἄνεμα παντάπασιν ἀπεισιώπων τὸν δὲ δὴ Καίσαρα, δύο καὶ ἀνόμαζον καὶ ἔγραφον, Γαίῳ τε Καίσαρα καὶ Ἰούλιον Καίσαρα ὑπατεύων λίγοντες.

Campum Stellatam. *Cic.*, *Agrar.*, 11, 31 : « Adjungit Stellatam campum agro Campano; et in eo describit duodena in singulos homines jugera. »

Consecratum. Non diis devotum, sed usibus publicis destinatum.

Extra sortem. Ut non sorte ducta, sed xx virorum arbitrio divisio fieret.

Publicanos. H. e. publicorum vectigalium conductores.

Mercedum. Pecuniæ quam pro conductis vectigalibus solvere debebant.

Relevavit. Non fuit hæc potestas consulis, sed senatus : Ὁ δὲ Καίσαρ, ἰς αὐθὲν τότε τῆς βουλῆς διεύμενος, ἀλλὰ μόνῳ τῷ θεμῷ χρώμενος, κ. τ. λ. *Appian.*, ubi supr.

Novorum. Hæc ex *Oudendorp.* : « Non omnino novorum, sed quorum post singula quinquennia nova fiebat locatio. »

Interpellantem. H. e. consilia impediētem. *Cic. ad Famil.*, xi, 10 :

« Interpellent quo minus respublica a me commode administrari possit. »

In iudicio. Quum C. Antonium defenderet, antea collegam suum in consulatu.

Ad plebem. P. Clodius ex patricia gente Claudia ortus tradiderat se adoptandum P. Fonteio cujus familia plebeia erat. *URSIN., Fam. rom., p. 114.*

Induxit. Sic auctore Hase; ut vero docet ipse, verba Suetonii nemo restituerit sine subsidiis adhuc irrepertis.

Productusque. Appian., B. C., 11, p. 434 : Ουέτιος, ἀνὴρ δημότης, ἐς τὸ μέσον ἐσθραμῶν μετὰ Ξιφιδίου ἡμνοῦ, ἐπιπεμφθῆναι ἔφη πρὸς τε Βίβλου, καὶ Κικέρωνος, καὶ Κάτωνος ἐς ἀναίρεσιν Καίσαρος τε καὶ Πομπηίου· καὶ τὸ Ξιφιδίου αὐτῷ Βίβλου ραβδούχον ἐπιδοῦναι Πιστεύμιον.

Ex compacto. Dio, XXXVIII, 64 : ἐκ κατασκευασμοῦ.

Veneno. Plutarch., in *Lucull.*, p. 520 : Σημεῖα ἀγχρόνης καὶ πληγῶν ἔχοντος, ἐδόκει παρ' αὐτῶν ἀνηρῆσθαι τῶν παρεσκευαστότων.

CAP. XXI. Uxorem. Dio, XXXVIII, 63 : Φοβηθεὶς ὡς καὶ μὴ τι Πομπηίως ἐν τῇ ἀπουσίᾳ αὐτοῦ νεωτέρισθ.

Sententiam. Gell., IV, 10 : « Sententias rogandi ordo varius fuit. Alias primus rogabatur, qui a censoribus princeps in senatum lectus fuerat; alias, qui designati consules erant. Quidam e consulibus studio aut necessitate adducti, quem iis visum erat, honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. » Vide quoque *Thes. Græv.*, t. 1, p. 919.

Toto anno. Casaubon. intelligit tota parte anni qua consules designati nulli erant.

CAP. XXII. Lege Vatinia. Extra sortem, sine decreto senatus; idque contra legem Semproniam, qua cavebatur ut quotannis provincie decernerentur. Hinc Cic. in *Vatin.*, v : « eripueras senatui provincie decernendæ potestatem sqq. »

Alludens. Quasi per jocum. Virg., *Æneid.*, VII, 117 :

Nec plura alludens.

CAP. XXIII. Referentibus. H. e. senatum rogantibus quid videretur de rebus a Cæsare gestis in consulatu.

Abiit. Ipse docet *Bell. Gall.*, I, 7 et 11 : « Cæsari quum nuntiatum esset eos (scil. Helvetios) per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab Urbe proficisci, et quam maximis itineribus potest in Galliam Ulteriorem contendit. »

Quæstor ejus. Hoc recte sic explicat Torrent. : « Quæstore

enim damnato, de Cæsare idem sperari poterat, ob parem utriusque causam. »

In præjudicium. Quid sit *præjudicium* docet Ascon., in Cic., *de Divin.* : « *Præjudicium* dicitur res, quæ quum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum quod sequantur. » Cf. *QUINTIL., Inst.*, v, 2.

Arreptus est. Sic Liv., III, 58 : « Subinde arreptus a P. Numitorio Sp. Oppius invidiæ proximus. »

Postulatus. II. e. in iudicio accusatus, ut sup., iv.

Collegio. Scil. tribunorum, i. e., quum provocasset ad tribunos.

Fieret. Lege Memmia id prohibitum. Val. Max., III, 7 : « Quum id vetare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum qui reipublicæ causa abessent recipi nomina vetabat, in Urbem tamen recurrit (Sc. M. Antonius). »

Obligare. II. e. beneficio sibi devincire. Cic., *Famil.*, vi, 2 : « Dolabellam antea tantummodo diligebam; obligatus ei nihil eram, nunc tanto sum devinctus ejus beneficio. »

Sibi recepissent. Plus significat quam polliceri, ut Cic., *Divin.*, I, 9 : « Quidque sibi is de me recepisset. » Idem *ad Att.*, XIII, 1 : « Quoniam de æstate polliceris, vel potius recipis. »

CAP. XXIV. *Lucam.* Dum Noster Lucam Galliæ Cisalpinæ urbem esse dicit, Plin., *H. N.*, III, 5, eam Etruriæ vult. Cluver., *Ital. Ant.*, I, 8, 2, docet Etruriæ urbem esse; sed illo tempore ad Liguriam eam pertinuisse usque ad Arnun fluvium procedentem, et partem Galliæ Cisalpinæ.

Quinquennium. Triennium in Dion., xxxix, 33; contra quem disputat Schutz, in Cic. *ad Att.*, vii, 9.

Promogaretur. Addunt alii : « perfecit utrumque, » quæ Wolf. et Cl. Hase spuria existimant. Casaubon. h. l. sic emendat : « fecitque per utrumque ut in quinquennium, etc. »

Alauda. Docet Plin., *H. N.*, xi, 44 : « parvæ avi (sc. apex est in capite), quæ de illo galerita appellata quondam, postea gallico vocabulo etiam legionis nomen dederat *Alaudæ*. »

Disciplina cultuque. — *Disciplina*, docente Hase, pertinet ad artem moremque militum; *cultus* ad arma et vestes.

Deledendum. Solebant enim Romani imperatorem illum qui sine senatusconsulto quid fecerat, hostibus dedere nudum. Occurrunt exempla in Appian., *B. Hisp.*, p. 302. Vell., II, I, 5; Flor., II, 18.

Decedentibus. H. e. cedentibus.

Unquam. Illa restringe ad tempora ante Cæsarem; nam post ejus excessum ea res non habuit modum.

Supplicationes. — *Supplicatio* erat publica gratiarum actio; nempe quum senatus populum deum templa aperire, ac gratias diis imperatoris nomine agere jubebat. Vide ΣΙΓΟΝ., *de Jure prov.*, II, I.

CAP. XXV. *Formam.* In provinciæ formam redigitur regio devicta, cui tributum imponitur, leges, patriis legibus abolitis, a victore feruntur; et qui illam ita regat, ut et jus in conventibus dicat, et belli gerendi causa imperium habeat, prætor additur. ΣΙΓΟΝ., *de Ant. jur. prov.*, I, I.

CAP. XXVI. *Ferrent.* Solemnis locutio, quum coss. aut prætores in comitiis aliquid proponunt, populoque ut id fieri jubeat, suadent. Liv., XXIII, 30 : « Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius consul designatus, quum primum magistratum inisset, ad populum ferret, ut, etc. »

Forum. Forum Cæsaris, sic dictum de nomine conditoris. Dio, XLV, p. 224 : Τὴν γὰρ ἀγορὰν τὴν ἀπ' αὐτοῦ κεκλημένην κατεσκευάσατο.

Millies. Scil. centena millia, ut semper in hac dicendi forma.

Munus. Scil. gladiatorium, quod Nostr. addit supra, x.

Epulumque... nemo. In virorum memoriam, epulo publico plebem excipere Romæ solempne erat; nunquam vero in feminarum honorem ante Cæsarem.

Oblocata. Certo pretio, ut illa parent, mandata.

Domesticatim. Per amicos, clientes et libertinos suos.

Infestis spectatoribus. H. e. sine spectantium favore : horum enim jussu gladiatores, si minus placebant, trucidabantur. Jubebant hoc *converso pollice* : favoris autem signum erat *pollex pressus*.

Rapiendos. H. e. discrimini subducendos, scil. ut munus, quod parabat, magnificentius ederet.

Tirones. H. e. artis gladiatoriae adhuc rudes.

Lanistas. Lanistæ tirones docebant artem gladiatoriam.

Dictata. Artis gladiatoriae præcepta, nempe ut exhibet Hirt., *de Bell. Afric.*, 71, § 2 : « Quo pede se reciperent ab hoste, et quem ad modum obversi adversariis, et in quantulo spatio resisterent, modo procurrent, modo recederent, comminarentur-

que impetum, ac prope quo loco, et quem ad modum tela mitterent, præcipit. »

CAP. XXVII. *Conditionem*. Pro pactione nuptiarum sponsaliorumve. Ex Cujac., in *Renuntiatione nuptiarum*, usitata hæc verba: « conditione non utar tua. »

Fausto Sullæ. Τῷ Σούλλῃ πατρὶ, Plutarch. in *Cæs.*, p. 714.

Circa eum. Amicis, proximis. Sic Noster, *Cal.*, x, 7; *Domit.*, ix, 3.

Gratis. H. e. pecunia mutuo data sine fœnore.

Congiarios. Proprie donatio vini aut olei: inde ductum ad quasvis, etiam pecuniæ, donationes.

Unicum. H. e. singulare, eximium, ut Plaut., *Asin.*, iv, 1, 3:

Tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.

CAP. XXVIII. *Reges*. Sc. reges fœderatos.

Superque. H. e. præterque, ut Phædrus, III, 12, 2:

Qui super obscœna dicta et petulans jurgium.

M. Claudius. Consul fuit cum Serv. Sulpic. Rufo, A. U. 703.

Quando... obrogasset. Gronovius et pro *nec* legit, quod recipiunt Wolf. et Cl. Hase.

In ærarium. Ubi servabantur leges, senatusconsulta et contractuum monumenta. Cf. PLUTARCH., *Quæst. rom.*, 40.

Rogatione Fatinia. Vide supra, v.

CAP. XXIX. *Insequenti*. A. U. 704.

Curionem. Cujus perditos mores describit Vell., II, 83.

Designatos. L. Cornelium Lentulum et C. Claudium Marcellum.

Pepigit. Pacisci voluit, sed adversarii omnia rejecerunt, ut mox sequitur.

CAP. XXX. *Adversariis*. Consulibus maxime, Lentulo et Marcellis.

Conventibusque. Vide supra, vii.

Nomen ejus. H. e. iudicio capitis accusaturum, ut Cic., *Verr.*, I, 6: « Nomen hominis audacissimi detuli. » Sic Noster, in *Domit.*, xv.

Asinius Pollio. Belli civilis historiam scripsit, ut docet Horat., *Od.* II, 1:

Motum ex Metello consule civicum.

Bellique causas et vitia et modos.

Hoc voluerunt. Vide PLUTARCH., eadem ad verbum referentem in *Cæs.*, p. 730.

Tertio libro. Cap. 21. Unde patet, auct. Hase : « quos sic ipse convertit » pertinere ad Ciceronem. Hi sunt Euripidis versus, *Phœniss.*, 573 :

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρεῖ, τυραννίδος περὶ
Κάλιστον ἀδικεῖν· τᾶλλα δὲ εὐσεβεῖν χρεῶν.

CAP. XXXI. *Intercessionem.* *Cæs.*, *Bell. Civ.*, 1, 5 : « Aguntur omnia raptim atque turbate : neque docendi Cæsaris propinquis ejus spatium datur, nec tribunis plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessione retinendi, quod L. Sulla liquerat, facultas tribuitur; sed de sua salute septimo die cogitare coguntur. »

Cessisse. Jubente Lentulo cos. Dio, xli, p. 153 : Πρὶν τὰς ψήφους διενεχθῆναι.

Dedit. Plutarch., ubi sup. : Μικρὸν πρὸ ἑσπέρας θεραπεύσας τὸ σῶμα, παρελθὼν εἰς τὸν ἀνδρῶνα καὶ συγγενόμενος βραχέα τοῖς κεκλημένοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον.

Post solis occasum. Appian., ubi sup. : Αὐτὸς δὲ περὶ ἑσπέραν, ὡς δὴ τὸ σῶμα ἐνοχλούμενος, ὑπεχώρησε τοῦ συμποσίου τοὺς φίλους ἀπολιπὼν ἔτι ἐστιᾶσθαι.

Luminibus. Nocturna itinera dum ingrederentur, faces sibi præferre solebant veteres.

Ad lucem. Scil. sub die ortum : ad pro ante, ut Plaut., *Pseud.*, 1, 5, 116 :

Effectum hoc reddam ad vesperum.

Reputans. Plutarch., ubi sup. : Ἀναλογιζόμενος ἡλικίῳν κακῶν ἄρξει πᾶσιν ἀνθρώποις ἡ διάβασις, ὅσοντε λόγον αὐτῆς τοῖς αὔθις ἀπολείψει.

CAP. XXXII. *Æneatores.* E glossa, æneator σαλπικητής.

Esto. Ex emendatione Erasmi.

CAP. XXXIII. *Discissa.* Dolorem scissis vestibus testari solebat erat apud veteres.

Equestres census. H. e. tantam pecuniam, quantam eques ut esset, habere debebat Romanus : *equestres census* erant quadringentorum millium H.-S. Infra *quadringentis* mendum.

Digitum. Scil. minimo proximum : huic enim anulum inseruerunt veteres.

Læva. Annulorum enim sedes læva manus erat, ut docet Plin., *H. N.*, xxxiii, 1.

Annulum... detracturum. H. e. quidvis se facturum pro milite, quum detrahi sibi annulum se malle dixit, quam de se merentibus non satisfacere. Quanta enim fuerit annuli dignitas, qui equitatem a plebe distinxit, videre est apud Plin., *H. N.*, xxxiii, 2.

Quadringenis. Vitiose pro *quadringentis* supra monuimus.

CAP. XXXIV. Per tumultum. H. e. præter ordinem et legem : huic Gallia Ulterior privata decreta fuerat ab iis qui in senatu Cæsari adversabantur.

Superum. H. e. Adriaticum : oppositum est enim *Infero* seu *Tyrreno*.

Frustra. Flor., iv, 2 : « Ille (sc. Pompeius) per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. »

Convertit. Plutarch. in *Cæs.* : « Γεγονὸς ἐν ἡμέραις ἐξήκοντα πάσις ἀντικειμένῃ τῆς ἰταλίας χώρας. »

Patribus. Vell., ii, 50 : « Quum transgressos reperisset consules, in Urbem revertit; redditaque ratione consiliorum suorum in senatu et in concione, ac miserrimæ necessitudinis, quum alienis armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decrevit. »

M. Petreio, et L. Afranio. Vide Cæs., *Bell. Civ.*, i, 35 sqq.

Obsidione. Quam obsidionem narrat Cæsar, *Ibid.*, ii, 1.

CAP. XXXV. Macedoniam. Ex Ernest. Macedonia, sensu romano, complectitur quidquid sub imperio proconsulis macedonici erat, adeoque etiam Epirum, ubi Dyrrachium.

Operibus. Appian., *B. C.*, ii, p. 466 : Ὁ Καῖσαρ ἐπετόλμησεν ἔργα δυσχερῆ τε καὶ παρολόγω πάντα Πεμπήνῃ τὰ στρατόπεδα ἐν τείχεσι περιβαλὼν ἐν θαλάσσοις ἐς θαλάσσαν ἀποτειχίσαι. Vide Flor., iv, 2.

Pharsalico. De prælio Pharsalico, cf. Cæs., *Bell. Civ.*, iii, 89-100; Flor., iv, 2; Vell., ii, 52; Plutarch., ubi sup., Appian., ubi sup., 66; Dion., xli.

Occisum. Mortuum esse Pompeium Alexandriæ certior factus est Cæsar, *Bell. Civ.*, iii, 106.

Ptolemæo. Ptolemæus xii, Auletæ successor.

Gessit. De hoc bello vide Cæs., *Bell. Civ.*, iii, 107; et Hist., de *Bell. Alexandr.*

Hicme anni. Quod Græci dicerent *χρῆμωνες ὥρα*.

Minori. Vide HIRT., *Bell. Alex.*, 31 et 33.

Nuntiis. Acceperat Cn. Domitium Calvinum a Pharnace fusum, ex Ponto cum paucis effugisse. Cf. *Bell. Alex.*, 34 seqq.

Commemorans. Cæsaris verba refert Appian., *ub. sup.* : ὧ μακάριε Πομπηῖε, τοιούτοις ἄρα κατὰ Μιθριδάτην τὸν τοῦδε πατέρα πολεμῶν ἀνδράσι, μέγας τε ἐνομίσθης, καὶ μέγας ἐπεκλήθης.

Liberos. Cneium et Sextum.

In Hispania. Cui bello finem imposuit prælium apud Mundam. HIRT., *Bell. Hisp.*, 39.

CAP. XXXVI. *C. Curio.* Ad Bagradam flumen, licet victo fuga pateret, perit cum omnibus quos circa se habebat. Cf. CÆS., *Bell. Civ.*, IV, 42; FLOR., IV, 2; VELL., II, 55.

Dolabella. Oros., VI, 15 : « Dolabella partium Cæsaris, in Illyrico per Octavium et Libonem victus, copiisque exutus, ad Antonium fugit. »

Ultimo. Scil. ad Mundam. Vell., II, 55 : « Nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum prælium. »

CAP. XXXVII. *Quinques.* Quatuor priores triumphos egit A. U. 708, redux ex Africa; quintum sequenti anno, quum mense octobri in Urbem revertisset.

Gallicum... Hispaniensem.—*Gallicum*, i. e. de Gallis subactis. *Alexandrinum*, i. e. de superato et necato Ptolemæo rege. — *Ponticum*, i. e. de Pharnace victo. — *Africanum*, i. e. de Juba et Mauris. — *Hispaniensem*, de Pompeii liberis.

Diverso apparatu. Vell. II, 56 : « Gallici apparatus ex citro (melius cum Torrent. *cedro*), Pontici ex acantho Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit. » *Apparatus* sunt tabulæ, signa, simulacra oppidorum, arcium, montium, fluviorum, etc., quæ sculpta ligno vel pretiosiori materia in triumphis præferebantur. Quintil., *Inst.*, VI, 3 : « Quum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi lignea. » Gestamen quo transvehantur, *ferculum* nominabant.

Velabrum. Romæ regio erat prope forum Boarium, MARLIAN., *Topog. rom.*, IV, 7.

Lychnuchos. Docet Wolf. *lychnuchos* esse candelabra elephantorum proboscibus imposita.

CAP. XXXVIII. *Tumultus.* H. e. belli, ut Cic., *Philipp.* VIII,

1 : « Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant ; tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. »

Agros. Partim publicos, partim suos ; Dio, XLII, p. 210 :
Χώραν ἐκ τῆς δημοσίας, καὶ ἐκ τῆς ἐκτουῆ.

Non continuos. Ut Sicul. Flaccus, *de Condit. agrorum* : « In multis regionibus comperimus, quosdam possessores non continuas (h. e. non cohærentes) habere terras. »

Pollicitus. A. U. 705, quum Romam venisset, pulso ex Italia Pompeio.

Habitationem. H. e. annuam pensionem, quæ *habitationis* causa penditur. Martialis, 1, 29, 3 :

. Sed neutri pensio tota fuit.

Epulum. Pro gratulatione victoriæ. Plin., *H. N.*, XIV, 17 : « Quid ? non et Cæsar dictator triumphii sui cœna vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit ? idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit ; epulo vero in tertio consulatu suo Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat. »

Viscerationem. H. e. crudæ carnis distributionem. Liv., VIII, 22 : « Populo visceratio data a M. Fluvio in funere matris. »

CAP. XXXIX. *Ludos.* Nempe scenicos : opponuntur enim Circensibus.

Regionatim. H. e. per omnes Urbis regiones. Quum Romæ magna copia erat hominum ex omnibus imperii provinciis, Cæsar, ut omnibus gratificaretur, histriones omnium linguarum adhibuit.

Pyrrhicham. Saltatio fuit pedestris armata : χερραία ἐν τοῖς ὄπλοις, JULIAN., *Orat.*, 1.

Laberius. Macrob. *Saturn.*, II, 7 : « Laberium, asperæ libertatis equitem roman., Cæsar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in scenam, et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. » De Laberii mimis, Horat., *Sat.* 1, 10 :

Et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.

Sessum. H. e. ut sederet.

In quatuordecim. H. e. quatuordecim ordines, sive gradus,

ubi sedebant equites. Cic. *ad Fam.*, x, 32 : « *Histrionem summo ludorum die annulo aureo in quatuordecim sessum deduxit.* »

Per orchestram. Orchestra erat inter theatri gradus imos : ibi sedebant senatores. Vide VITRUV., v, 7.

Producto. I. e. ampliato.

Euripo. Euripus, fossa ingens, qua undique cingebatur circus. Plin., *H. N.*, viii, 7 : « Pompeii altero consulatu pugnare in circo viginti elephantii. Universi eruptionem tentavere non sine vexatione populi circumdati clathris ferreis. Qua de causa Cæsar dictator, postea simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit. »

Desultores. — *Desultores* erant, qui duobus equis junctis vecti mira velocitate ab uno in alterum transiliebant. Vide BULENG., in *Græv. Thes.*, ix, 722 et 740. Inde : *equi desultorii.*

Trojam. — *Troja*, ludus equestris puerorum, quem describit Virgil., *Æneid.*, v, 545–602. Hunc, quum pæne exolevisset, Cæsar restituit : ex illo tempore Romæ frequens fuit.

Venationes. Vide supra, x. Camelopardalum primus Romæ eodem tempore exhibuit. PLIN., *H. N.*, viii, 20.

Martii campi. Circus enim aliis ludicris occupatus erat.

In minore Codeta. Codeta, campus erat trans Tiberim. Nardin., *Rom. vet.*, vii, 2. Ex Casaubon. : *minor Codeta et major*, sic appellatæ, ut Velabrum *majus* et *minus*, atque alia in eadem urbe.

Tyriæ et Ægyptiæ. Intellige « ad morem Tyriorum et Ægyptiorum instructæ. »

Manerent. H. e. pernoctarent, ut Cic. *ad Att.*, x, 14 : « *Servius pridie nonas maii Minturnis mansisse dicitur.* »

CAP. XL. *Fastos.* A. U. 708, ipso III COS. et M. Lepido III COS. De hac correctione vide Jos. SCALIGER., *Diatr. de Emendat. temp.*, iv, initio.

Pontificum. In quos potestatem transtulerunt intercalandi ; et qui licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant. Vide Cic., *de Leg.*, ii, 12 ; MACROB., *Saturn.* I, 14 ; GUTHER., *de Vet. jure pontifico*, I, 22.

Solis. Quum ad *lunæ* cursum illum accommodasset Numa.

Accommodavit. Sosigene perito hujus artis adhibito, quamquam

et ipse eam ab Alexandrinis didicerat, auctore Macrob., ubi sup. : « Nam Julius Cæsar ut siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab ægyptiis disciplinis hausit; ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet. »

Duos alios. Dierum septem et sexaginta. CENSOR., *de Die nat.*, 1, 20.

CAP. XLI. *Supplevit.* — *Senatorum* enim numerus bellis civilibus imminutus fuerat : ad nongentos fere numerum ampliavit Cæsar.

DIO, XLIII, p. 227 : Μὴδὲν διακρίνων, μήτ' εἴ τις στρατιώτης, μήτ' εἴ τις ἄπ' ἄλλοῦ παῖς ἦν ὥστε καὶ ἐνεακκοσίους τὸ κεφάλαιον αὐτῶν γενέσθαι.

Allegit. H. e. novas familias in illos assumpsit. Sic, in *Aug.*, II : « Ea gens a Tarquinio Prisco rege inter romanas gentes *allecta*. » In his allectus Cicero.

Prætorum. Antea fuerant octo; decem fecit. — Duos *ædiles* adjecit e plebe.

Quæstorum. Sex fuere. Duo novissimi, *cercæles* dicti, ideo quod frumento præerant. *Quæstores* quadraginta fecit. Vide BAUMGART. et HASE.

Minorum magistratuum. Quibus neque auspicia servare, neque obnuntiare comitiis licebat.

Nudatos. H. e. ordine suo ejectos, quo sensu *nudos* dicit Cic. *ad Att.*, 1, 15 : « Nunquam turpior in ludo talario consessus fuit : maculosi senatores, nudi equites. »

Opere censorio. H. e. per censores.

Comitia. Jus magistratuum *comitiis* creandorum, quum antea *comitiis centuriatis* eligerentur.

Competitoribus. Cæsari consulatus A. U. 708 in decennium cum dictatura decretus fuerat, ita ut qui postea consulatum petierunt ejus *competitores* fuerint, ex quibus collegas sibi suo arbitrio elegit.

Teneant. H. e. obtineant, ut Cic., *de Fin.*, II, 17 : « Tenuit permagnam Sextilius hæreditatem. »

Proscriptorum. Intellige a Sulla : contra nefariam legem quæ a Sulla A. U. 673 lata fuerat.

Redegit. Causam edocet Dio, XLIII, p. 226 : Ὅπως τὸ καθαρῶτα-
τον ἦν μάλιστα αἰεὶ διαζῆν.

Recensum. H. e., recte monente Lipsio, non *census lustralis*, sed

examen eorum qui jure aut injuria, publico frumento sustentabantur. Dio, ubi supra, p. 224 : Τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐξέτασις. Causam addit : Τοῦ πλήθους οὐ κατὰ δίκην, ἀλλ' ὡς περ ἐν ταῖς στάσεσιν εἶθε γίγνεσθαι ἐπαυξήθεντος.

Nec more. Per censores enim res peragi solebat.

Loco solito. Intellige campum Martium.

Vicatin. H. e. per vicos, ut Tacit., *Hist.*, II, 95 : « Editis tota urbe vicatin gladiatoribus. »

Insularum. H. l. per *insulas* intellige parvas ædes et mediocres, a reliquis ædificiis sejunctas, quas tenuioribus civibus locabant illarum domini.

Recensiti. H. e. recensione ad frumentationem admissi.

CAP. XLII. *Colonias.* Carthaginem præsertim et Corinthum. PLUT. in *Cæs.*, et DIO, XLIII, p. 239.

Urbis. — *Urbi* rectius.

Non teneretur. H. e. miles non esset : sacramentum fuit jusjurandum quo milites tenebantur.

Contubernalis aut comes. Quid sit *contubernalis*, vide sup. II. *Comes* dictus, qui apud magistratum erat sine imperio, vel officii, vel amicitiae, non militiæ causa.

Neve hi... haberent. Rem dilucide Cl. Hase explicat : « Ut remanerent in Italia ingenui, qui liberos procrearent, quum militibus uxores ducere haud liceret. »

Novarum tabularum. Quæ fieri dicebantur, quando prioribus debitis abolitis creditas cum usuris pecunias creditoribus non solvabant debitores.

Numeratum. Vetus inventum, quoties angusta fides erat. Liv., VI, 35 : « Tribuni promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum et pro commodis plebis : unam de ære alieno, ut deducto eo de capite quod de usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur. »

Collegia. A Numa constituta fuerunt, Plut., *Num.*, XVII ; quum vero, magno reipublicæ detrimento, frequenter cætus factiosorum hominum sine publica auctoritate fierent, collegia A. U. 686 sublata sunt præter pauca atque certa. ASCON., in Cic., p. 159. Ea restituerat P. Clodius. Cic. in *Pis.*, IV ; *pro Sext.*, XV et XXV.

Facinorum. Maxime de sicariis.

Parricidas. Festus : « Parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed quemcumque hominem. Id autem fuisse

indicat lex Numæ Pompilii regis his concepta verbis : *si quis liberum hominem morti duit, parricida esto.* »

Ut Cicero scribit. Hæc Wolfio et aliis suspecta videntur.

Reliquos. Hi non sunt, monente Cl. Hase, quos Torrent. putat qui non occidendi animo, tamen occiderant; sed omnino omnes qui facinus seu vim, sed sine nece, erga civem patraverant.

CAP. XLIII. *Probrî.* H. e. adulterii.

Portoria. Portorium est vectigal pro mercibus ex peregrinis regionibus in nostras importatis.

Nisi certis personis et ætatibus. H. e. feminis maritos et liberos habentibus, et quæ excessissent ætatis annum 55.

CAP. XLIV. *Publicare.* H. e. publice utendas dare.

M. Varroni. Plin., *Hist. nat.*, VII, 31 : « M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est : haud minore (ut equidem reor) gloria, principe, oratore et cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coronam dante, quam quum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit. »

Fucinum lacum. Est in Marsis. Virg., *Æneid.*, VII, 758 :

. . . . Et Marsis quæsita in montibus herbæ,
Te nenus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevère lacus.

Munire. H. e. lapidibus sternere, ut Cic. *pro Mil.*, VII : « Perinde quasi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur. »

Perfodere. Vide PLIN., *Hist. nat.*, IV, 5.

Expertos. Passive, i. e. postquam parvis præliis periclitatus esset quo genere belli facillime possint vinci.

CAP. XLV. *Comitali quoque morbo.* H. e. epilepsia. Cur *comitalis* nominatus fuerit, docet Q. Serenus :

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod ferri nobis suffragia justa recusat;
Sæpe etenim membris acri languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Correptus est. Test. Plutarch., Cordubiæ et ad Thapsum.

Lato clavo... fimbriato. H. e. tunica laticlavata manicas ad manus usque habente easque fimbriis ornatas : contra omnium tunc

Romanorum consuetudinem, quorum tunicæ tam laticlavæ quam angusticlavæ *manicis* carebant. SALMAS. in *Vopisc.*

Nec ut... cingeretur. Trajectio in Nostr. frequens pro : *nec unquam aliter quam ut super eum cingeretur.*

CAP. XLVI. *Subura.* « Subura quæ inter Esquilias et Viminalem jacet, principium habuit a foro romano sive a foro Nervæ imp. ; finem vero ad clivum suburbanum; dicta, ut Junius scribit, ab eo quod fuerit sub antiqua urbe. » MARLIAN., *Rom. topograph.*, IV, 20, in *Thes. Græv.*, III, p. 156.

Publica. Dio, XLIII, p. 235 : Ὅσπερ ἐν τῷ δημοσίῳ οἰκεῖν.

Nemorensi. Sc. agro, prope Ariciam, ubi lucus erat Dianæ sacer. (STRAB., V, p. 165.) De hac villa Nemorensi Cic. *ad Attic.*, VI, I : « Putant nummos suos vos comedisse, Cæsarem in Nemorensi ædificando diligentiore. »

In expeditionibus... circumtulisse. — *Tessellæ* calculi erant quadratis variisque coloribus tincti. *Sectilia* crustæ marmoris varii coloris et formæ : hæc in pavimento ac solo mansere; *tessellata* ad cameras translata et *musivi* operis nomine appellata. De utrisque plura *Salmas.* exercit. Plin., p. 1214. — *Pavimenta* sunt pavimentorum materia, quas circumferebat Cæsar in expeditionibus, ut quoties castra metandum esset, *pavimenta* ex iis in prætorio struerentur.

CAP. XLVII. *Servitia.* H. e. servos.

Rationibus. H. e. expensorum libro.

CAP. XLVIII. *Sagati... togati.* — *Sagati* sunt milites Cæsariani alicujus dignationis, quales de cohorte prætoriam; — *palliatii*, comites græci, philosophi, rhetores, quos illis temporibus illustres Romani in comitatu suo habere solebant; — *togati*, Romani illustres, tum quæstores, tum senatores equitesque, qui forte ad ipsum devertebant.

Vinxerit. Leges enim convivales *amicos gradatim haberi* prohibebant. Vide PLIN. JUN., *Epist.*, II, 6.

CAP. XLIX. *Calvi Licinii.* Poeta fuit Catulli familiaris : de quo plura apud CIC., *Brut.*, 81.

Actiones. H. e. orationes in senatu habitæ, non forenses, auctore Cl. Hase.

Spondam... lecticæ. Pro uxore, quæ in interiore lecti parte jacebat. *Sponda* de lecto ipso dicitur.

Edicta. Vide supra, xx.

Proscripsit. H. I. publice appellavit; nam proscribere est *litteris publicis aliquid proponere*.

Valetudine mentis. H. e. non bene sana mente.

C. Memmius. Vide supra, xxiii.

Ad cyathum... stetit. H. e. vinum ministravisse. Vide HORAT., *Od.* I, 29.

A Venere orti. Vide supra, vi.

Carmina. H. I. jocos militares. Cf. LIV., v, 49, et TACIT., *Ann.*, I, 23.

Gallias. Trochaici tetrametri catalectici.

CAP. L. Servii Sulpicii. Subintelligit uxorem: sic post alios genitivos more Græcorum.

Eregisset. H. e. domo expulisset, repudiasset.

Serviliam. Plutarch., in *Cat.*, p. 759: Ἦν δὲ καὶ Σεργιλία Κἀτανας ἐκρωπίστει ἀδελφεῖ.

Proximo suo consulatu. Eum accipe, qui proxime tempora illa secutus est quibus Serviliam amare cepit. — Alii *primo* pro *proximo* legendum censent; nam *proximum* et *primum* sæpius in libris confundi docent Burmann. ad h. l., et Gronov. ad Liv., II, 33.

Donationes. De quibus vide DION., XLIII, 47.

Nummo. H. e. levissimo pretio, ut Cic. pro *Rabir. Post.*, XVII: «Equis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit?» Unde alii *minimo* legunt pro *nummo*.

Melius. H. e. viliori pretio, nam bene emere est vili pretio emere, ut Cic. *ad Att.*, I, 13: «Tantum quod ea emptione et nos bene emisse iudicati sumus.»

Tertia deducta est. Ludit Cic. in duplici significatione vocis *tertia*, sc. pars et *Tertia*, filia Serviliæ; atque vocis *deducta est a deducere*, quæ significat *subtrahere*, et *tradere* ad usum obscœrum, docente Cl. Hase. Idem narrat Macrobi., *Saturn.* II, 2.

CAP. LI. Matrimonii. H. e. uxoribus, ut Just., III, 3: «Severius matrimonia sua viri coercent.»

CAP. LII. Bogudis. Is bello africano Cæsaris jovit partes: de quo Hirt., *Bell. Alexand.*, XXIX et LXII; *Bell. Afric.*, XXIII.

Naso. M. Actorius Naso; hujus meminit supra, IX.

Thalamego. In qua *thalamus erat*, eam cubiculatam dicit Senec., *de Ben.*, VII, 20: «Cui triremes et æratas non mitte-

rem, lusorias et cubiculatas, et alia ludibria regum in mari lascivientium mittam.»

Nomine suo. Cæsarionem. Cf. BAUMGART., ad h. l.

Affirmavit. Ut officeret Octavio, adoptato Cæsaris filio.

C. Matium, et C. Oppium. De his Tacit., *Ann.*, XII, 60: «C. Oppius et Corn. Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera equitum rom. prævalida nomina referre nihil attinuerit.»

Librum edidit. H. e. edito libro testatus est.

CAP. LIII. *Ab hospite.* Qui a Plutarch. in *Cæs.* dicitur Ὀυάλλε-
πιος Δείων et Cæsarem Mediolani convivio exeeipisse.

Conditum oleum, pro viridi. H. e. oleum myrrha infectum, pro oleo ex olivis viridibus expresso.

CAP. LIV. *In imperiis... in magistratibus.* Erant imperia in provinciis; magistratus in Urbe. Vide SIGON. ad Liv., XXVIII, 38, et de *Ant. jure Provinc.*, III, 5 et 6.

A proconsule. Ex Wolf. proconsuli cui succedebat, pecuniam extorsit, injecto calumniarum h. e. criminis repetundarum metu.

A sociis. — Socios auctor dicit civitates Hispaniæ socias, quibus non magis pepercit Cæsar quam hostibus Lusitanis.

Ternisque millibus... divenderet. Budæo, *de Asse*, p. 269, et Gronovio, *de Sestert.*, p. 156, auctoribus, quum libra argenti mille asses, auri ut decuplo gravior decem millia assium valeret, quæ, sestertio sive nummo ad duos asses cum dimidio exacto, 4000 nummum effecissent, Cæsar minori pretio, quarta nempe parte remissa, seu 3000 nummis, aurum vendendum dedit. H. l. *promercale* est *venale* seu *ad vendendum distribuere*, ut Gell., IV, 1: «Quæ promercales et usuraria in locis iisdem essent.»

Regna. Cic. *ad Att.*, XII, 2, de Ariathe: «Vult, opinor, regnum aliquod emere a Cæsare.»

Ptolemæo. Scil. Auletæ.

Rapinis. Multa de Cæsaris rapinis apud Baumgart. reperias.

CAP. LV. *Eloquentia.* Cic. *ad Brut.*, LXXII: «De Cæsare et ipse ita iudico, et de hoc huius generis acerrimo æstimatore sapiissime audio, illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime.» Cf. QUINTIL., *Inst.*, X, 1, et XII, 10.

Dolabellæ. Vide supra, IV.

Strabonis Cæsaris. De quo Cic. *ad Brut.*, XLVIII: «Orator non vehemens, sed festivissimus.» Cf. VELL., II, 9.

Pro Sardis. Hujus orationis mentionem habes in Cic., II, 14, et *Divin. ad Cæcil.*, 19.

In Divinationem. Quam in Dolabellam instruxit Cæsar. Quid sit *divinatio*, Ascon. sic edocet: « *Divinatio* dicitur oratio, quia non de facto quæritur et conjectura, sed de futuro, quæ est divinatio, uter debeat accusare, Cicero an Cæcilius. »

Actuarii. H. e. notarii, qui publice dicta notis excipiebant, et compendio quorundam signorum, verborum vim omnem comprehendebant: de quibus *Martial.*, XIV, 208:

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Quum... sermo sit. H. e. quum Cæsar ipse suo nomine pro Metello loquatur: sic Oudendorp.

Obtrectatorum. H. e. adversariorum, quo sensu Cic. *pro Manil.*, VIII: « A nullo istorum, qui huic obtrectant legi. »

Priore... posteriore. — *Priore* ad Ilerdam contra Petreium et Afranium; *posteriore* ad Mundam.

Asinius Pollio. Vide supra, XXXVI.

CAP. LVI. *Gallici belli novissimum.* Cf. DODWELL. *Dissert. de auctore libri VIII de Bell. Gall.*

Bruto. Sc. in capite LXXV.

Historiam. Hirt., *de Bell. Gall.*, VIII: « Sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset. »

Hirtius. Scil. in præf. libri VIII *de Bell. Gall.*

De analogia. Gell., I, 10: « Atque id, quod a Cæsare, excellentis ingenii ac prudentiæ viro, in primo de Analogia libro scriptum est. » Eos conscripserat ad Ciceronem, ex eodem Gell., XIX, 8: « C. Cæsar ille.... vir ingenii præcellentis, sermonis præter alios suæ ætatis castissimi, in libris, quos ad M. Ciceronem de Analogia conscripsit. »

Anticatones. Sic dictos quia in illis respondit Ciceronis *Catoni*, sive libro quo laudes Catonis descripserat. De illis mentio est in *Juvenal.*, *Sat.* VI, 338.

Quarto et vicesimo. Casaubon. *e septimo et vicesimo die legit*, ex *Strab.*, III; 4: *Φασὶ δ' εἰ συγγραφεὺς, ἐλθεῖν καὶ Καίσαρα ἐκ Ρώμης, ἐπεὶ καὶ εἰκοσὶν ἡμέρας, κ. τ. λ.* Quod refutat Baumgart.

Ad paginas. H. e. complicatas, ita ut plures fierent paginae, quales sunt librorum nostrorum.

Transversa charta. H. e. *in forma patente*, quod sic explicat Ernest. : ut versus super omnem chartam transverse dirigantur, eaque postea convolvatur.

Ad Ciceronem. Dio, XL, p. 124 : Καὶ τῷ Κικέρωνι πάνθ' ὅσα ἐβου-
λήθη ἑλληγιστὶ ἐπέστειλεν.

Ad familiares. Gell., XVII, 9 : « Libri sunt epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. »

Commutet. Quod sic exponit Gellius, *ibid.* : « Erat autem conventum inter eos clandestinum, de commutando situ litterarum, ut in scripto quidem alia alius locum et nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus et potestas restitueretur; quænam vero littera pro qua scriberetur, ante iis, sicut dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant. »

Dicta collectanea. H. e. ἀποσθέγματα, de quibus Cic. *ad Fam.*, IX, 16.

Ad Pompeium Macrum. Idem-ne sit, quem prætorem commemorat Tacit., *Ann.*, I, 72, an nostri filius dubitat Glandorp., *Onomast. rom.*

CAP. LVII. *Equitandi.* Plutarch., in *Cæs.*, p. 716 : Τὸ μὲν οὖν ἰππεύειν ἐκ παιδὸς ἦν αὐτῷ ῥάδιον.

Patiens. Idem : Τῶν πόνων ὑπομενῆ, παρὰ τὴν τοῦ σώματος δύναμιν ἰγχαρτερεῖν δοκῶντος, στρατιώτας ἐξέπληττε.

Celeritate. Idem : Συντόμως δὲ ἤλαυνεν οὕτως, ὥστε τὴν πρώτην ἐξοδὸν ἀπὸ Ῥώμης ποιησάμενος, ὄγδατος ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ἐλθεῖν.

Meritoria. H. e. mercede conducta.

CAP. LVIII. *Cessantibusque copiis... frustra.* Lucan., V, 479 :

Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Illum sæpe minis Cæsar, precibusque morantem
Evocat.

Passus est. Flor., IV, 2, ubi rem narrat : « Exstat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius : *Quid times? Cæsarem vehis.* »

CAP. LIX. *Immolanti.* Vide Cic., *de Divinat.*, XXIV. Hoc di-
rum omen esse arbitrabantur veteres. Cf. MACROB., *Saturn.*,
III, 5.

Prolapsus. Frontin., I, 2 : « C. Cæsar, quum forte conscendens navem lapsus esset, *teneo te, terra mater*, inquit : qua interpre-

tatione effecit, ut repetiturus illas, a quibus proficiscebatur, terras videretur. »

Salutioni. Plurima de hoc cognomine disputant viri docti, quibus perpensis, sic Cl. Hase : « Patet non Nostro demum *ad opprobrium vitæ* hoc cognomen venisse, sed uni ex ejus majoribus ob oris cum mimo Salutione similitudinem. »

CAP. LX. *Sumebat.* Sic Tacit., *Hist.*, II, 42 : « Othoniani quamquam dispersi, pauciores, fessi, prælium tamen acriter sumsere. »

Spurcissimis. H. e. asperrimis. Non., IV, 425 : « *Spurcum*, vehemens, asperum. » M. Tull. *ad Cæsarem jun.*, II : « Quam iter facerem Claternam tempestate spurcissima. »

Quantum auferre. Calamitas enim minuere solet imperatoris auctoritatem. Cæs., *B. G.*, VII, 30 : « Itaque ut reliquorum imperatorum res adversæ auctoritatem minuunt, etc. »

Dimittebat. Equum dimisit pugnaturus cum Helvetiis, ut ipse docet, *Bell. Gall.*, II, 25. Plutarch., *in Cæs.*, p. 716 : Κἀκεῖ συναγαγὼν καὶ παρατάξας τὴν δύναμιν, ὡς ἵππος αὐτῷ προσέχθη τούτῳ μὲν, ἔφη ; νικήσας χηρῶσαι πρὸς τὴν δίωξιν νῦν δὲ ἴωμεν ἐπὶ τοῦς πολέμους. Καὶ περὶς ἰρημίας, ἐπέβαλεν. Idem in prælio ad Mundam fecisse tradit Flor., IV, 4.

CAP. LXI. *Equo... dedicavit.* Plin., *H. N.*, VIII, 12 : « Nec Cæsaris dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur, idemque humanis similes pedes priores habuisse, hac effigie locatus ante Veneris Genetricis ædem. » In quo animadv. *genetricis pro genitricis* ex Cl. Hase Burmann. et Oudendorp. secuto.

CAP. LXII. *Contortis faucibus.* H. e. in hostem reflexis, ut Plin., *H. N.*, VII, 44 : « intortas fauces. »

CAP. LXIV. *Trahens.* Aliter Flor., IV, 2 : « Inde depulsus in maria mira felicitate ad proximam classem enatavit, relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. »

CAP. LXV. *Subtrahebat.* Scil. se; h. e. proficiscebatur.

CAP. LXVI. *Terribilis esset.* Auct. *Bell. Afric.* : « Erat in castris Cæsaris superiore tempore magnus terror, et exspectatione copiarum regiarum exercitus ejus magis suspensiore animo ante adventum Jubæ commovebatur. »

Nave. Fuisse hoc apud veteres prænæ genus constat ex Plin. *Paneg.*, XXXIV : « Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ut

tempestatibus dediti abirent, fugerentque vastatas delationibus terras, etc. »

Quocunque vento. Vento etiam adverso sontes avehi jubebant, ex eod. Plin., *ibid.* : « Delatorum classis permessa omnibus ventis, coactaque vela tempestatibus pandere, iratosque fluctus sequi, quoscumque in scopulos detulissent. »

CAP. LXVII. Exsequebatur. H. e. puniebat pro modo culpæ et pœnæ constitutæ. Tacit., *Agric.*, IX : « Omnia scire, non omnia exsequi. »

Connivebat. H. e. reliqua oculis quasi clausis præteribat, ut Cíc., *Phil.*, I, 7 : « Sed ea ipsa concedo, quibusdam etiam in rebus conniveo. »

Tituriana. Vide supra, xxv.

CAP. LXVIII. Centuriones... e viatico suo. H. e. quisque centurio se equitem armaturum et sustentaturum facultatibus suis pollicitus est. Horat., *Epist.* II, 2, 26 :

Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat.

Tutelam. H. e. sustentationem; *tueri* enim est alere, ut Macrobi., *Saturn.* II, 2 : « Testem interrogavit, quia sutorem sciebat, quo artificio se tueretur. »

Recusarunt. Inter alios memorandus Granius Petronnius, qui, capta in Africa navi, Scipioni salutem danti, respondit ex Plutarch., *in Cæs.* : Ὅτι τοῦ Καίσαρος στρατιώτας οὐ λαμβάνειν, ἀλλὰ διδόναι σωτηρίαν ἔθος ἐστίν. Vide ejusdem exempla in VALER. MAX., III, 8.

Ex herba. Cæs., *Bell. Civ.*, III, 48 : « Est etiam genus radices inventum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur *chara*, quod admixtum lacte multum inopiam levabat. Id ad similitudinem panis efficiebant : ejus erat magna copia. Ex hoc effectos panes, quum in colloquiis Pompeiani famem nostris objectarent, vulgo in eos jaciebant, ut spem eorum minuerent. » Herbam hanc *lapsanam* vocat Plin., *H. N.*, XIX, 8.

Consolandos. Cæs., *Bell. Civ.*, III, 73 : « Concionem apud milites habuit, hortatusque est, ne ea quæ accidissent graviter ferrent, neve his rebus terrerentur, multisque secundis præliis unum adversum, et id mediocre, opponerent, etc. »

Multis partibus ipsi pauciores. Scil. multo ipsi pauciores : Cic. *ad Fam.*, I, 2 : « In Hortensii sententiam *multis partibus* plures ituros. »

Scæva. Cæsar ubi sup. : « Scutoque ad eum relato Scævæ centurionis, inventa sunt in eo foramina centum et viginti. » Vide FLOR., IV, 2; VALER. MAX., III, 2.

Acilius... obvios agens. Valer. Max., III, 2 : « Acilius quum decimæ legionis miles pro C. Cæsaris partibus maritima pugna præliaretur, abscisa dextra, quam Massiliensium navi injecerat, læva puppim apprehendit, nec ante dimicare destitit, quam captam profundo mergeret. »

CAP. LXXIX. *Apud Placentiam.* A. U. 705. De qua seditione nihil Cæsar in *Commentariis*; multa Dio, XLI, passim, et Appian., *Bell. Civ.*, II, 47.

CAP. LXX. *Decumanos.* H. e. decimæ legionis milites.

Romæ. Ante bellum africanum, A. U. 707.

Neque adire. Appian., *Bell. Civ.*, II, p. 486 : Αὐτοῖς ἐπιστρασίαι ζουσιν ἐς τὸ ἄρειον πεδίον ἐπῆλθε.

Una voce. Germanicus ad milites, in Tacit., *Annal.*, I, 42 : « Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, *Qui-rites* vocando qui sacramentum ejus detrectabant. »

CAP. LXXI. *Masintham.* Hic Masintha e regia stirpe ortus fuisse videtur : quem quum Hiempsal pendere stipendia juberet, re ad senatum delata, Masintha Romam venit. Hiempsal filium Jubam misit : ibi post magnam contentionem vicit tandem Juba, et Masintha, multum frustra renitente Cæsare, pronuntiatus est Jubæ *stipendiarius*, i. e., qui certis temporibus Hiempsali tributa penderet.

Prosequentium. Prætores consulumve, cum imperio proficiscentem, comitantibus lictoribus clientes amicique prosequi solebant. Liv., XLII, 49 : « Per hos forte dies, P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate et majestate geritur, præcipue tamen convertit oculos animosque, quum ad magnum nobilemque aut virtute, aut fama, aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. »

CAP. LXXII. *Grassatorum.* H. e. eorum qui cædem moliuntur, vel ex libidine vel propter præmia.

CAP. LXXIII. *Excepti.* H. e. suscepti.

C. Memmii. Vide supra, xxiii.

C. Calvo. Vide supra, xlix.

Famosa. H. e. Cæsaris famam lædentia.

Versiculis. Quos reperias apud Catull., xxix :

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus, et vorax, et aleo,
Mamurram habere, quod Comata Gallia
Habebat, uncti, et ultima Britannia.

CAP. LXXIV. *Piratas.* Vide supra, iv.

Jugulari. Vivos cruci suffigere moris erat; piratas Cæsar prius jugulari jussit, nempe ut minus acerbum esset supplicium.

Phagitæ. Is Sullæ libertus, de quo supra i.

A manu. H. e. amanuensem, quo sens *ad manum* in Cic., *de Orat.*, iii, 60 : « Quem servum ille sibi habuit ad manum. »

Puniit. Nempe ut non tortus periret : Romanis enim fas erat, servos torqueri ante supplicium, si contra dominos conspiravissent.

P. Clodium. Vide supra, vi.

CAP. LXXV. *Defuissent.* Intellige qui suas partes secuti non fuissent.

Medios. H. e. qui neque Cæsariani neque Pompeiani essent.

Ordines. Subaudi *ducendos*, i. e. quos centuriones fecerat.

Pœnitentia. Nempe pactæ conditionis.

Nec ulli perisse. Cic. pro *Ligar.*, vi : « Quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus? »

Et Fausto. Auctor *Bell. Afric.*, xcvi : « Paucis post diebus dissensione in exercitu orta, Faustus et Afranius interficiuntur. »

L. Cæsare juvene. Filius erat L. Cæsaris, legati C. Cæsaris, de cujus sorte inter se auctores non consentiunt. Vide auct. *Bell. Afric.*, lxxxix **DIOM.**, xliii, 219.

Atque Pompeii. Plutarch., *Apoph.*, p. 205 : Ἐπεὶ δὲ Καῖσαρ κρατήσας τὰς Πομπηίου καταβεβλημένας εἰκόνας ἀνέστησε μετὰ τιμῆς, ἔφη περὶ αὐτοῦ λέγων ὁ Κικέρων ὅτι τοῦ Πομπηίου Καῖσαρ ἰστάς ἀνδριάντας, τὰς ἑαυτοῦ πήγρυσι.

Cæcinæ. Burmann. hunc Volaterranum esse putat, pro quo Cicero orationem habuit. Ernest. incertus est.

Libro. Vide Cic., *Epist. ad Fam.*, 5-8.

Pitholai. De hoc Macrobi., *Saturn.* ii, 2.

Civili animo. H. e. æquo et remisso.

CAP. LXXVI. Prænomen Imperatoris. Antea duces, re bene gesta, *imperatores* salutabantur. Cæsar, et qui eum secuti sunt, id sumserunt; sed ita ut semper nomini subjiceretur. Ab hoc tempore, in prænomen conversum notare cœpit summum imperium.

Flaminem. Cic., *Philipp.* II, 43 : « Quem is majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem. Est ergo flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius? »

Lupercos. Dio, XLIV, p. 243 : Ἱεροποιούς τε ἐς τοῦ Πανὸς γυμνοπαθίας, τρίτην τινὰ ἑταιρίαν, τὴν Ἰουλίαν ὠνόμασαν. Duæ tantummodo ad hoc tempus *Lupercorum* sodalitates : *Fabianorum* et *Quintiliano-*
rum. Vide *FESTUM.*

Substituit sibi. Inde substituendi sibi alium consuetudo incepit. Suffecti Q. Fabius Maximus et C. Trebonius; et rursus in locum Maximi, prid. kal. jan. defuncti, C. Caninius Rebilus. Cf. *PICHNIUS*, *Ann.*, III, p. 457, et *BAUMGART.*

Comitia nulla. Toto eo tempore quo victo Pompeio Ægypti, Ponti et Africæ bellis Cæsar detinebatur, nulla pæne habita comitiorum ratio, ac ne bello quidem hispaniensi; sed magistri equitum, primum Antonius, postea Lepidus, absente Cæsare, res urbanas administrarunt.

Præfectosque. De magistratu novo, hoc nomine inde a Cæsaris tempore creari solito, cf. *ROSIN.*, *Antiq. rom.*, VII, 14, 504.

Præsentē se. Aliter Dio, XLIII, p. 237 : Ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος εἰ Πελοπόννησος πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἰππαρχοῦντες ἔσχον.

Petenti. Nempe C. Caninio Rebilus, qui, ex Treb. Poll. VIII, in sex horas Consulatum suscepit : « consul ille, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectus habuit. » Unde jocus ille Cic. *ad Fam.*, VII, 30 : « Caninio consule, scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est : fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. »

In plures annos. In quinquennium; Appian., *B. C.* : Εἰς γὰρ πενταετής καὶ τὰ ἄστικά ἡμῶν τὰ ἐτήσια, καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας διετάξατο.

Consularia ornamenta. Scil. sellam curulem, fasces et togam prætextam.

Monetæ... vectigalibus. Monetæ *Treviri* præerant; vectigalibus autem in locum suos servos præfecit.

CAP. LXXVII. *Impotentie.* Scil. superbiæ.

T. Ampius. Hunc incertæ ætatis historicis annumerat, et Julii Cæsaris æqualem fuisse suspicatur Vossius, *de Hist. lat.*, III, 2. Commemoratur et ab ipso Cæsare, *B. C.*, III, 105.

Specie. Ut Cic. *ad Att.*, IV, 16 : « Amisimus... omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et *speciem pristinam* civitatis. »

Nescisse litteras. Hæc varie interpretantur viri docti : plane assentior Cl. Hase dicenti : « Potest etiam nescire litteras, dictione proverbiali positum esse pro *stultum, ineptum esse.* »

CAP. LXXVIII. *Sedens.* Plutarch. *in Cæs.*, p. 736 : Ἐν δὲ συγκλήτῳ τιμᾶς τινὰς ὑπερφυεῖς αὐτοῦ ψηφισαμένων, ἔτυχεν μὲν ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων καθεζόμενος.

Triumphanti. Triumphantes excipiebantur a magistratibus in aliquo porticu aliove loco, ubi positis subselliis eos exspectabant.

Tribunitia. Ascon. in Cic. : « Subsella sunt tribunorum, triumvirorum, quæstorum et hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considerabant. »

Pontium Aquilam. Legatus D. Bruti fuit, et unus ex interfectoribus Cæsaris : periit in prælio mutinensi. Dio, XLVI, p. 316.

Repete... tribunus. H. e. pro potestate tua tribunitia imperium mihi abroga : ironia est.

CAP. LXXIX. *Sacrificio latinarum.* Feriæ latinæ, a Tarquinio Superbo institutæ (DIONYS., IV, 49, et V, 95), quotannis a consulibus in monte Albano celebrabantur cum magistratibus latinis. De his plura Rosin., *Antiq. rom.*, p. 296.

Revertente. Fuit inter novissimos honores hic quoque Cæsari tributus, ut sacro latinarum peracto, curru in Urbem inveheretur. Dio, XLIV, p. 242 : Μετά τε τὰς ἀνοχὰς, τὰς λατῖνας ἐπέκλησεν, ἐς τὴν πόλιν ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ ἐσελεύσιναι ἔδρασεν.

Statuæ. Hæc pro rostris posita fuerat.

Candida fasciæ. H. e. regio diademate. Plutarch. *in Cæs.* : Διαδήματι βασιλικῷ. De hoc insigni, vide Lips. ad Tacit., *Annal.*, VI, 37.

Privavit. Vell. II, 68 : « Notetur immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Cæsarem, Marullum Epidium Flavunque

Cæsetium tribunos plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, pæne vim dominationis expertos. In hoc tamen sæpe lacessiti principis ira excessit, ut censoria potius contentus nota quam animadversione dictatoria, summoveret eos a republica, testareturque esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas.»

Plebi regem se salutanti. Appian., *B. C.*, II, p. 495 : Ἐτέρων δ' αὐτὸν ἀμφὶ τὰς πύλας ἴοντα βασιλέα προσειπόντων.

Lupercalibus. Vell., II, 56 : « Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus consulatus collega, imponendo capiti ejus Lupercalibus sedentis pro rostris insigne regium; quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.» Lupercalia celebrabantur a. d. xv. kal. mart. in Panis honorem.

Jovī. Ὅτι Ζεὺς μόνος τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς εἶη. Dio, qui rem narrat, XLIV, p. 244, 245.

Quindecimvirum. «Horum munus erat libros sibyllinos custodire; quum ex senatusconsulto adeundi essent, adire; et, quæ legissent, senatui renuntiare, et ea senatuscons. decreta procurare; ludos Seculares celebrare, et postremo omnia peragere, quæ sibyllinorum carminum jussu facienda erant.» Panvin., *de Civ. rom.*, c. 35, in *Thes. Græv.*, t. I, p. 242. Primitus fuere *duumviri* (DIONYS., IV, 62); postea C. Licinius Stolo et L. Sextius, tribuni plebis, rogationem promulgarunt, ut pro *duumviris* sacris faciendis *decemviri* crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus (LIV., VII, 37). Quibus Cæsar sextum decimum addidit (DIO, XLII et XLIII); hoc vero non permansit (TACIT., *Annal.*, XI, II).

Fatalibus. H. e. *Sibyllinis*, in quibus populi romani fata continebantur. Liv., XXII, 9 : « Decemviri libros sibyllinos adire juberentur, qui inspectis *fatalibus libris* retulerunt patribus, etc.»

CAP. LXXX. *Bonum factum.* Sic præfari, maxime in edictis, boni ominis causa, veteres solebant, et illud scribebant hac nota B. F. et Q. B. F. Cf. BRISSON., *de Formulis*, III, init.; PLAUTUS, *Pæn.*, *Prolog.*, 16 :

Bonum factum; edicta ut servetis mea.

Bracas. Tunica erat braca, quam Gallis adscribit Diod. Sic., V, p. 213 : Χρώνται καὶ ἀναξυρίσιν, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσιν.

Aninadverti. Consule adveniente, lictor populum jubebat

animadvertere. Hoc quid fuerit, explicat Senec., *Epist.* LXIV : « Si consulem videro, aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam : equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. »

A sexaginta amplius. Horum nomina collegit Casaubon. ad h. l. ; sed ex Appiano supplendum et corrigendum monet Cl. Hase.

Partibus divisus. H. e. aliis super ponte, aliis sub ponte collocatis.

Ponte. H. e. ponte *tabulato*, in campo Martio exstructo, in quem ascendebant singulæ per vicem tribus suffragia laturæ, datisque suffragiis in montem *Citorium* (al. Citatorum), qui dextri campi Martii lateris partem occupavit, transibant.

Theatri. Ubi tunc ludi agitabantur. Appian., *B. C.*, II, p. 500 : Θέατρον δὲ ἦσαν ἐν τῷ Πομπηίου θεάτρῳ.

Curiam. Pompeii theatro proxima fuit illa Curia (APPIAN., ubi sup.), in qua Senatus haberi solitus erat, quibus diebus in eo theatro spectacula exhibebantur, ex eod. Appian., ibid.

Tempus. H. e. idus martias quæ hilariter agi solebant, propter Annæ Perennæ festum, in quo largioribus poculis indulgebant, et pro cyathorum numero annos sibi precabantur Romani. Vide OVID., *Fast.*, III, 523.

CAP. LXXXI. *Lege Julia.* De hac lege lata, vide supra, xx.

Capuæ. Sil. Ital., I, 179 :

. . . . Cui nomina liquit

A Jove ducta Capys, magno cognatus Iulo.

Proximis. H. e. Cæsaris necem *proxime* antecedentibus.

Consecrarat. Absolute dictum ; usu humano exemerat.

Flere. Plin., *H. N.*, VIII, 64 : « Præsagiunt (scil. equi) pugnam, et amissos lugent dominos, lacrymasque interdum desiderio fundunt. »

Auct. Plin., *H. N.*, XVIII, 25, Cæsar ipse martias idus sibi feriales annotaverat Scorpionis occasu.

Calpurnia uxor. Vell., II, 57 : « Et uxor Calpurnia territa nocturno visu, ut ea die domi subsisteret, orabat. »

Fastigium. Etsi hoc templorum proprie erat (TACIT., *Hist.*, III, 7), tamen inter honores divinos Cæsari fuerat decretum *fastigium* in domo. FLOR., IV, 2.

Quinta fere hora. H. e. circiter undecimam nostram, ex nota diei divisione in duodecim horas, noctisque in totidem.

Ab obvio. Intelligitur Artemidorus, genere Cnidius, professione rhetor ex Plutarch., qui rem exponit in *Cæs.* Cf. ZONAR., *Annal.*, II, p. 132 : Ἐγγὺς σφάδρα προσελθὼν, τοῦτο, ἔφη, Καῖσαρ, ἀνάρησθαι μόνος καὶ ταχέως γέγραπται γὰρ ὑπὲρ πραγμάτων μεγάλων, καὶ σοὶ διαφερντόν. Flor., IV, 2 : « Quanta vis fati! manaverāt late conjuratio; libellus etiam Cæsari datus eodem die. » Sic Vell., II, 57.

Spurinnamque... præterisse. Val. Max., VIII, 2 : « Prædixerat... (Spurinna) C. Cæsari, ut proximos dies xxx quasi fatales cave-ret, quorum ultimus erat idus martiæ. Eo quum forte mane uter-que in domum Calvini Domitii ad officium convenisset, Cæsar Spurinnæ : « Ecquid seis inquit, idus martias jam venisse? » Et is : « Ecquid seis, illas nondum præterisse? » Abjecerat alter timorem, tanquam exacto tempore suspecto : alter ne extremam quidem ejus partem periculo vacuam esse arbitratus est. »

CAP. LXXXII. *Tullius.* Alii « Tullius, » inter quos Senec., *Epist.* LXXXIII : « Tullius Cimber et nimius erat in vino et scordalus. In hanc rem jocatus est ipse : Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non possum? »

E Cassiis. Rectius « e Cassis » Hase Beroald., Ruhnk. et Wolf. secutus : erant duo *Cassæ* inter Cæsaris percussores.

Aversum. Sic legendum pro vulg. *adversum* docet Baumgart.

Τέχνον. Consuetudinem Cæsar cum matre Bruti Servilia habue-rat. Vide supra, v. Quam ob rem multi Brutum Cæsaris filium crediderunt.

Trahere. Ignominie genus hoc erat. Appian., *B. C.*, II, p. 512 : Καὶ γὰρ ταῦτα ἐκ τῶν νόμων τοῖς τυράννοις ἐπιτέτακται.

Metu M. Antonii. Appian., *B. C.*, p. 503 : Μὴ ἀντὶ τῆς βουλῆς τῷ δήμῳ μόνῳ χρώμενος, ἐργάσαιτό τι δεινὸν αὐτοῖς.

Lepidi. Dio, p. 249 : Ἐπεὶ ὅγε Λέπιδος ἐξστρατεύετο, καὶ ἐν τῷ πρᾶσσειῳ ἦν.

CAP. LXXXIII. *Socero.* Vide supra, XXI.

Lavicano suo. In agro lavicano villam habebat Cæsar.

Virgini Vestali. Testamenta in templis maxime Vestæ deponere solebant Romani. Plutarch. in *Anton.*, p. 942 : Περὶ τῶν Ἀντωνίου διαθηκῶν ἐγένοντο κηρυτταὶ τὰ γεγραμμένα συνειδότες; ἀπέκριντο δ' αὐτὰι παρὰ ταῖς ἱστίασι παρθένοις.

Q. Tubero. Historicus; laudatur a Liv., IV, 23, et X, 9; Gell., VI, 3 et 4. Vide ERN., *Clav. Cic.*

Ex dodrante. Ad verbum, h. e. dedit illis novem hereditatis

partes : asse accepto pro tota hereditate, *dodrans* est pro novem ejus partibus seu *tribus quadrantibus*. Notum est dodrantem cuiuslibet summæ, quæ in duodecim partes dividatur, partes novem significare. Martial., VIII, 9 :

Solvere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat

Lippus Hylas : luscus vult dare dimidium.

L. Pinarium. Sic Appian., *B. C.*, III, p. 540.

Q. Pedium. Hic postea consul fuit creatus cum Octavio. Dio, XLVI, p. 320. De quo Plin., XXXV, 4.

Ex quadrante. H. e. tres illis dedit hereditatis partes : *quadrans* accipitur pro tribus unciiis, et exinde pro tribus hereditatis partibus.

In ima cera. H. e. in extrema parte testamenti, ut Cic., *Verr.*, I, 39 : « In codicis extrema cera. » Nam *ceræ* dicebantur testamenta, tabulis ceratis inscripta, monente Cl. *Hase*.

D. Brutum. Appian., *B. C.*, p. 518 : Οὐκίτιστον δὲ ἐφάνη μάλιστα αὐτοῖς, ὅτι τῶν ἀνδροφόνων Δέκιμος ὁ Βροῦτος ἐν τοῖς δευτέροις κληρονόμοις ἐγέγραπτο παῖς.

In secundis heredibus. Secundos et tertios heredes substituere solebant Romani, qui succederent in hereditatem, si priores vel adire noluisent, vel ante maturam ætatem obiissent. Appian., *ibid.* : Ἐτέρους κληρονόμους παραγράφειν Ῥωμαίοις ἔθος, εἰ μὴ κληρονομοῦν οἱ πρότεροι.

Hortos. De his Horat., *Sat.* I, 9, 18 :

Trans Tiberim longe cubat in prope Cæsaris hortos.

Publice. H. e. ad communem omnium usum : oppon. *viritim*.

CAP. LXXXIV. *Indicto*. Indictionis solemnia verba in Terent., *Phorm.*, V, 8, 38 :

Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire jam tempus est.

Per præconem indicebantur *nobilium* funera ; vulgaria autem tacita noctu deducebantur. Vide KIRCHM., *de Fun. rom.*, I, p. 10.

In Martio campo. Ubi illorum, quibus hoc senatus concessisset, corpora cremabantur.

Aurata ædes. H. e. pegma in Foro exstructum, ut ibi collocaretur Cæsaris corpus per laudationem.

Ad simulacrum. H. e. ad similitudinem.

Omisso ordine. Ordo fuit hic : præbant magistratus et senatus positis dignitatis insignibus ; sequebantur equites habitu lugubri ; deinde milites cum armis, sed versis ; postremo populus per tribus. Hunc ordinem constituiebant *designatores* seu *domini funeris*. ROSIN., *Rom. vet.*, p. 229 et 352.

Inter ludos. De ludis scenicis inter funera celebratis multa apud Kirchm., *de Fun. rom.*, II, 7, p. 100 sqq.

Ex Pacuvii... judicio. Tragicus Ennii æqualis. Ille tragediam scripserat de armorum Achillis disceptatione inter Ulyssem et Ajacem, cui titulus : *Armorum iudicium*.

Atilii. Sophoclis *Electram* latinam fecerat, de quo Cic., *de Finib.*, I, 2 : « A quibus tantum dissentio, ut quum Sophocles vel optime scripserit *Electram*, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem. »

Senatusconsultum. Vide supra, LXXVI et LXXVIII.

Jusjurandum. Quod ipse narrat Antonius, in Appian., *B. C.*, II, p. 506 : Καίσαρι πάντες ὠμόσαμεν, φύλακες αὐτῷ τοῦ σώματος ἢ τιμῶν παρόντι ἕσσεσθαι.

Ex instrumento triumphorum. H. e. apparatu triumphali quo usi fuerant in actione ludorum Cæsaris triumphalium. Vide supra, XXXVII.

Veteranorum... legionarii. H. e. legiones compositæ e veteranis militibus, quæ Romæ tunc erant, deductionem in promissos agros expectantes.

Judæi. Cæsarem Judæi diligebant ob devictum Pompeium, a quo urbs ipsorum expugnata fuerat. Navaverant ipsi operam Cæsari, in bello alexand., teste Joseph., *Ant. jud.*, XIV, 14 : Καίσαρι πολεμοῦντι κατ' Αἴγυπτον εἰς πολλὰ χρήσιμον αὐτὸν παρέσχεν Ἀντίπατρος, ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐπιμελητής.

CAP. LXXXV. *Helvium Cinnam.* Val. Max., IX, 9 : « C. Helvius Cinna, tribunus plebis, ex funere C. Cæsaris domum suam petens, populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem sævire se existimabat ; iratus ei, quod, quum affinis esset Cæsaris, adversus eum, nefarie raptum, impiam pro rostris habuisset orationem. »

Circumtulit. Idem narrat Val. Max., *ibid.*

Apud eandem. Quum vero constet paulo post dejectam fuisse columnam illam (Cic., *Phil.*, I, 2, *Noris. Cenot. Pisan. Diss.*, III), verisimile videtur Suetonium indicare sacrificia peracta fuisse in

eo ipso loco ubi columna steterat. Appiano teste, ibidem Augustus templum exstruxit.

Per Cæsarem. Tertull., *Apoll.*, xxviii : « Citius apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur. »

Jurejurando. Vide cap. lxxxiv.

CAP. LXXXVII. *Apud Xenophontem.* In *Cyrop.*, viii, 7.

Prætulerat. Plutarch., *Apophth.*, p. 206 : Λόγου δὲ παρὰ δεῖπνον ἐμπεσόντος περὶ θανάτου, ποῖος ἄριστος ὁ ἀπροσδόκητος, εἶπε.

CAP. LXXXVIII. *Consecratos ei.* H. e. ab eo, Cæsare, Veneri generici, sed non editos, docente Cl. Hase.

Stella crinita. Idem narrat Plin., ii, 25.

Obstrui. Incensum a plebe dicit Appian., *B. C.*, ii, p. 521 : Βουλευτήριον, ἔνθα ὁ Καῖσαρ ἀνήρητο, κατέφλεξαν.

CAP. LXXXIX. *Sua mortē.* H. e. naturæ communi lege. Senec., *Epist.* lxiix : « Bella res est mori sua morte. »

Damnati omnes. Vell., ii, 69 : « Lege Pedia, quam consul Peditius, collega Cæsaris (Octavii), tulerat, omnibus qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. »

Interemerunt. Semetipsum Cassium interfecisse eodem pugione quo Cæsarem percusserat, docet Plutarch. in *Cæs.*, p. 740 : Θυμασιώτατον δὲ τῶν μὲν ἀνθρωπίνων τὸ περὶ Κάσσιον ἤττηθεις γὰρ ἐν Φιλιπποῖς, ἐκείνῳ τῷ ξιφιδίῳ διέφθειρεν ἑαυτὸν, ᾧ κατὰ Καίσαρος ἐχρήσατο.

IN OCT. AUGUSTUM.

CAP. I. *Velitris.* Volscorum oppidum, de quo Cellar., *Geogr. ant.*, ii, 9, p. 813.

Celeberrima. H. e. maxime frequentata.

Octavio consecrata. Burman., Oudendorp., Wolf. et Reitz. intelligunt ex Lips. ad Tacit., *Annal.*, ii, 50 : « Aram ab Octavio illo Marti consecratam, » quæ, monente Cl. Hase, conditoris Octavii nomen retinebat. Sic *ei consecrati* pro ab *eo consecrati*, in *Cæs.*, lxxxviii.

Prosecuit. H. e. dissecuit et extorum *proscicias* aræ imposuit.

Redderentur. Sacrificale illud verbum. Sic Virg., *Georg.*, II, 194 :

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Ubi Servius : « Proprio sacerdotum verbo usus est; reddi enim exta dicebantur, quum probata, et elixa, aræ superponebantur. »

Reliquiæ. Non sunt extorum, sed carnes victimæ reliquæ præter exta.

CAP. II. *D. Julium.* Hos adscivit Cæsar lege Cassia. Vide *Cæs.*, cap. XLI.

Quæstorius. H. e. quæstura functus.

Æmilio Papo. Qui, teste Liv., XXVIII, 38, prætor fuit Siciliæ, P. Scipione Africano et P. Licinio Crasso coss., A. U. 548.

Magisteriis. Hi municipales magistratus apud Romanos contemptui; inde apud Cic. *pro Sextio*, XLV : « Homines municipales et rusticani. »

Scribit. In libris de vita sua : vide cap. LXXXV.

M. Antonius. In epistolis, de quibus Tacit., *Annal.*, IV, 34 : « Antonii epistolæ falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. »

CAP. III. *Divisores.* Qui, in campo Martio, pecuniam tribubus nomine candidatorum dividebant. Rosin., *Ant. rom.*, VII, 8.

Operasque campestris. Sic vocabantur, qui operam suam in campo Martio candidatis præstabant, et pro illis laborabant ad comparanda vel emenda suffragia.

Sortitus. Velleius, II, 59 : « Hic prætor inter nobilissimos viros creatus primo loco, quum ei dignatio Julia genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit, prætextato relicto filio. »

Extra ordinem. Ordinaria enim provincia Octavii erat Macedonia : injectum est ei hoc velut *extraordinarium*, ut inter eundem in provinciam fugitivos extirparet; ita jussus, auct. Cl. Hase, a senatu, ne alium exercitum mitti necesse foret.

Bessis. Hæc erat Thraciæ natio ad montem Hæmum. Cellar., *Geog. ant.*, II, 15.

Epistolæ. Ad *Quint. frat.*, I, I, 7.

Asiæ. Asiam sortitus erat Q. Cicero, M. Pupione et M. Valerio Messala coss.

Promerendis. H. e. humanitate et benefactis conciliandis. Donat., in *Adelph.*, II, 1 : « Mereri et promereri est præstare beneficium. »

CAP. IV. *Atia... genita est.* Cic., *Philipp.* III, 6 : « Hujus sanctissimæ feminæ atque optimæ pater, M. Atius Balbus, in primis honestus, prætorius fuit. »

Aricinus. H. e. municipio Aricino oriundus, de quo Cic., l. c. : « Vetustate antiquissimum, jure fœderatum, propinquitate pæne finitimum, splendore municipium honestissimum. »

Imaginibus. Illis solis imagines concedebantur, qui magistratus curules gessissent. Quod Cic., *Verr.*, v, 14, vocat *jus imaginis*.

Cassius... Parmensis. De hoc Hor., *Epist.* 1, 4 :

Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat.

Taxat. H. e. jocis tangit, fatigat. Græcos eodem sensu usurpasse ἀπτεσθαι docet Vict. L., IX, 19.

Collybo. Intell. nummorum assidua tractatione : Ἀργυρίου ἀλλαγί, Pollux, VII, 33; Hesych. : Κόλλυθος εἶδος νομίσματος, καὶ ὁ ἐν τῷ χαλλῶ κεχαραγμένος θοῦς.

Nerulonensis. Scil. oriundus Neruli, quod esset oppidum Lucaniæ prope Thurios. Cellar., ubi sup., p. 908.

CAP. V. *Natus est.* A. U. 691.

Capita bubula. In regione X Romæ. Vide PANV.; *Descript. urb. Rom.*, in *Thes. Græv.*, t. III, p. 304.

Pœna. Quæ fuerit adulterii pœna, incertum : gravior tamen fuisse videtur exsilium ex Tacit., *Ann.*, IV, 42 : « Cæsar Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure exsilio punivit. »

Natales. Sc. generis sui nobilitatem, ut Tacit., *Hist.*, II, 86 : « Aderat Cornelius Fuscus, vicens ætate, claris natalibus. »

Ædituum. Locorum sacrorum custodes erant *æditui*, ex Rosin., *Ant. rom.*, III, 31, p. 210.

Donari. H. e. culpam suam propter illum remitti.

CAP. VI. *Tenetque vicinitatem.* Vicini opinantur; ut Sallust., *Catil.*, XXXVI : « Vicinitatem armis exornat. »

CAP. VII. *Recens.* Caute accipiendum; tertium enim agebat annum Octavius filius, quum fugitivorum reliquias delevit Octavius pater, L. Afranio et Q. Cæcilio Metello Celere coss.

Ferreis... litteris. H. e. figuris litterarum ex ferro æri insculptis. Petron., xxxii : « Habebat extremo articulo digiti sequentis minorem (annulum), totum aureum; sed plane ferreis velut stellis ferruminatum. »

Principi. Hadriano, cui epistolarum magister fuit Suetonius.

Cubiculares. Animadv. *cubiculares* significare in cubiculo *positas*.

Augusti. De die quo hoc nomen sibi assumpsit Octavius variant scriptores. Ovid., *Fast.*, I, 587, idus januaras, A. U. 727; Censorin., c. xxi, xvi kalend. februar.; Oros., vi, 20, viii id. jan. Annum fuisse U. C., 727, Cæsare ipso vii, et M. Agrippa iii cons., constare docet Cl. Hase e Dion., liii, 16, et Censorin., l. c.

Romulum. Flor., iv, 12 : « Tractatum etiam in senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur. »

Augusta dicantur. Dio, liii : Πάντα γὰρ ἐντιμώτατα καὶ τὰ ἱερώτατα ἀγρευοῦσα προσεχρηρέεσθαι. Ovid., *Fast.*, I, 609 :

Sancta vocant Augusta patres; Augusta vocantur

Templa, sacerdotum vite dicata manu.

CAP. VIII. Quadrimus. A. U. 695; natus enim erat A. U. 691 *Agens.* Quintil., xii, 6 : « Cæsar Augustus duodecim natus annos aviam pro rostris laudavit.

Quadriennio post. Ineunte anno ætatis decimo sexto, nempe A. U. 706.

Donis. Quæ militibus propter virtutem ab imperatore triumphaturo donabantur; et erant vel minora, « hasta pura, phiala sive armilla, phalera, vexillum; » vel majora, ut « coronæ. »

Avunculum. Nempe Jul. Cæsarem.

In Hispanias. A. U. 708. Vell., II, 59 : « Quem C. Cæsar, major ejus avunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit ut suum, natumque annos xvii, hispaniensis militiæ assectum se postea comitem habuit. »

Apolloniam. Vell., *ibid.* : « Patratis bellis civilibus, ad erudendum liberalibus disciplinis singularis indolis juvenem, Apolloniam eum in studia miserat, mox belli getici ac deinde parthici habiturus commilitonem. »

Legiones. Appian., III, p. 532 : Ἐφ' οἷς οἱ φίλοι ἐκ Ῥώμης ὑπετίθεντο ταῦτα, ὥστε οἱ μὲν ἐς φυλακὴν τοῦ σώματος αὐτὸν ᾄξουσιν ἐπὶ τὸν ἐν Μακεδονίᾳ στρατὸν καταφυγεῖν.

Dubitante matre. Vell., II, 60 : « Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris. » Respondit ille Achillis verbis ad Thetidem, teste Appian., ubi sup. :

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἐταίρω
Κτεινομένῳ ἐπαμύνειν. . .

Per duodecim fere annos. Ab anno U. C. 711, usque ad proelium ad Actium A. U. 723.

Per quatuor et quadraginta. Usque ad A. U. 767.

CAP. IX. *Per species.* H. e. narrando res, in unum contractas pro genere et natura; ceu quum narramus quæ quis publice, quæ privatim egerit, non observato annorum ordine.

Bella civilia. Quæ breviter exhibet Ovid., *Met.*, xv, 822 :

Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ : Pharsalia sentiet illum,
Emathiaque iterum madefacti cæde Philippi :
Et Magnum siculis nomen superabitur undis ;
Romanique ducis conjux Ægyptia tædæ
Non bene fisa cadet : frustra que erit illa minata
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.

CAP. X. *Vindicare.* Ovid., *Fast.*, III, 709 :

Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem.

Victoriæ. Scil. in Hispania de Pompeii liberis relatæ. Cf. Dio, LXIII, p. 234, et LXV, p. 273. De his ludis, vide supra, *Cæs.*, LXXXVIII.

Tribuni plebis. Intell. Helvii Cinnæ, ex Dion., ubi supra vide *Cæs.*, ibid.

Patricius. A tribunatu enim interdicebantur patricii.

Conatibus suis. Plutarch., in *Anton.*, p. 922 : Δημαρχίαν τε γὰρ ἐνέστη μετρίοντι, καὶ δίφρον χρυσοῦν τοῦ πατρὸς, ὥσπερ ἐψήφιστο, θέντος ἠπέιλησεν εἰς φυλακὴν ἀπάξειν, εἰ μὴ παύσαιτο δημαγωγῶν.

Publicum... translātūium. Jus publicum significat quod omnibus patet; *translatūium* autem proprie, *ex aliorum edictis translātum*, et proinde, *vulgatum, ordinarium* : græce, ἐγκύκλιον δίκαιον.

Optimates. In primis Ciceronem. Plutarch., ubi supra : Ἐπεὶ μὲν

τοι Κικέρωνι δούς ἑαυτὸν ὁ νεανίας καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι τὸν Ἀντόνιον ἐμί-
σουν, δι' ἐκείνων μὲν ᾤκειοῦτο τῇ θουλή.

Data. Plutarch., in *Brut.*, p. 986 : Μέλλων δὲ διαβαίνειν εἰς Λιβύην
Καῖσαρ ἐπὶ Κάτωνα καὶ Σκιπίωνα, Βρούτῳ τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν
ἐπέτρεψε.

Niteretur. Flor., IV, 4 : « Jam parato exercitu in Cisalpina
Gallia resistentem motibus suis Dec. Brutum obsidebat. »

Contraxit. Cic. ad *Attic.*, XVI, 8 : « Magna molitur Octavianus ;
veteranos, quique Casilini et Galatiæ sunt, perduxit ad suam
sententiam. Nec mirum ; quingenos denarios dat. »

Præesse. Appian., *B. C.*, III, p. 557 : Τῷ Καίσαρι δ' ὁ στρατὸς
πελίκειάς τε καὶ ῥαβδοφόρους ἐσκευασμένους προσαγαρόντες, ἤξιον ἑαυτὸν
ἀντιστάτηγον ἀποφῆναι.

Apparuisse. Quod erat turpis fugæ argumentum.

Suæ. Intelligendum, auctore Ernest., de una ex legionibus quas
mercede conduxerat, quibusque præerat.

Portasse. Flor., ubi sup. : « Cruentus et saucius aquilam a mo-
riente signifero traditam suis humeris in castra referebat. »

CAP. XI. *Occisos.* Hunc de Cæsare rumorem Tacitus retulit,
Annal., I, 2.

Glyco. Quem defendit Brutus in *Epist. ad Cic.* : « Tibi Glycona
medicum Pansæ diligentissime commendo... Audimus eum venisse
in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodiri que ut parrici-
dam. Nihil minus credendum est, etc. »

Niger. Cf. Voss., de *Hist. lat.*, III, 11.

Interemptum. Forte, quia cadenti primus occurrit. Appian.,
B. C., III, p. 572 : Ἰρτιος μαχόμενος ἔπεσε, καὶ αὐτοῦ τὸ σῶμα ὁ Καί-
σαρ ἐσδραμῶν ἀνείλετο.

CAP. XII. *A M. Lepido.* De hoc vide VELL., II, 63.

Ornandum. Nempè Plancus et Asinius Pollio. Vell., *ibid.*

Tollendumque. Vell., II, 62 : « Hoc est illud tempus, quo Ci-
cero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum
et tollendum censebat, quum aliud diceret, aliud intelligi vellet. »
Tollere enim est vel laudibus aut honoribus extollere, vel e medio
tollere, seu interficere. Brutus, ad Cic., *Fam.*, XI, 20 : « Cæsarem
nihil sane de te questum, nisi dictum, quod diceret te dixisse
laudandum adolescentem, ornandum, tollendum, se non esse
commissurum, ut tolli possit. »

Prioris sectæ. H. e. quod optimatium partes secutus erat.

Nursinos. Nursinorum oppidum erat ad radices Apennini. Cellar., *Geog. ant.*, II, 9, p. 780.

CAP. XIII. Exutus. Plutarch., in *Anton.*, p. 925 : Τῆ μὲν γὰρ προτέρᾳ μάχῃ Καῖσαρ ὑπὸ Βρούτου κατὰ κράτος ἠττηθεὶς, ἀπέβαλε τὸ στρατόπεδον, καὶ μικρὸν ἔφθη τοὺς διώκοντας ὑπεκφυγών.

Misso. Dio, XLVII, p. 356 : Ἡ δὲ δὴ κεφαλὴ ἐπέμφθη μὲν εἰς τὴν Ῥώμην· χειμῶνι δὲ ἐν τῷ ἀπὸ τοῦ Δυρράχίου διάπλω περιπεσοῦσα, εἰς τὴν θάλασσαν ἐρρίφη.

Patrem et filium. Nempe Aquilios Floros, teste Dion., LI, p. 444 : Οἱ δὲ δὴ Φλώροι, ὅτι τὸν ἕτερον τὸν λαχόντα κελεύσαντος αὐτοῦ σφαγῆναι, ἀμφοτέροι διεφθάρησαν· ἦσαν μὲν γὰρ πατὴρ τε καὶ παῖς, κ. τ. λ.

Emulus. Plutarch., in *Cæs.*, p. 718 : Ὁς ἦν ζήλωτής Κάτωνος.

Municipalibus agris. Cf. Appian., IV, p. 590.

Pelli se. Appian., *ibid.*, p. 678 : « Οὐδὲν μὲν ἀδικῆσαι λέγοντες, Ἰταλιῶται δὲ ὄντες ἀνίστασθαι γῆς τε καὶ ἐστίας εἶα δούληπτοι.

Non pro spe meritum. Appian., *ibid.* : Οἱ τε γὰρ στρατιῶται τὰς πόλεις ἤτουν, αἱ αὐτοῖς ἀριστίῳ ἦσαν ἐπιειγμέναι πρὸ τοῦ πολέμου.

CAP. XIV. Gerebat. Cum P. Servilio Isaurico, A. U. 713.

Fraternæ. Erant duo fratres Antonii, quorum alter Lucius gerebat tribunatum plebis, alter vero Caius præturam. Vide Dion., XLV, p. 274.

Compulsi. Flor., IV, 5 : « Intra Perusiæ muros redegit, compulitque ad extrema deditionis turpi et nihil non experta fame. » Lucan., I, 41 :

His Cæsar, Perusina fames Mutinæque labores.

Quod factum est A. U. 714, Cn. Domitio Calvino II et Asinio Pollione coss.

In quatuordecim ordinibus. Hi ordines equitibus erant assignati. Vide *Cæs.*, supra, XXXIX.

Excitari. Excitari (i. e. expelli) dicebatur, qui loco in theatro sibi non debito surgere jubebatur. Mart., V, 14 :

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc quum liceret occupare Manneius,
Bis excitatus, terque transtulit castra.

CAP. XV. Ad aram. Inde Senec., *de Clem.*, I, 2 : « Fuerit moderatus et Clemens Augustus, nempe post perusinas aras. »

Idibus martiis. Ut Cæsari fierent parentalia, qui idibus martiis ipse fuerat occisus.

CAP. XVI. Bellum siculum. Gestum est adversus Sext. Pompeium, Magni filium, Siciliam invadentem dum Augustus et Antonius bello philippensi occuparentur. Vide FLOR., IV, 8; VELL., II, 72 sqq.; LIV., *Epit.*, CXXVII sqq.

Diu traxit. Per septem annos quos fuse describit Casaubon.

Duplici naufragio. A. U. 716. Eam narrant calamitatem Appian., *B. C.*, v, p. 728; Dio, XLVIII, p. 385-86.

Fabricatus. Vell., ubi sup., 72 : « Ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque assuescendo certaminibus atque exercitationibus, præfectus est M. Agrippa. »

Ad remum datis. Quod etiam gravioribus reipublicæ temporibus factum fuisse, ex LIV., xxxiv, 6, colligimus : « Non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habemus.... Servos ad remum, ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus. »

Effecit. Nempæ Agrippæ opera.

Superavit. Non ipse, sed Agrippa. Appian., *B. C.*, v, p. 741 : Καπέδυσαν δὲ ἐν τῷ πόνῳ νῆες, Καίσαρος μὲν τρεῖς, Πομπηίου δὲ ἑκτὼ καὶ εἴκοσι, καὶ αἱ λοιπαὶ κατεφλέγηθησαν, ἐλήφθησαν, ἢ ἐς τὴν γῆν ὀκέλευσαι συνετρίβησαν· αἱ δὲ ἑπτακάδικα μόναι διέφυγον.

Democare et Apollophane. Liberti fuerunt Pompeii : Appian., *B. C.*, v, p. 721 : Ἀπελευθέρους ἑαυτοῦ ναυάρχους ἀπέφηνεν ἀντὶ Μενόδαρου καὶ Μενεκράτους.

Legentibus. Ut Virg., *Æneid.*, III, 292 :

Litoraque Epiri legimus. . . .

Ubi Donat. : « verbum est nauticum. »

Paulum. Scil. L. Paulum, qui consul fuit A. U. 703.

M. Lepidum. De quo Vell., II, 80.

Fiducia. Appian., ubi sup., p. 741 : Ὁ δὲ σὺν τούτοις ἔχων δύο καὶ εἴκοσι τέλη πεζῶν καὶ ἵππέας πολλοὺς, ἐπῆρτο, καὶ κρατήσῃν ἐδόκει Σικελίας.

Summas partes. H. e. imperium. Vide VELL., ubi sup.

Exercitu. Dio, XLIX, p. 399 : Καὶ ὁ μὲν ἐκ τούτου τῆς τε ἰσχυροσύνης πεπελούθη.

Supplicemque. « Genibus ejus advolutus est. » Vell., *ibid.*

Vita. « Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt. » Vell., *ibid.*

CAP. XVII. *Variis.* Reconciliati sæpe sunt a Nerva Cocceio et Mæcenate. Hor., *Sat.* 1, 5 :

Huc venturus erat Mæcenas optimus, atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.

Cf. Appian. eadem referentem, *B. C.*, γ, p. 709.

Focillatam. — *Focillare*, diminutiv. ex *foculare*, quod a *foco*, ex Bernecc., significat : « blando calore reficere, seu fovere. » Hoc confirmat Reitzius, Senec. verbis, *Epist.* XIII : « Pudet me., tam levibus remediis te *focillare.* »

Testamentum. Plutarch., in *Anton.*, p. 942 : Τίτος δὲ καὶ Πλάγκος Ἀντωνίου φίλοι τῶν ὑπατικῶν ἀποδράντες, ὄχλητο πρὸς Καίσαρα, καὶ περὶ τῶν Ἀντωνίου διαθηκῶν ἐγένοντο μηνυταί, τὰ γεγραμμένα συνειδότες. Ἀπέκλειτο δ' αὐταὶ παρὰ ταῖς ἐστιᾶσι παρθέναις καὶ Καίσαρος αἰτοῦντος οὐκ ἔδωκαν· εἰ δὲ θούλειτο λαμβάνειν, ἔλθειν αὐτὸν ἐκέλευον· ἔλαβεν οὖν ἔλθων.

Ex omni numero. Scil. et suos et Antonianos, qui ad suas partes accesserant.

Ætoliæ. Inter Rhium et Antirrhium, qui erat brevissimus ex Ætolia in Peloponnesum trajectus.

Liburnicarum. — *Liburnicæ* dicebantur naviculæ ad iter celerimæ, quas *Liburnas* vocat Horat., *Epod.* 1, 1. Sic appellatæ a *Liburno* Illyriæ populo. Vide VEGET., 1, 33.

Potius est. Vell., II, 87 : « Proximo deinde anno, persecutus reginam Antoniumque Alexandriam, ultimam bellis civilibus imposuit manum. »

Mortuum. Vell., *ibid.* : « Antonius se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiæ crimina morte dirimeret. »

Psyllos. Plin., VII, 2 : « In Africa gens Psyllorum fuit... horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus ut cujus odore sopirent eas. » At Cels., v, 27 : « Psylli non habent scientiam adversus venena præcipuam, sed audaciam usu ipso confirmatam, qua vulnera exsugunt. »

Simulacro. Sermo est de monumento Alexandriæ Julio a Cleopatra condito... Constat enim non Roman fugisse Antonium ju-

venem, sed Alexandriae cujus regnum speraverat intererunt.

Cæsariem. De eo in *Cæs.*, sup. LII.

Liberos. Scil. Cleopatram filiam et filios, quorum duo nominantur in *Liv. Epit.*, cxxxii, Alexander et Philadelphus. Cf. BAUMGART., in h. l.

CAP. XVIII. *Consultusque.* H. e. interrogatus, ut *Flor.*, I, 7 : « Per nuntios consulenti quid fieri vellet. »

Opere. *Aurel. Vict.*, I, 5 : « Labore militum patefecit. »

Nicopolim. *Dio*, LI, p. 443 : Πόλιν τε τινά ἐν τῷ στρατοπέδου τόπῳ, τοὺς μὲν συναγείρας, τοὺς δ' ἀναστήσας τῶν πλησιεχόντων συνήκισε, Νικόπολιν αὐτῇ ὄνομα δούς.

Spoliis. Hac de re epigramma Philippi Floril. (*Anth. Jacobs.*, vol. II, p. 203) :

Ἐμβόλα γαλλογένεια, φιλόπλοια τεύχεα νηῶν,
Ἄκτιακῶ πολέμου κείμεθα μαρτύρια.

CAP. XIX. *Tempore.* *Senec.*, *de Clement.*, I, 9 : « Salvidienus Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Cæpio, Cæpionem Egnatius, ut alios taceam, quos tantum ausos pudet. »

Juvenis. A. U. 725. *Vell.*, II, 88 : « Lepidi ejus qui triumvir fuerat reipublicæ constituendæ filius, Junia, Bruti sorore natus, interficiendi, simul in Urbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. »

Cæpionis. A. U. 732. *Vell.*, loc. cit. : « L. Murena (adoptatus a L. Terentio Varrone) et F. Cæpio, diversis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio et hoc ante pessimus), quum iniissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, jure passi sunt. »

M. Egnati. Triennio post Murenæ Cæpionisque conjurationem. *Vell.*, ubi sup., 91 : « Neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatorum quam senatorum propior, collecto in ædilitate favore populi.... aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit. »

Lucique Pauli. Paulus duxerat Juliam, neptem Augusti ex Agrippa et Julia. Consul fuit A. U. 754.

Rei. Falsarum tabularum reus dicebatur, lege Cornelia, *de falsis*, qui « testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, vel subjecerit, vel signum adulte-

rinum fecerit, sculpsert, expresserit sciens dolo malo.» Augustin., *de Leg.*, p. 51.

Asinii Epicadi. Asinii Pollionis, qui Parthinos devicerat A. U. 715, servus : postea manumissus, patroni nomen tulit. *Parthini* autem gens erant Illyriæ. Vide CELLAR., *Geog. ant.*, II, 13, p. 1027.

Hybridæ. Nempe, quia patre Parthino, matre vero Itala natus erat : *Hybridæ* sunt proprie, *ex imparibus parentibus nati*, i. e. *ex venatico et gregario*. Cf. PLIN., VIII, 53, qui hanc vocem in homines quoque translata docet.

Nomenclatoris. Non ad prensationes tantum candidati nomenclatoribus utebantur, sed ad salutationes quoque ac dispositionem candidatorum.

CAP. XX. *Dalmaticum.* A. U. 719. Dio, XLIX, p. 414 : Ἐπὶ δὲ δὴ Δαλμάτας πρότερος μὲν ὁ Ἀγρίππας· ἔπειτα δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ ἐπεστράτευσεν. Vide FLOR., IV, 12.

Adolescens. Natus XXVIII annos.

Cantabricum. A. U. 729. Vide FLOR., ub. sup.

CAP. XXI. *Rætianum.* Scribendum sine *h*, e lapidibus vetustissimisque MSS., docuerunt Drakenb. et Duker. ad Livium, CXXXVI, et Oudendorp. ad h. l.

Salassos. A. U. 729.

IncurSIONES. Flor., IV, 12 : « Visum est Cæsari Augusto, gentem aditu difficillimam summovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam; citra præsidia constituit. »

Summovit. Vell., II, 106 : « Ad quadringentesimum milliarium a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines præterfluit, romanus cum signis perductus exercitus. »

Nec ulli genti. Aliter de bello Pannoniis illato judicat Dio, XLIX, p. 413 : « Ἐπὶ Παννονίους ἐστράτευσεν, ἔγκλημα μὲν οὐδὲν αὐτοῖς ἰπιφέρων, κ. τ. λ. »

Feminas. Tacit., *Germ.*, VIII : « Efficacius obligantur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. »

Marium pignora. H. e. mares in pignus datos.

Ac Scythas. Unde Horat., *Od.* IV, 15 :

Te Cantaber non ante domabilis,

Medusque, et Indus, te profugus Scythia
Miratur. . . .

Reddiderunt. Vell., II, 91 : « Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac rege Parthorum signa romana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ Antonio pulso filius ejus Phraates ceperant, Augusto remissa sunt. » De Armenia, vide quos citat ad h. loc. Baumgart.

Obsidesque. Obsides dedit Phraates filios suos. Vide STRAB., XVI, p. 515; VELL., ub. sup., 93; et TACIT., *Annal.*, II, 1. Hæc videntur pertinere ad illam inter Teridatem et Phraatem ortam discordiam, et per Augustum compositam. Vide DION., LI, p. 456.

CAP. XXII. *Clausum.* Flor., IV, 12 : « Aususque tandem Cæsar Augustus, septingentesimo Cæsar ab Urbe condita anno, Janum geminum cludere, bis ante se clusum, sub Numa rege, et victa primum Carthagine. »

Parta. Formulæ frequens in rostratis Augusti statuis : Ὅτι τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατὰ τε γῆν, καὶ κατὰ θάλασσαν. Appian., *B. C.*, V, p. 746.

Bis ovans. Ex Dion. *ter* : monente Cl. Hase, dissensus scriptorum tolli nequit. Ceterum duplicem orationem confirmant Fasti Capitolini. Vide CASAUBON.

Triumphos. Quomodo ab ovatione differat triumphus, docet Dionys., V : Πρῶτον μὲν, ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται μετὰ τῆς στρατιᾶς προηγούμενος ὁ τὸν εὐάστην καταγῶν θρίαμβον, ἀλλ' οὐκ ἐφ' ἄρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος, κ. τ. λ.

Tres. Virg., *Æneid.*, VIII, 714 :

At Cæsar, triplici invecus romana triumpho
Mœnia. . . .

Servius ad h. l. : « Primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali bello; secundo, qui Dalmatas vicerat; tertio ipse cum alexandrino invecus est triumpho. »

CAP. XXIII. *Lollianam.* A. U. 738. Vell., II, 97 : « Accepta in Germania clades sublegato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidior, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo; amissaque legionis quintæ aquila, vocavit ab Urbe in Gallias Cæsarem. »

Varianam. A. U. 763. Vide FLOR., IV, 12; VELL., ub. sup., 117; TAC., *Annal.*, I, 55, sqq.

Jovi. Prout solitum erat ob magnas clades aut dira prodigia.

CAP. XXIV. *Instituit.* Pilum signis addidit, teste ISID., XVIII, 3. *Cum ignominia.* Vide CÆS., sup., LXIX et LXX.

Exauctoravit. H. e. militiæ sacramento solvit : *auctorati* enim erant milites *sacramento* et *stipendio* obligati : *auctoramentum* idem quod *merces* significat. Turneb., *Advers.* II, 20, ut in Vell., II, 20 : « In ea jugulati civis romani publice constitueretur auctoramentum. »

Decimatas. De illa *decimatione* legionum quod erat pœnæ genus, vide POLYB., VI, 38.

Hordeo pavit. H. e. jussit *hordeum* accipere pro frumento, quod erat quoque pœnæ genus in milites qui terga verterant; et illud quidem valde ignominiosum. Sic Plutarch. in *Marc.*, p. 313 : Διαλεχθεῖς δὲ ταῦτα, προσέταξε ταῖς ἡττημέναις σπείραις ἀντὶ πυρῶν κριθᾶς μετρέησαι. Cf. VEGET., *de Re mil.*, I, 13.

Ante prætorium. Hæc fuit inter leniores pœna apud veteres. Cf. SIGHTERMANN., *de Pœnis milit. Rom.*, et ROBERTELL., *de Pœnis militum et ignominiiis*, in *Thes. Græv.*, tom. X, p. 1482.

Tunicatos. I. e. vestem non aliam supra *tunicam* in castris habentes, quod admodum erat humile. Plaut., *Pœn.*, V, 3 :

Novistin, tu illum tunicatum hominem qui siet?

Discinctos. Erat et illud quoque ignominiosum. Vulcat., in *Ovidio*, c. VI. « Statim ad signa edici jussit.... ut si qua cinctus inveniretur apud Daphnen, discinctus rediret. » Vide VAL. MAX., II, 7, 9.

Cespitem. H. e. terram cum propria herba evulsam, cujus usus fuit in castrorum aggeribus faciendis. Veget., ub. sup., I, 24 et III, 8. Gregarii vero, non centurionis erat *cespitem portare*.

CAP. XXV. *Libertino milite.* Scil. servis manumissis. Macrobr., *Saturn.*, I, 2 : « Cæsar Augustus in Germania et Illyrico cohortes libertinorum complures legit, quas voluntarias appellavit. »

Semel. A. U. 760.

Iterum. A. U. 763. Dio, LVI, p. 585 : Τότε δὲ μαθὼν ὁ Αὐγούστου τὰ τῷ Οὐάρῳ συμβεβηκότα, ἀποκληρώσας ἐκ τε τῶν ἐστρατευμένων ἤδη.

καὶ ἐκ τῶν ἐξελευθέρων, ὄσους ἐδυνήθη, κατέλεξε, καὶ εὐθὺς σπουδῆ μετὰ τοῦ Τιβερίου ἐς τὴν Γερμανίαν ἔπεμψε.

Indictos. Intellige, quum indixisset, seu præscripsisset quot numero milites de servis suis darent, ut Veget., ubi sup., 1, 7 : « Dum possessoribus indicti tirones. »

Sub priore vexillo. De vexillariis, vide ERNEST., ad Tacit., et SALM., de Re milit., c. XIX, in *Thes. Græv.*, t. X, p. 1427.

Caligatis. H. e. gregariis militibus.

Cæruleo vexillo. Hoc vexillo ob victoriam non siculari, sed actiacam donatum Agrippam docet Dio, LI, p. 458; post bellum siculum *corona navali*, test. eod. Dion., XLIX, et Vell., II, 81. Videatur igitur utramque rem confudisse Suetonius, monente Cl. Hase.

Σπεῦδε βραδέως. Gell., X, 11. Macrobi., *Sat.* VI, 8 : « Illud Nigidianum rei atque verbi temperamentum divus Augustus duobus græcis vocabulis elegantissime exprimebat; nam et dicere in sermonibus et scribere in epistolis solitum esse aiunt, Σπεῦδε βραδέως, per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur et *industriæ celeritas et diligentiae tarditas*, quibus duobus contrariis sit *maturitas*.

Ἀσφαλῆς. Polynicis verba apud Euripid., in *Phæniss.*, v. 602.

CAP. XXVI. *Vicesimo ætatis anno.* Vell., II, 65 : « Consulatumque iniiit Cæsar pridie quam viginti annos impleret, x kal. octobris, cum collega Q. Pedio, post Urbem conditam annis DCCXI. »

Missisque. Dio, XLVI, 319 : Πρεσβεῖς πρὸς τὴν Ῥωμὴν ἐξ αὐτῶν τῶν στρατιωτῶν τετρακκοσίους ἔπεμψε, ὑπατον Καίσαρα ἀποδειχθῆναι κελεύοντας.

Non feceritis. Dio, ibid., aliter : Καὶ εἰς τὴν αὐτῶν ἐξήλθε τε ἐκ τοῦ Ῥωμαιοῦ, καὶ τὸ ξίφος λαθῶν ἄσπλοι γὰρ εἰσεληλύθησαν ἡψατό τε αὐτοῦ καὶ εἶπεν ὅτι ἂν ὑμεῖς τὴν ὑπατείαν μὴ δώτε τῷ Καίσαρι, τοῦτο δώσει.

Secundum consulatum. A. U. 721, cum L. Vocatio Tullo.

Tertium. A. U. 723, cum M. Valerio Messala Corvino.

Duodecimum. A. U. 749, cum L. Sulla.

Tertium decimum. A. U. 752.

Suo... in forum. Ut togam virilem iis daret: tirones enim erant qui hanc togam sumebant.

Gessit. Ab A. U. 726 usque ad 731.

Jovis. Consulare sacrum ut faceret, ex more consulum.

Alio. Nempe Antonio; alii *Antronio Pæto*, quibus assentitur Schweigh. in Appian., *Illyr.* 28.

CAP. XXVII. *Restitit.* Vell., II, 66-67 : « *Repugnante Cæsare, sed frustra adversus duos, instauratum Sullani exempli malum, proscriptio.* »

Tutorem. Appian., *B. C.*, IV, p. 396 : Ἦν δὲ καὶ Θωράνιος ἐν τοῖς προγεγραμμένοις, λεγόμενος ὑπὸ τινῶν ἐπιτροπεῦσαι Καίσαρι.

Junius Saturninus. Qui scriptor Suetonii æqualis fuit. Cf. **BERMANN.**

T. Vinium Philopœmenem. T. Vinii libertum, test. Casaubon.

Pinarium. Hic Cæsaris hæres fuit Octavio. Vide *Cæs.*, supra I.XXXIII.

Paganorum. H. e. non militantium civium. Suidas : παγανῶν, ἀστράτευτοι. Inde, docente Cl. Hase, *paganos* christiani appellabant eos, qui *militiæ Christi* non essent adscripti.

Q. Gallium. De quo Appian., *B. C.*, III, p. 587.

In officio salutationis. Salutare potentiores hora prima et secunda apud Romanos moris erat. Mart., IV, 7 :

Prima salutautes atque altera continet hora.

Mane, vox solemnis erat *ave*. Mart., I, 56 :

Et matutinum portat ineptus ave.

Vespere autem, *vale*. Græce, χαῖρε et ὑγίαινε, ut docet Dio, LXIX ; p. 796 : Καὶ ἠσπάσατο, οὗτι γε τῷ ἑωθινῷ προσρήματι, τῷ χαῖρε, ἀλλὰ τῷ ἑσπερινῷ τῷ ὑγίαινε χρητάμενος.

Scribit. Nempe in libris de vita sua.

Tribunitiam potestatem. Quam post devictum Antonium a senatu decretam A. U. 724, recepit A. U. 731 a. d. v. kal. jul., test. Dio., II, p. 457. De illa sic Tacit., *Annal.*, III, 56 : « Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne *Regis* aut *Dictatoris* assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. »

Regimen. A. U. 735 in quinquennium, et A. U. 742 in alterum quinquennium.

Perpetuum. Perpetuum habuisse dicit Suetonius, quoniam post singula quinquennia vel per alias occasiones prorogandum sibi a senatu æque curavit, ac imperium ipsum post decennia.

Ter egit. Idem ipse de se Augustus, in *Monum. Ancyr.*, ubi

videmus census illos fuisse peractos, 1^o A. U. 726; 2^o A. U. 746; 3^o A. U. 767.

CAP. XXVIII. *Post oppressum*. A. U. 725.

Per ipsum staret. Nempe, ipse in causa esset; ut in Terent., Andr., IV, 2 :

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat.

Perseveravit. Monitus a Mæcenate, cujus consilium prætulit, test. Dion., LII, p. 493 : Τὰ δὲ δὴ τοῦ Μαικίνοιο εἶλετο.

CAP. XXIX. *Latericiam*. Dio, LVI, p. 589 : Τὴν Ῥώμην γράντων παραλαβὼν, λιβίνην ἑμὴν καταλείπω.

Forum. Intellige *Forum Augusti*, de quo Marlian., *Urbis Romæ Topogr.*, III, 9 : inter *Urbis miracula* refertur a Plin., XXXVI, 15.

Martis ultoris. Ovid., *Fast.*, v, 550 :

Ultor ad ipse suos cælo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.

In Palatio. Vide Dion., LIII, p. 496 : de hoc Propert., IV, 6 :

Musa, Palatini referamus Apollinis ædem.

Tonantis Jovis. Dio, LIV, p. 523 : Καὶ τὸν Διὸς τοῦ ἑρροντωντος ἐπικαλουμένου ναὸν καθίερωσε.

Duobus. Romano sc. et Julii Cæsaris.

Tertio. Inde *trina fora* de quibus loquuntur scriptores. Senec., *de Ira*, II, 9. Mart., III, 29 :

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Voverat. Ovid., *Fast.*, v, 569 :

Voverat hoc juvenis tunc, quum pia sustulit arma.

Judicum. Sigon., II, 18, p. 407 : « Judices vero in decurias distributi feruntur fuisse, quas prætores urbani non sorte, sed judicio jurati confecerunt; quoniam autem ex ordinibus iis, apud quos judicia essent, seligebantur, *selecti judices* appellati sunt. »

Recognovit. Hoc erat olim prætoris munus.

Lucii et Caii. Qui erant filii Agrippæ, e Julia, de quibus LXIV.

Liviæ. Conjugis. Vide DION., LIV, p. 537.

Octaviæ. Sororis. Vide DION., XLIX, p. 417.

Theatrum Marcelli. Plutarch., in *Marcell.*, p. 316 : Εἰς δὲ τὴν τιμὴν αὐτοῦ καὶ μνήμην Ὁκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν εὐελοσθήκην ἀνέθηκε. Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἐπιγράψας Μαρκέλλον.

Adornarent. Vell., II, 89 : « Principes viri triumphisque et amplissimis honoribus functi, hortatu principis ad ornandam Urbem illecti sunt. »

Philippo. Augusti vitrico. Vide sup., VIII.

Musarum. Quam describit Eumenius rhetor, in *Orat. de scholis instituendis.* Vide TORRENT., ad h. l.

Ædes Dianæ. Has in monte Aventino fuisse putat Bernegger. Cf. PANCIROLL., *Descript. urbis Romæ*, ad reg. 13, in *Thes. Grævii*, t. III, p. 371.

A Munatio Planco. Cujus magnæ partes in bello mutinensi, consule A. U. 712, cum Lepido.

A Cornelio Balbo. Sic Dio, LIV, p. 539. Ubi hujus theatrum situm fuerit se nescire profitentur Donat., *de Urb. Rom.*, III, 8; Nardin., *Rom. vet.*, VI, 7; Bellor., *Vert. Rom.*, tab. 17.

A Statilio Tauro. Dio, LI, p. 460. Ille fuit inter Augusti duces clarissimus.

A M. Agrippa. De cujus operibus Plin., *H. N.*, XXXVI, 15 : « Agrippa in ædilitate sua, adjecta virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit; præterea salientes centum quinque; castella centuin triginta, complura etiam cultu magnifica. »

CAP. XXX. *Regiones vicosque.* XIV numero; vicorum autem, qui erant partes regionis numerus est incertus.

Magistri e plebe. Quos στενωπάρχους vocat Dio, LV, p. 554 : Οἱ δὲ δὴ στενωποὶ, ἐπιμελητῶν τινῶν ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν. Quatuor præerant singulis vicis, docent. Panvin., *Descript. urbis Rom.*, in *Thes. Græv.*, III, p. 280 sqq.

Excubias. Ex libertinis militibus conscriptas; Dio, LV, p. 554 : Ἡ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγερανομίαις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα ἐπετράπη. Quos reliqui vocabant *sparteolos*. Vide CASAUBON., ad h. l.

Refecit. Hinc Ovid., *Fast.*, II, 63 :

Templorum positor, templorum sancte repostor.

Contulerit. A. U. 725.

Cap. XXXI. Forulis. H. e. capsulis in quibus libri reponuntur, ut Juven., III, 219 :

Hic libros dabit et forulos. . . .

Basi. Scil. sub Apollinis statua.

Ordinatum. Vide *Cæs.*, sup., LX.

Sextilem. Macrobi., *Saturn.* I, 12 : « Augustus deinde est, qui sextilis ante vocatus est, donec honori Augusti daretur ex senatusconsulto. »

Victoriæ. Dio, LV, p. 552 : Καὶ τὸν μῆνα τὸν Σεξτέλιον ἐπικαλούμενον Αὐγουστον ἀνωνόμασε. Τῶν γὰρ ἄλλων τὸν Σεπτέμβριον οὕτως, ἐπειδὴ περ ἐν αὐτῷ ἐγεγέννητο, προσαγορευῆσαι ἐθελήσαντων, ἐκέλευεν αὐτὸς προετίμησεν, ὅτι καὶ ὕπατος ἐν αὐτῷ τὸς πρῶτον ἀπεδέδεικτο, καὶ μάχης πολλὰς καὶ μεγάλας ἐνεκίχηκε.

Capi. Scil. eligi, ut Tacit., *Annal.*, xv, 22 : « In Læliæ locum Cornelia ex familia Cossorum capta est. » Formulam qua in *capienda* utebatur pontifex max. refert Gell., I, 12. Quo docente, ibid. : « *Capi* autem propterea dici videtur, quia pontificis maximi manu prehensa ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello *capta* abducitur. »

In sortem. Ex lege Papia, qua cavebatur ut pontificis maximi arbitrato virgines e populo viginti legerentur; sortitioque in confectione ex eo numero fieret. Vide GELL., I. c.

Oblaturum se. Sic Tacit., *Annal.*, II, 86 : « Egit grates Fonteio Agrippæ, et Domitio Pollioni, quod offerendo filias, de officio in rempublicam certarent. »

Salutis augurium. Dio, XXXVII : Οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγείας μαντεία; τις τρόπος ἐστὶ, πίστιν τινα ἔχων, εἰ ἐπιτρέψει σφίσιν ὁ Θεὸς ὑγίαιαν τῷ δήμῳ αἰτῆσαι, κ. τ. λ.

Flaminium. A. U. 743.

Ludos Seculares. A. U. 737, C. Furnio et C. Silano coss.

Compitalitios. H. e. quos in compitis peragebant.

Compitales lares. Statuas larium in compitis constitutas.

Regiam. Vide *Cæs.*, supra, LXXX.

Cap. XXXII. Grassatorum. De *grassatoribus*, vide *Cæs.*, supra, LXXII.

Ergastulis. — *Ergastula* erant in villis loca subterranea, ad carceris formam depressa et angustis distincta fenestris.

Supprimebantur. H. e. ad opus faciendum concludebantur.

Titulo. Nempe *prætextu*, ut in Liv., xxvii, 54 : « *Quem titulum prætextis prius adversus Philippum, nunc adversus Antiochum belli.* »

Recognovit. Per Tiberium. Cf. *Tiber.*, viii.

Excussit. Dio, liii, p. 497 : *Τά τε παλαιὰ συμβόλαια τῶν τῷ κοινῷ τι ὀφειλόντων ἔκαυσε.*

Ambigui juris. Scil. de quibus *ambigebatur*, utrum privatorum, qui illa possidebant essent, an vero *publica*.

Sordibus. Nempe *ob sordidatum* vestitum.

Repetere. Scil. iterum in iudicium trahere.

Maleficium negotiumve. His duobus verbis actionum divisionem potissimum comprehendit. Cf. DONAT., ad *Justinian. Instit.*, iv, 6.

Honorariis ludis. H. e. non publicis, sive ad dei alicujus cultum celebratis; sed ad prætorum aliorumve magistratum honorem in muneris auspiciis plebis delectandæ causa editis. Quidquid enim non a tota republica institutum erat, sed ab aliis vel honore aliquo ornatis, vel honore aliquem ornaturis, *honorarium* dicebatur, docente Cl. Hase.

Actui rerum. Scil. iudiciis habendis.

Decurias. Vide supra, xxix.

Ducenariorum. Quia eligebantur inter eos qui tantum ducena sestertia possidebant; non, ut ceteri, quadringena.

Tricesimo. — *Vicesimo* legit Cl. Hase ex emendat. Cujacc., quam probant Casaubon. et Bynkersböck., *Observ. juris*, vi, 17.

Mense. Hi duo menses præsertim ludis feriisque dabantur.

CAP. XXXIII. *Pro tribunali.* Non est loco *tribunalis*, sed *ante tribunal*.

Insueretur. Quod erat parricidarum supplicium ex lege *Pompeia*.

Non occidisti. Abnutivum responsum elicere studebat, ne convictus, non tamen confessus, pœnam parricidii subiret.

Signatores. H. e. testes per quos testamentum obsignabatur.

Cognoscentibus. Hac de causa cum ipso iudicantibus.

Appellationes. De quibus vide Lips. *Excurs. ad Tacit., Ann.*,
:xiv, 28.

CAP. XXXIV. *Ordinibus.* A. U. 736.

Vacatione. H. e. a conjugio immunitate.

Coarctavit. Dio, LIV, p. 532 : Δώδεκα γὰρ ταῖς κήραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεσθαι.

CAP. XXXV. *Orcinos.* — *Orcini* dicebantur servi testamento manumissi, tamquam liberati litteris ex orco datis. Vide *Justinian. Instit.*, II, 24. Plutarch., in *Anton.*, eos vocat Χερωνίτας.

Duabus. A. U. 725 et A. U. 736. At Dio, LIV et LV, passim, tertiam memorat A. U. 741; quartam A. U. 743; quintam A. U. 757. De quo Suetonii et Dionis dissensu Cl. Hase : « Videtur ille, accuratissimus scriptor, eas tantum lectiones memorasse, quibus Augustus senatum a deformi et incondita turba liberavit; hic eas confudisse, quæ ad solenne pristini censoris, seu magistri morum officium pertinebant. Quintam illam prætermisit, quoniam, ut ipse Dio fatetur, successu caruit.

Lorica. In publicum prodire lorica munitus solebat Augustus, ob insidiantium vitæ suæ metum, ut docet Dio, LIV, p. 526 : Ὁ Αὐγούστου θώρακα ὑπὸ τῆ στολῆ πολλὰκις καὶ ἐς αὐτὸ τὸ συνέδριον εἰσιῶν εἶχεν.

Cordus Cremutius. Historicus fuit, qui bellorum civilium historiam et Augusti res sub Augusto scripsit. Dio, LVII, p. 619 : Ὡστε ἐπὶ τῆ ἱστορίᾳ, ἣν πάλαι ποτε περὶ τῶν τῷ Αὐγούστῳ πραγμάτων συνετεθείκει, καὶ ἣν αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνεγνώκει, κριθῆναι. Cf. OUDENDORP. ad Tac., *Annal.*, I, 34, et Voss., *Hist. lat.*, I, 22.

Excusandi se. H. e. ut sponte senatu cederent. Dio, LII, p. 494 : Τούτους οὖν ἐκκρίναι βουληθεῖς, αὐτὸς μὲν οὐδένα αὐτῶν ἀπήλειψε· προτρεψάμενος δὲ σφᾶς ἐκ τοῦ συνειδότες τοῦ τε γένους καὶ τοῦ βίου δικαστας ἑαυτοῖς γενέσθαι, τὸ μὲν πρῶτον πεντήκοντά πευ ἔπεισεν ἐθέλοντας ἐκστῆναι τοῦ συνεδρίου· ἔπειτα δὲ καὶ ἄλλους ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα μιμήσασθαι σφᾶς ἠνάγκασε. Cf. TACIT., *Annal.*, XI, 25.

Vestis... jus. Scil. latum clavum. Dio, LIV, p. 50 : Τότε γε αὐτοῖς καὶ συνθεᾶσθαι καὶ συνεστίασθαι τοῖς βουλευούσι, τῇ αὐτῇ σκευῇ χρωμένοισι, συνηχώρησε. — *In orchestra* senatores sedere jam monuimus in *Cæs.*, supra, xxxix. — *Epulanae jus publice* in Capitolio ante Jovis cellam in cœna Diali senatores habebant. Gell., XII, 8 : • Quum solenni die Jovi libaretur, atque ob id sacrificium sena-

tus in Capitolio epularetur. » Cf. DION., XLVIII, p. 389, et SENEC., *Epist.* 123.

Supplicaret. Ut solenne fuit apud veteres. Cf. PLAUT., *Aul.*, *Prol.*; DION., LIV, p. 542; SENEC., *de Ira*, III, 18.

Legitimus senatus. Huic opponitur ille qui extra ordinem ab iis quibus ejus rei potestas, quoties necesse erat, indicabatur : unde *indictus*, alius a *legitimo* dicitur. Cf. BOXHORN., in *Thes. Græv.*, tom. VIII.

Mense. Propter vindemias.

Numerum. Ante hanc Augusti constitutionem senatusconsultum a paucioribus quadringentis perfici non potuit. Cf. DION., LIV, p. 545. Erat autem senatorum numerus varius pro vario rerum genere de quibus decernebant, auctore DION., LV, p. 550 : Τὸν τε ἀριθμὸν τὸν εἰς τὴν κύρωσιν τῶν δογματῶν ἀναγκαῖον, καθ' ἕκαστον εἶδος αὐτῶν διενομοθέτησε.

Semestria. Dio, LIII, p. 501 : Κἀκ τῶν ἄλλων ἀρχόντων (scilicet deimtis consulibus) ἕνα παρ' ἑκάστων, ἕκ τε τοῦ λοιποῦ τῶν βουλευτῶν πλήθους πεντεκαίδεκα τοὺς κλήρω λαχόντας, συμβούλους ἐς ἑξάμηνον παρελάμβανεν. Senior viginti sibi consiliarios annuos petivit. Dio, LVI, p. 588 : καὶ συμβούλους ὑπὸ τοῦ γήρωσ εἴκοσιν ἐτησίους ἠτήσατο.

Cum quibus. Augustus, docente Cl. Hase, vindicat sibi quod, libera republica, erat senatus; illi tribuit quod erat populi. Ex eo sub imperatoribus aut raro, aut nulla plebiscita.

CAP. XXXVI. *Acta senatus.* De actis senatus vide sup., *Cæs.*, xx.

Mitterentur. Dio, LIII, p. 505 : Κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε, μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι, κληροῦσθαι. Ut eo nempe intervallo, auct. Cl. Hase, remitterent animos quos continuata imperia extollere solent.

Solebant. Eadem docet Dio, LIII, p. 506.

Hastam... cogere. Intell. *judicium*, sic appellatum ab hasta loco præfixa ubi jus dicebatur : *hastam cogere*, i. e. *judicio præesse*, ut in Val. Max., IX, 12 : « Qui id *judicium* cogebat. »

Cogere. Dio, LIV, p. 540 : Οἱ τε δὴ εἴκοσιν αὐτοὶ ἄνδρες ἐκ τῶν ἑξ καὶ εἴκοσιν εἰσιν· οἱ τε δέκα, οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι.

CAP. XXXVII. *Publicorum.* Quibus præposuit magistratus *dictos curatores operum publicorum*. Vide PANCIROLL., *de Magistr. municip.*, in *Thes. Græv.*, t. III, p. 3.

Viarum. Hoc fuit primum *ensorum* officium, postea quatuorvirorum. Cf. LIPS. *Excurs. ad Tacit. Ann.*, III, 31; BERGIER., *de Public. et milit. imper. et rom. viis*, in *Thes. Græv.*, t. X, p. 22 sqq., et PANCIROLL., ubi sup.

Aquarum. De *curat. aquarum*, vide MARLIAN., *Urb. Rom. Topogr.*, IV, 10, in *Thes. Græv.*, t. III, p. 143. Ex Frontin., *de aquæduct.*, curatorem aquarum Augustus primum fecit Massalum Corvinum, cui adjuutores dati Posthumius Sulpicius Prætorius, et L. Cominius Pædarius.

Tiberis. Auctore Fabric., *Descript. urb. Rom.*, in *Thes. Græv.*, t. III, p. 452, Tiberis curatores non solum fluvium coercebant, et ut esset sine sordibus ac impedimento curabant; verum etiam terminos statuebant, quo usque habitare in ripa, vel ædificare licebat.

Dividundi. — *Minutiæ curator* dicebatur magistratus, cui id munus fuit demandatum. De horum institutione cf. DION., LIV, p. 521.

Urbis. Ex Mæcenatis consilio eam instituisse Augustum narrat Dio, LII, p. 478 : Πολίταρχος δὲ δὴ τις ἐκ τῶν προκρίνωντων, καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω. De præfecti officii cf. HOTTOMANN., *de Magistrat. Roman.*, in *Thes. Græv.*, t. II, p. 1873.

Triumviratum... senatus. H. e. tres viros qui senatores ex animi sententia legerent : censorum et hoc antea munus erat. Dio, l. c., id fecisse consilio Mæcenatis docet.

Equitum. Quod antea quoque censorum erat.

Dixit. Pompon., *Digest.*, I : « Divus deinde Augustus sexdecim prætores constituit. » Ita Dio, LVI, p. 586.

CAP. XXXVIII. *Iustos.* Triumphi desierant A. U. 740, Cn. Lentulo et M. Crasso coss.; ut ab Augusto per gratiam potius obtineretur honos triumphii, quam pro factis.

Ornamenta. Hæc fuerunt; *supplicationes decretæ*, appellatio imperatoris, *lauræ corona*, *prætexta* seu *trabea triumphalis*, *sceptrum*, *statuæ*, *sacrificia*. PANVIN., *de Triumph.*, VI, in *Thes. Græv.*, IX, p. 1391.

Protinus. H. l. *simul* significat.

Legionum. Qui *tribunatum legionum* habebant *tribuni laticlavii* dicebantur. Cf. NOSTR. in *Domit.*, X.

Recognovit. Hoc antea censorum fuerat.

Transvectionis. Per quam, test. Liv. IX, in fine, *Equites olea coronati, idibus quintil., ab æde Honoris, albis equis insidentes in Capitolium transirent.* De hac plura vide apud Rosin., *Ant. Rom.*, IV, p. 285.

Labe. Puta, nares præcisæ; vel aures, aut aliud quod grave vulnus impositum, monente Casaubon.

Gratiam fecit... nollent. Rem dilucide explicat Cl. Hase: « Tribuit Augustus iis, qui ad eam ætatem proveci nullos quibus in senatum intrarent honores acceperant, hoc beneficium, ut a molesto stipendio inter equites merendi onere liberati, ordinem equestrem retinerent, quo excidebant vendere equum a censore jussi. »

CAP. XXXIX. *Pugillarium.* H. e. tabellarum in quibus describi curaverat quæcumque illis erant objicienda, ut probra sua cognosci videntes ad meliorem se frugem converterent.

CAP. XL. *Quatuordecim.* Scil. ordinibus seu gradibus: de his vide supra *Cæs.*, XXXIX.

Theatralis. Legem Juliam theatralem commemorat Plinius, XXXIII, 2, qua fuerat constitutum, ne cui aureum anulum gerere liceret, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sesteritia cccc census fuisset, et lege Julia theatrali in XIV ordinibus sedendi.

Egit. De hoc census genere vide supra, *Cæs.*, XLI.

Tesseras. Erant frustilla lignea, certa forma insignita, quæ dabantur iis quibus facultas erat petendi publice frumenti. Unde Juven., VI, 174:

... Qua vilis tessera venit

Frumenti.

Comitorum. Qualia sub Cæsare fuerant. Vide sup. *Cæs.*, XLI. Cf. Dion., LIII, p. 511.

Suis. Ad Fabianos pertinebat ob gentem Octaviam; ad Scaptienses, ob gentem Juliam.

A se. H. e. de suo.

Terminavit. Dio, LV, p. 557: Διέταξε τὴν τε ἡλικίαν ἣν τὸν τε ἐλευθερώσαντά τινα καὶ τὴν ἀρεθισόμενον ὑπ' αὐτοῦ εἶχειν δεύσοι καὶ τὰ δι-

κατώματα εἰς εἰ τε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερομένους, καὶ αὐτοὶ εἰ διαπόται σφῶν γενόμενοι χρήσονται.

Immunitatem. Scil. ne posthac esset tributarius.

Justa. Quæ dabatur *censu, vindicta, testamento.* Vide CIC., in *Top.*, c. 11. *De libertinorum statu*, sic *Justinian. Instit.*, 1, 5 : « Qui manumittebantur, modo *majorem et justam libertatem* consequerentur, et fiebant *cives romani* : modo *minorem*, et *latini* ex lege Julia Norbana fiebant; modo *inferiorem*, et fiebant ex lege Ælia Scutia *dediti*. »

Pristinum. Togam sub Augusto desuevisse et in ejus locum lacernas successisse docet Ferrar., *de Re vest.*, 1, 1.

CAP. XLI. *Effecit.* Oros., VI, 19 : « Roma in tantum opibus (Alexandriæ urbis) aucta est, ut propter abundantiam pecuniarum, duplicia quam usque ad id fuerant, possessionum aliarumque rerum venalium pretia statuerentur. »

Cavere in duplum. H. e. in duplam summam prædibus et pignoribus datis sese obligare.

Pueros. Augustum Trajanus imitatus est, de quo Plin. Jun., *Puneg.*, XXVI, 3.

Nummarias. — *Tesseræ nummarie* erant quibus ad quæstorem allatis, nummi congiario promissi reddebantur.

CAP. XLII. *Ambitosum.* H. l. popularem auram captantem.

Sitirent. Dio, LIV, p. 529 : Καὶ οὕτω γε ἐκεῖνος ἐπ' αὐτῷ ἔχαιρεν, ὥστε σπανίστητος ποτε οἴνου γενόμενος, καὶ τῶν ἀνθρώπων δεινὰ διαβρώντων, ἰκανώτατα ἔφη τὸν Ἀγρίππαν προνεικημέναι, ὥστε μὴ δέψῃ ποτὶ αὐτοῦ ἀπολέσθαι.

Numero. H. e. in tribus distributos, in quas referri debebant manumissi, antequam ad congiaria, aliasve liberalitates admitterentur.

Sterilitate. Quæ accidit M. Æmilio Lepido et L. Arruntio nepotè coss. A. U. 760. Cf. DION., LV, p. 566.

Impetum se cepisse. Ita Senec. *ad Helv.*, 1 : « Sæpe jam, mater optima, impetum cepi consolandi te. »

Rationem duceret. Scil. in distributione frumenti non minus *aratorum et negotiantium* quam plebis otiosæ *rationem* haberet. H. l. *aratores* et *negotiantes* significare vult Cl. Hase, *equites*, qui vectigalia agrosque publicos conduxissent, multisque manibus opus haberent ad exercenda negotia colendosque agros.

CAP. XLIII. *Ter.* In *Monum. Ancyr.* : « Ludos feci meo nomine quater. »

Histriones. Ita sup., in *Cæs.*, xxxix.

Septis. Dio, LIII, p. 512 : Σεπτὰ... ταῦτα ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ στοαῖς περὶ τὸ ὑπὸ τοῦ Λεπίδου πρὸς τὰς φυλετικὰς ἀρχαιρείας συνφοδομημένα, καὶ πλαξὶ λιθίναις καὶ ζωγραφήμασιν ἐπεκόσμησεν (scil. ὁ Ἀγρίππας), ἰσόλια αὐτὰ ἀπὸ τοῦ Αὐγούστου προσαγορεύσας.

Venationem. De venatione circensi, vide supra, *Cæs.*, xxxix.

In Campo Martio..... sedilibus. Dio, LIV, p. 496 : Καὶ γυμνικὸς δὲ τότε ἀγὼν, σταδίου τινὸς ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ξυλίνου κατασκευασθέντος, ἰποιήθη. Romani ludos in theatro stantes antea spectabant. Val. Max., II, 4 : « Senatusconsulto cautum est, ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum juncta standi virilitas, propria romanæ gentis nota esset. »

Cavato. Ita *Mon. Ancyr.* : « Navalis prælii spectaculum populo dedi trans Tiberim, in quo loco nunc nemus est Cæsarum, cavato solo, etc. »

Aurigas. De aurigis vide PANVIN., *de Lud. Circens.*, I, II.

Cursoresque. De cursoribus vide BULENGER., *de Circ. Rom. Ludisque Circens.*, c. xxxi.

Ferarum. De confectoribus ferarum vide BULENGER., *de Venatione Circi*, var. loc., in *Thes. Græv.*, t. IX.

Trojæ ludum. Vide supra, *Cæs.*, xxxix.

Asprenatem. Asprenatum mentionem facit Plin., xxx, 7 : « Consularis Asprenatum domus est. »

Æseruini. Quem sibi patronum petit Cn. Piso Germanici cædis accusatus, in Tacit., *Annal.*, III, II.

Usus est. Sic Dio, LIII, p. 518.

Senatusconsulto. Cf. DION., LIV, p. 522. Quem imitatus est Vitellius. Tacit., *Hist.*, II, 62 : « Cautum severe, ne equites romani ludo et arena polluerentur. »

Muneris. Nempe gladiatorii. Vide supra, *Cæs.*, x.

Parthorum obsides. De quibus, supra, c. XXI.

Invisitatum. Scil. antea non visum. Liv., xxvii, 39 : « Invisitati namque antea alienigenis. »

Tigrim. Plin., *H. N.*, VIII, 17 : « Divus Augustus, Q. Tuberonem, Fabio Maximo coss. IV, nonas maias, theatri Marcelli de-

dicatione, tigrim primus omnium Romæ ostendit in cavea mansuetum. »

Pro comitio. Varro, *de Ling. lat.* : « Comitium, ab eo quod coibant eo comitiis curiatis et litium causa. » Cf. NARDIN., *Rom. vet.*, v, 3, in *Thes. Græc.*, t. IV, p. 1139.

Lectica... deduceret. Hoc quidem insolitum; nam curru triumphali solebant vehi tensas ducentes. Vide RUBEN., *de Re vestiar.*, I, 21.

Dedicabat. Dio, LIV, p. 539 : Μετὰ δὲ δὴ ταῦτα τό τε θέατρον τὸ τοῦ Μαρκελλοῦ καλούμενον καθιέρωσε, καὶ τῇ πανηγύρει τῇ διὰ τοῦτο γενομένη, τὴν τε Τρῳίαν οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι, οἱ τε ἄλλοι, καὶ ὁ ἕγγονος αὐτοῦ ὁ Γάιος ἱππεύσαν.

CAP. XLIV. *Senatoribus.* Si modo adfuisent veste senatoria; sin minus, ubi liberat, sedere poterant.

Ex superiore loco. Scil. e summa cavea. Calpurn., VII, 26 :

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste

Inter femineas spectabat turba cathedras.

Tribunal. H. e. ex adverso sellæ curulis quæ prætori in ludis ponebatur. Cf. LIPS., *de Amphit.*, c. II, ubi probat hoc fuisse ad Podium.

Pontificalibus. Quos, docente Casaubon., edidit Augustus pontificatu maximo suscepto.

Non placere. Ut athletarum pugilumque spectaculum prius finiretur, quam mulieres in theatrum venirent.

CAP. XLV. *E pulvinari.* Talis lectus Augusto etiam sequentibusque imperatoribus pro sede fuit; ne quis cum aliis de pulvinari deorum in spina circi cogitet.

Spectandi. Tacit., *Annal.*, I, 54 : « Neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. »

Corollaria. Varro, *de Ling. lat.* : « Corollarium... vocabulum fictum a corollis, quod hæ, quum placuerant actores, in scena dari solitæ. »

Alienis. H. e. aliorum, non suo nomine editis.

Catervarios. Temere ac sine arte per catervas, non singuli singulis, pugnabant, test. Lips., *Saturn.*, II, 16.

Sine missione. H. e. ita ut pugnarent usque ad mortem; sic in

Flor., III, 20 : « Et quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. »

Coercitionem. Scil. jus virgarum, ut docet Tacit., *Annal.*, II, 77 : « Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, ut prætoribus jus virgarum in histriones esset. »

Ademit. Tacit., *Annal.*, I, 77 : « Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat. »

Xysticorum. — *Xystici* dicebantur qui pugnabant in *xystis*, h. e. in amplis porticibus per hiberna tempora.

Stephanionem. Primus togatus saltare instituit, ex Plin., VII, 48.

Togatarium. H. e. actorem togatarum fabularum, sic dictarum ab ornatu et vestitu quem gerebant actores. Vide BULENGER., *de Theatro*, I, 6. Alii, inter quos Egnat. et Torrent., *togatarum* legunt.

Theatra. Scil. Pompeii, Balbi et Marcelli; nisi, monente Cl. Hase, de Statili Tauri amphitheatro alterum sit intelligendum.

Hylan. Macrobi., *Saturn.*, II, 7 : « Nec Pylades histrio nobis omittendus est, qui clarus in opere suo fuit temporibus Augusti, et Hylam discipulum usque ad æqualitatis contentionem eruditione provexit. »

Pantomimum. Circa Augusti tempora prodiit ars *pantomimorum*, qui fuerunt ita dicti, quod saltator unus omnes personas sustineret. Vide MARISCOTT., *de Pers. et Larvis.*, c. II, in *Thes. Græv.*, t. IX, p. 1118.

Digito. Digitum indicem in eum quem ridebant dirigere apud veteres solenne erat; de quo plura Ferrar., *de Acclam. et Plaus.*, II, 21.

CAP. XLVI. *Ab se.* Mon. Ancyr. : « Italia autem colonias, quæ vivo celeberrimæ et frequentissimæ fuerunt, XXVIII deductas habet. »

Aliqua. Notanda videtur Mulleri conjectura : « Quamquam modo pro parte aliqua. »

Ferrent. Oudendorp. *ferrent* intelligi h. l. posse existimat pro *acciperent*, *referrent*, *obtinerent*; ut sensus sit, decuriones colonicos ab Augusto etiam admissos esse ad honorum et magistratum urbicorum petitionem, remissa Romam veniendi ibique profitendi necessitate.

Ordinabat. Scil. ad ordines petitos producebat, seu munere petito ornabat.

Regiones. Non Urbis, ut sæpe; sed xi Italiae.

Approbarent. I. e. filios filiasve sibi esse testarentur.

CAP. XLVII. Validiores. Dio, LIII, p. 503 : Τὰ δὲ ἰσχυρότερα, ὡς καὶ σφαιερὰ, καὶ ἐπικίνδυνα, καὶ ἢ τοὶ πολεμικοὺς τινὰς προσοίκοις ἔχοντα, ἢ καὶ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ μέγα τι νεωτερίσαι δυνάμενα.

Ceteras. Dictæ hæ provinciae senatoriæ vel populares; quæ autem ab imperatore susceptæ, imperatoriæ vel Cæsareæ.

Commutavit. Rem docet Dio, ib., p. 504 : Ὑστερον γὰρ τὴν μὲν Κύπρον καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρθωνα τῷ δίδμῳ ἀπέδωκεν· αὐτὸς δὲ τὴν Δαλματίαν ἀντέλαβε. Καὶ τοῦτο μὲν καὶ ἐπ' ἄλλων ἔθνων μετὰ ταῦτα ἐπράχθη.

Privavit. Zonar., ex Dion., LIV, p. 525 : Τούς τε Κυζικηνούς, ὅτι Ῥωμαίους τινὰς ἐν στάσει μαστιγώσαντες ἀπέκτειναν, ἰδουλώσατο· καὶ τοῦτο καὶ τοὺς Τυρίους, τοὺς τε Σιδωνίους διὰ τὰς στάσεις ἐποίησεν, ἐν τῇ Συρίᾳ γενόμενος.

Latinitate. Scil. jure Latii, vide supra, Cæs., VIII.

Civitate. Scil. jure civium. *Ibid.*

CAP. XLVIII. Lapsis. Nempe e filiis vel filiabus regum.

Liberos. Ut Agrippam Herodis ex Aristobulo nepotem, test. Joseph., *Ant. jud.*, XVII, 6 (ed. Havercamp., p. 886) : Ἀγρίππας ἐν τῇ Ῥώμῃ δαιτυόμενος, καὶ ἐμοστροφίας καὶ συνηθείας αὐτῷ πολλῆς γενόμενης πρὸς Δροῦσον τὸν Τιβερίου τοῦ αὐτοκράτορος υἱόν.

CAP. XLIX. Collocavit. Tacit., *Annal.*, IV, 5 : « Italiam utroque mari duæ classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Gallie litus rostratæ naves præsidebant, quas actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foro Juliense miserat, valido cum remige. »

Calaguritanorum. Calaguris Hispaniæ urbs in Vasconibus sita, docent. Strab., III, p. 111 : Ἐν δὲ ταῖς πόλεσι ταύταις ἐπολέμει τὸ τελευταῖον Σερτώριος, καὶ ἐν Καλάργουρι Οὐασκῶνων πόλει. Hispaniorum custodias Cæsar quoque habuit; vide supra, Cæs., LXXXVI.

Formulam. Intell. numerum annorum atque præmiorum, ut videre est apud Dion., LIV, p. 539 : Διέταξε τὰ τε ἔτη (hæc stipendia Suetonio), ὅσα οἱ πολῖται στρατεύουσιντο, καὶ τὰ χρήματα (hæc præmia), ὅσα παυσίμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας, τὴν αἰεὶ ποτε ἔσαν, ἔλαβοντο.

Missionum. Dio, LV, p. 563 : Ἐψηφίσθη τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δουροφρι-

καὶ πεντακισχιλίας δραχμᾶς, ἐπειδὴν ἑκαίδεκα ἔτη, ταῖς δ' ἑτέροις τρισχιλίας, ἐπειδὴν εἴκοσι στρατεύσωνται, διδόνθαι.

Ærarium militare. Dio, LV, p. 563 : Ἐπὶ τε Αἰμυλίου Λεπίδου καὶ ἐπὶ Λουκίου Ἀρρέουντίου ὑπάτων, ἐπεὶ μηδεὶς πόρος ἀρέσκων τισὶν εὕρισκετο, ἀλλὰ καὶ πᾶν πάντες οἱ καὶ ἐζητεῖτο, ἐβαρύνοντο, ἐσήμενον ὁ Αὐγούστου χρήματα καὶ ὑπὲρ τοῦ Τιβερίου ἐς τὸ ταμεῖον, ὃ καὶ στρατιωτικὸν ἐπωνόμασε.

Fectigalibus novis. Quæ fuerunt 1^o *centesima rerum venalium*, Tacit., *Annal.*, I, 78; 2^o *vigesima pars hereditatum*, Dio, LV, p. 565; 3^o *quinquagesima mancipiorum venditorum*, *ibid.*, p. 569; 4^o *bona damnatorum*, *ibid.*, p. 570.

Sub manum. Græce ὑπὸ χεῖρα, ut Plutarch., *de Serv. Numid. vind.*, p. 548 : Αἱ δ' ὑπὸ χεῖρα τοῖς τολμωμένοις ἀπαντῶσαι τιμωρίαι.

CAP. L. *Initio.* Plin., *H. N.*, XXXVII, 1 : « Divus Augustus inter initia sphinge signavit. »

Alexandri. Plin., l. c. : « Augustus postea, ad evitanda convicia sphingis, Alexandri Magni imagine signavit. »

Sua. Dio, LI, p. 444 : « Ὑστερον γὰρ τὴν εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ ἐγγλύψας, ἐκείνη τὰ πάντα ἐσημαίνετο.

Dioscoridis. Plin., l. c. : « Post eum (sc. Pyrgotelem) Apollonides et Cronius in gloria fuere, quique Divi Augusti imaginem similem expressit, qua postea principes signabant, Dioscorides. »

Perseverarunt. Excepto Galba, test. Dion., l. c. : Καὶ αὐτῇ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, πλὴν Γάλβου, ἐχρήσαντο.

Horarum. Significat *illud spatium quo hora definitur*, monente Burm., contra Pitisc. *horarum* explicantem *dierum*.

CAP. LI. *Civilitatis.* Scil. ejus virtutis qua civem se, et civibus non servis imperare se nunquam est oblitus.

Quadam vero cognitione. Nempe judicio extraordinario.

CAP. LII. *Conflavit.* Intell. *liquefecit*, ut in Senec., *Phæn.*, II, 25 :

Templis deos obruite, maculatos lares

Conflate.

Id factum Mæcenatis consilio testatur Dio, LII, p. 490. Cf. BAUMGART. ad h. l.

Ex quis. Scil. ex quarum pretio : *Monum. Ancyr.* : « Mææ statuae pedestres et equestres, et in quadrigis argenteæ steterunt in Urbe LXXX circiter; quas ipse sustuli, exque ea pecunia in æde

Apollinis meo nomine et illorum, qui mihi statuarum honorem habuerant, statui.

Cortinas. H. e. tripodas : Plin., *H. N.*, xxxiv, 3 : « Ex ære factitavere et cortinas tripodum nomine Delphicas, quoniam domus maxime Apollinis Delphici dicabantur. »

Deprecatus est. Vell., II, 89 : « Dictaturam quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit. » Causam addit Dio, LIV, p. 521 : Τὴν τε ἐξουσίαν, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ ὑπὲρ τοὺς δικτάτωρας ἔχων, ἑρῶς τό τε ἐπιθέσθαι καὶ τὸ μισητὸν τῆς ἐπικλήσεως αὐτῶν ἐφυλάξατο.

CAP. LIII. Domini. Tertull., *Apol.*, c. xxxiv : « Augustus imperii formator, ne dominum se quidem dici volebat. Idem testatur Philo, *Legat. ad Caium*, p. 1014.

Noctu. Decretum enim fuerat, ut Augusto in Urbem ingredienti vestales, senatus populusque obviam irent. Dio, LI, p. 456. Quo honore quum uti nollet, magistratusque tamen et alii in hoc essent ut obviam ipsi prodirent, noctu in Urbem ingressus est. Cf. Dion., LIV, p. 527.

Salutationibus. Dies festos intelligit, teste Casaubon.

Stipem. In Macrob. idem narrante, *Saturn.* II, 4 : « Putas, inquit, te assem elephanto dare. » Quintil.; *Inst.*, VI, 3 : « Cujus (sc. parabole) est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, *Noli*, inquit, *dubitare tanquam assem elephanto des.* »

Summonente. Quum omnes sibi notas penitus haberet.

Officia. Nempe *officia privatarum et communium solemnissimum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nomenclatorum*, auct. Tertull., *de Idol.*, c. XVI.

Vexatus. Scil. pessime habitus est : ex hujus vocis propria significatione, test. Gell., II, 6, qui raptatur atque huc et illuc distrahitur, is *vexari* dicitur.

CAP. LIV. Antistius Labeo. Gell., XIII, 12 : « In quadam epistola Ateii Capitonis scriptum legimus, Labeonem Antistium legum atque morum populi romani jurisque civilis doctum apprime fuisse. »

Respondit. Dio, LIV, p. 531 : Πρῶτον μὲν ἐπιωρκῆσαι τε αὐτὸν ἔφη, καὶ τιμωρῆσθαι ἠπειλήσεν· ἔπειτα δὲ εἰπόντος αὐτοῦ καὶ τί θεῖον πεποιήκα, κατασχὼν ἐν τῷ Συνεδρίῳ ἄνδρα, ὃν οὐ τῶν ἀρχιερέων ἔτι καὶ νῦν περιωρῆς ὄντα, οὐδεμίαν ἑρῆν ἐποιήσατο.

Fraudi fuit. Scil. *discrimini* aut *damno*. Serv., *Æneid.*, X, 72 : in jure lectum est : *fraudi* erit illa res, i. e., *periculo*.

CAP. LV. *Ad infamiam*. Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus (majestatis) tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. »

Licentia. Libere conviciis appetere vel ipsos imperatores in testamento Romani solebant. Dio, LVIII, 637 : Φουλκίνιος Τρίων ἑαυτὸν προαπέκτεινε, πολλὰ μὲν ἐκεῖνον (scil. Tiberium), πολλὰ δὲ καὶ τὸν Μάρκωνα ἐν ταῖς διαθήκαις λοιδορήσας. Idem narrat Tacit., *Ann.*, VII, 38.

CAP. LVI. *In tribubus*. Duabus, Scaptia et Fabia. Vide sup. XL.

Questus est. Tacit., *Annal.*, IV, 17 : « Ne quis mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. » Cf. DION., LIV, p. 554.

Judiciariis. Quæ constituerant ordinem modumque judiciorum.

Veneficii. Plin., *H. N.*, XXXV, 12 : « Patina non fœdiore, cujus veneno Asprenati reo Cassius Severus accusator objiciebat interisse CXXX convivas. »

Cassio Severo. De hoc celebri oratore Augusti ætate, Plin., *H. N.*, VII, 12. Cf. GLANDORP., *Onomast.*, p. 209.

Subsellis. Ubi sedebant cum reo patroni.

Laudatione. In more diu fuit apud Romanos laudari reos ab amicis : id vero prohibuerat Pompeius coss. M. A. U. 700.

Castricium. De quo nihil compertum.

CAP. LVII. *Natalem*. Dio, LIV, p. 545 : Τὰ γενέθλια τὰ τοῦ Αὐγούστου καὶ ἐν τῷ Ἰπποδρόμῳ, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ πόλει πολλαχῶς θηρίων σφαγαῖς ἐπιμήθη. Καὶ τοῦτο μὲν καὶ τοὶ μὴ ψηφισθῆν, ἐν πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, τοῖς ἔτεσι πρὸς τινος τῶν ἀεὶ στρατηγῶντων ἐγίγνετο.

Sandaliarium. Sic dictum a *vico Sandaliario*, ad differentiam alterius Apollinis *Palatini*; auct. Panciroll., *de xiv reg. rom.*, p. 6. Suum autem nomen inde habuit *vicus Sandaliarius*, quod in eo habitarent *Sandaliarii* seu *sandaliorum* artifices.

In restitutionem. Dio, LV, p. 556 : Ἐμπρησμοῦ δὲ ποτὲ τὸ παλάτιον διασθεΐραντος, καὶ πολλῶν αὐτῷ πολλὰ δίδόντων, οὐδὲν ἔλαβεν, ἢ μόλις παρὰ μὲν τῶν δήμων χρυσῶν παρὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν δραχμῆν.

Decurie. In quibus censebantur librarii, scribæ, lictores, viatores, nomenclatores et accensi magistratuum romanorum. Vide VALES. ad Ammian. Marcell., XXVIII, 6. Cf. LIPS. et ERNEST. ad Tacit., *Annal.*, XLII, 27, a Cl. Hase citatos.

Tribus. Pro plebe infima, test. Duker. ad Flor., II, 6.

Quoties. Diem reditus Augusti in Urbem ἱερὸν in perpetuum decreto senatus factum fuisse narrat Dio, LI, p. 457 : festis autem diebus supplicia sumi nefas, *Philo* in Flacc., p. 976.

CAP. LVIII. *Patriæ.* Ovid., *Fast.*, II, 127 :

Sancte Pater patriæ, tibi Plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus non tibi nomen eques.

Hoc evenit A. U. 752, non. februar. Idem Ovid., l. c., 121 :

Dum canimus sacras alterno pectine nonas.

CAP. LIX. *Antonio Musæ.* De hoc plura Fabric. et Reimar. ad Dion., Crell. ad Plin., *H. N.*, XIX, 8; XXIX, 1; XXX, 13.

Pro se. H. e. nomine suo.

Provinciarum pleræque. Dio, LI, p. 458 : Καὶ ἔλαβον καὶ οἱ Περ-
γαμικεῖ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὀνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ νεοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν.

CAP. LX. *Cæsareas.* Eutrop., VII, 8 : « Ut reges populi ro-
mani amici in honorem ejus conderent civitates, quas *Cæsareas*
nominarent, etc. » Quod factum est in Mauritania, in Palestina,
in Galatia, in Cappadocia, in Cilicia, in Pisidia, in Armenia,
test. VI et VII.

Inchoatam. Vide MEURSIUM, in *Thes. Gronov.*, IV, p. 849.

CAP. LXI. *Matrem.* Atiam nomine.

Sororem. A. U. 743, Q. Ælio Tuberone et Paulo Fabio
Maximo coss. Dio, LIV, p. 546 : Ἐν δὲ τῷ ἔτει ἐγένετο τὴν Ὀκταούταν
τὴν ἀδελφὴν ἀπέθανούσαν πρόθετο.

Præstitisset. Plutarch., in *Anton.*, p. 929 : Ἐσπεργε ὑπερφυῶς τὴν
ἀδελφὴν, γῆμα θραυμαστὸν, ὡς λέγεται, γυναικὸς γενεμένον.

CAP. LXII. *P. Servilii Isaurici.* Sine dubio illius qui cum Cæ-
sare consul fuit A. U. 706.

Exorta. Simultatis inter se et Fulviam ortæ causam obscenam
ipse reddit in Mart., X, 21.

Scriboniam. Dio, XLVIII, p. 366 : Καὶ τὴν τοῦ πενήτερος αὐτοῦ
Λυκίου Σκριβωνίου Αἰβωνος ἀδελφὴν ἔφημεν ἰστίως ἵα τα τῆς εὐεργεσίας
καὶ ἵα τῆς συγγενείας φίλον αὐτὸν πενήσατο.

Consularibus. Qui illi fuerint non constat.

Fecit. A. U. 715.

Perversitatem. Potius quia jam Liviam amare creperat, auct.

DION., XLVIII, p. 377 : Ἦδη γὰρ καὶ τῆς Λιουίας ἐρᾶν ᾔρχετο, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν Σκριθωνίαν τεκοῦσάν οἱ θυγάτριον ἀπεπέμφετο αὐθημερόν.

Liviam. Dio, l. ci., p. 383 : Ἦν δὲ θυγάτηρ Λιουίου Δρούσου, ὃς ἔν τε τοῖς ἐκτεθεῖσιν ἐν τῷ Λευκώματι ἐγεγόνει, καὶ ἑαυτὸν μετὰ τὴν ἐν Μακεδονίᾳ ἦσαν κατεχρήσατο.

CAP. LXIII. *Obiit*. A. U. 731. Dio, LIII, p. 517 : Ὁ δὲ δὴ Μάρκελλος, νοσήσας οὐ πολλῶ ὕστερον..., ἀπέθανε.

Dedit. A. U. 733, Mæcenate auctore, Dio, LIV, p. 525 : Καὶ ὅτι ὁ Μαικίνας συμβουλευομένῳ οἱ περὶ αὐτῶν τούτων εἰπεῖν λέγεται, ὅτι τηλικούτον αὐτὸν πεποιθήκας, ὥστε ἢ γαμβρὸν γενέσθαι, ἢ φρονεῦθῆναι.

Cederet. Plutarch., in *Anton.* : Δόγον ἢ Ὀκταβία προσήνεγκεν ἄσχερῆ τὴν Καίσαρος θυγατέρα λαβεῖν Ἀγρίππαν, ἀφέντα τὴν ἑαυτῆς.

Tiberium. Dio, LIV, p. 543 : Καὶ προαποσπάσας καὶ ἐκείνου (scil. Tiberii) τὴν γυναικίαν, τὴν τε Ἰουλίαν οἱ ἠγγύησε.

Antonio. Dio, XLVIII, p. 390 : Καὶ ὅπως γε πλείοσι τοῖς τῆς συγγενείας συνδέσμοις συνέχοντο, ὃ τε Καίσαρ Ἀντύλλῳ τῷ τοῦ Ἀντωνίου υἱεῖ τὴν θυγατέρα ἐνηγγύησε.

CAP. LXIV. *Censoris*. A. U. 732, censor pater fuerat cum L. Manutio Planco.

Libram. Intell. *per æs et libram*, ut dicebatur formula solenni, teste Boethio in Cic., *Topic.* III : « Is qui mancipium accipit, æs tenens, ita dicit : Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio, isque mihi emtus est *hoc ære, æneaque libra*. Deinde percutit libram, indeque æs dat ei a quo mancipium accepit. » Inde Horat., *Epist.* II, 2, 158 :

Si proprium est, quod quis libra mercatur et ære.

Designatos. Monum. Ancyr. : « Caium et Lucium Cæsares, honoris mei causa, S. P. Q. R. annum quintum et decimum agentes consules designavit. »

Commentarios. Erant privatæ domus Augustæ ephemerides quas servus vel libertus aliquis curabat.

Chirographum. Forte, monente Casaubon., eorum opera in scribendis secretioribus epistolis uti destinabat.

CAP. LXV. *Julias*. — *Filiam* in insulam Pandateriam relegavit (Tacit., I, 53); *neptem*, in insulam Trimerum (Tacit., IV, 71).

Probris. Cf. DION., LV, p. 555.

Amisit. Tacit., *Annal.*, I, 3 : « Lucium Cæsarem euntem ad

hispanienses exercitus, Caium remeantem Armenia, et vulnere invalidum mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit. »

Adoptavit. Vell., 11, 103 : « Quod post Lucii mortem, adhuc Caio vivo, facere voluerat, atque vehementer repugnante Nerone, erat inhibitus, post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, etc. »

Abdicavit. H. e. familia ejecit, sicque irritam effecit adoptionem. *Abdicationem* ab *exheredatione* differre, quod illa fit vivo, hæc mortuo, notat Cl. Hase ex Reitz ad l. 1.

Libello. Scil. oratione, ut sæpe tali sensu vox illa occurrit apud historiæ Augustæ scriptores

Fecit. Postea notum fecisse pœnituit. Senec., *de Benef.*, VI, 32 : « Deinde, quum interposito tempore in locum iræ subiisset verecundia, gemens, quod non illa (sc. flagitia) silentio pressisset, quæ tandiu nescierat, donec loqui turpe esset, sæpe exclamavit : Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenas vixisset. »

Phœbe. Juliæ liberta fuit, ejusque vitiorum adjutrix. Cf. Dion., IV, p. 555.

Planariam. Nempe Plomariam.

Cavit. Tacit., *Annal.*, I, 6 : « Sævaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exsilium ejus senatusconsulto sanciretur perfecerat. »

Αἰὼ' ἔφελες ἄγαιός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.
Apud poetam :

Αἰὼ' ἔφελες ἄγαιός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.

CAP. LXVI. *Salvidienum Rufum.* Vell., 11, 76 : « Per quæ tempora Rufi Salvidieni scelestia consilia patefacta sunt. Qui natus obscurissimis initiis, parum habebat summa accepisse, et proximus a Cn. Pompeio ipsoque Cæsare ex equestri ordine consul creatus esse, nisi in id ascendisset, e quo infra se et Cæsarem videret et rempublicam. »

Gallum. Qui Ægypto præpositus fuerat A. U. 724 : fuit inter poetas eximius. Cf. HEYX. ad Virg. *Eclóg.*, VI, 72.

Suis. Intell. *Cæsareis*, de quibus supra XLVII.

Conjuratione. De qua supra, XIX.

Suprema judicia. Scil. testamenta, ut in Val. Max., VII, 7 : « Augustus suprema judicia improbavit. »

Verborum. Amicos enim laudibus prosequi vel maledictis tyrannos et eorum amicos onerare in testamentis Romanos solere jam monuimus.

Eorum. Cf. DION., LVI, p. 591.

CAP. LXVII. *Patronus dominusque.* — *Patronus* libertos, dominus *servos* spectat.

Dispensatorem. H. e. qui rei familiaris rationes dispensabat, et pecuniæ curam habebat.

A quo. Nempe Diomede vel vitante apri incursum, vel fuga deserente Augustum.

A manu. Quis dictum supra in *Cæs.*, LXXVII.

Fregit. — *Crurifragium* dicebatur supplicium illud, quo servorum crura frangebant. Senec., *de Ira*, III, 32 : « Quid properamus verberare statim, crura protinus frangere? »

In flumen. Quod Græci vocabant *καταποντισμός*. Sic Tacit., in *Germ.*, XII, 2 : « Ignavos, et imbelles, et corpore infames, cæno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. »

CAP. LXVIII. *Orbem.* Ludus est in duplici sensu vocabuli *orbem*, quod *tympani orbem*, a Gallo pulsatum, significabat, et convertebatur a populo in contumeliam Augusti qui *orbem terrarum* tenebat imperio.

CAP. LXIX. *Incomtiore capillo.* Ita Juven., XI, 187 :

Vexasque comas, et vultum auremque canentem.

Conditiones. H. e. stupra, ut Cic. *pro Cæ.*, xv : « Habes hortos ad Tiberim, quo omnis juventus natandi causa venit. Hinc licet conditiones quotidie legas. » Cf. TERENT., *Andr.*, I, I, 52.

Reginam. Scil. Cleopatram, seu Terentiam, Mæcenatis uxorem, de qua Dio, LIV, p. 33 : *Καί τινες καί διὰ τὴν Τερεντίαν τὴν τοῦ Μαικίηνου γυναῖκα ἀποδημίσαι αὐτὸν ὑπετίπησαν ἔν' ἰπειδὰν πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐλογχοποιεῖτο, ἄνευ θροῦ τινὸς ἐν τῇ ἀλλοδημίᾳ αὐτῆ συνῆ.*

CAP. LXX. *Secretior.* In intima enim domus parte parabantur luxuriosiores cœnæ apud veteres. Juvenal., I, 94 :

. . . Qui fercula septem

Secreto cœnavit avus.

Δωδεκάθεος. A duodecim diis *majoribus*, qui *geniales* dicti sunt quod cum Jove mensæ accumbant.

Ornatum. Intell. habitu Apollinis, quo satus Augustus dicebatur. Noster causam refert cap. xciv.

Mallia. Quis voce illa significetur incertum: sunt qui arcem capitolinam sic designari putent; quod confirmatum videtur voce *toros*, i. e. pulvinaria quæ Jupiter habebat in Capitolio. Cum Cl. *Hase* non feminam sed domum intelligo, in qua cætus iste habitus est.

Cœnat adulteria. Quia non tam ad epulas quam ad stupra convenerant: sic apud Tertull., *Apol.*, cap. xxxix, *cœnare disciplinam*.

Declinarunt. H. e. terras reliquerunt.

Toros. Sc. aurata pulvinaria; vide in voc. *Mallia*.

In parte urbis. Quæ videtur fuisse Suburra. Mart., II, 17:

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

Perdidit. Vide sup., xvi.

Cap. LXXI. *Instrumento regio*. H. e. regum alexandrinorum supellectile.

Hæsit. Scil. illas refutare non potuit.

Decembri mense. Quo, test. Senec., *Epist.* xviii, *jus luxuriæ publice* datum est, præsertimque ludo. Martial., IV, 14, 7:

Dum blanda vagus alea december
Incertis sonat hinc et hinc fritillis.

Festis profestisque diebus. Docent. Macrob., *Sat.* I, 16; *festi* diis dicati erant; *profesti* hominibus, ob administrandam rem privatam publicamque concessi. Erant quoque *intercisi*, deorum hominumque communes.

Ἐπετυχεῖς. Scil. simpliciter et oblectamenti causa, non cupiditate lucri.

Talis... jactatis. — Quatuor *talis* ludebant veteres, quos in vasculum jactabant, turriculæ speciem repræsentans, quod dixerunt *fritillum*. Illis quatuor erant latera quibus inscriptæ *unio*, *renio*, *ternio*, *quaternio*.

Canem. Seu unionem. Pollux, IX, 7 : Καὶ τὸ μὲν μονάδα δηλοῦν, καλεῖται κῶων. *Jactus iste damnosus.* Prop., IV, 9, 18 :

Semper damnosi subsilivere canes.

Vocabatur quoque χῆς, teste Hesych.

Senionem. Vocabatur quoque κῶος et ἐξίτης. Eustath. ad Hom., *Iliad.*, XXIII : Τῶν δὲ Κόλων, ὁ μὲν τὸ ἐξ δυνάμενος, κῶος ἐλέγετο καὶ ἐξίτης. Hinc proverbium : χῆς πρὸς κῶων.

Venerem. Venerus jactus erat felicissimus. Lucian., Ἐρωτ., p. 884 : Καὶ θαλὼν μὲν ἐπὶ σκοπεῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν Θεὸν αὐτὴν εὐβολήσῃσι, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσθ' στήματι, προσεκύνας.

Quinquatrus. Festum Minervæ post v iduum Martis per quinque dies celebratum. Gell., II, 21 : « Forma vocabuli ejus, exemplo multorum italicorum populorum, enuntiata est, quod post diem quintum iduum est is dies festus : ut apud Tusculanos *triatrus* et *sexatrus*, et *septenatrus*. » Cf. OVID., *Fast.* III, 809.

Forumque. A *forus*, i. e. *tabula lusoria*. Manil., V, 247 :

. . . . Necnon lascivit amores

In varios, ponitque forum, se datque Lyæo.

Calfecimus. H. e. talorum jactu quasi *calidum* fecimus; sic Mart., VII, 7, 2 :

Ungularum pulsibus calens Ister.

Manum.—*Manus* est ipse jactus. Nam in alea singuli jactus *manus* dicebantur. Hinc ita vocat Augustus pecuniam, quam post jactum infelicem quisque conferre debebat; ipse autem non exegerat.

Par impar. Quem ludum describit Pollux, IX, 7 : Τὸ δὲ ἀρτιάζειν ἐν ἀστραγάλων πλήθει κρυπτομένων ὑπὸ ταῖν χειροῖν, μαντείαν εἶχεν τῶν ἀρτίων καὶ τῶν περιττῶν. Ταῦτ' ὁ δὲ τοῦτο καὶ κυάμοις, ἢ καρβοῖς τε καὶ ἀμυγδαλαῖς, καὶ ἀργυρίῳ πράττειν ἠξίουσιν.

CAP. LXXII. *Supra scalas.* H. e. ad dextram scalarum; locutio sumpta ab accumbentibus; nam *supra aliquem sedere* in convivio, est *sedere* ad dextram alicujus.

Annularias. Ita dictus, ex Rhodig., *Ant. Lect.*, VI, 12, cui assentiuntur Ernest. et Cl. Hase, ab aurifabris qui annulos ibi venderent.

Calvi. C. Licinii Calvi, de quo vide Cic., *Brut.*, LXXXI.

Palatio. Scil. Palatino monte. Dio, LIII, p. 507 : Καλεῖται δὲ τὰ Ἐκασίδια Παλάτιον, ἔτι ἔν τε τῷ Παλατίνῳ ὁ Καῖσαρ ἔκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατιῶν εἶχε.

Cultu. H. e. ornatu.

Albanarum. Ex monte Albano, cujus lapis exigui erat pretii, quum ob viciniam, tum quia mollis esset, auct. Vitruv., II, 7 : « Sunt enim alix molles, ut circa Urbem rubræ, pallienses, fidentes, albanæ. »

Eodem cubiculo. Quum in consuetudine illius temporis esset, alia habere hiberna, alia æstiva cubicula.

In Urbe hiemaret. Disertissime Cl. *Hase* : « Quamvis omnes hiemes in Urbe transigeret, eaque valetudini suæ parum salubri, tamen ne cubiculum quidem mutavit. »

Syracusas. Hunc locum a reliqua domo sejunctum *Syracusas* Augustum dixisse putat *Beroaldus*, quia et hæ erant dispersitæ, et pars a parte, tanquam urbs ab urbe disjuncta.

Τεχνότροπον. Ideo quod in locis secretis omnis suus constat ingenii vigor, ad multa excogitanda. Cf. *PLIN.*, *Epist.*, I, 9 : « O mare! o litus! verum secretumque μουσεῖον, quam multa inventis, quam multa dictatis! »

Herculis. In cuius tutela Tibur erat. *Martial.*, I, 13 :

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces.

Hujus templi mentionem habet *Strab.*, v, p. 164 : Τίβορα δὲ τὸ Ἡράκλειον.

Prætoria. Erant villæ ad voluptatem exstructæ, in quibus dominus, quum rusticari vellet, manere solebat. Sic dictæ per similitudinem : rusticorum enim super tuguria et casas eminebant, ut imperatoris ipsius tabernaculum, quod et *prætorium* appellabatur, præ aliis magnitudine splendoreque eminebat. Ponebantur fere in amœnis litorum. *Stat.*, *Silv.*, I, 3, 25 :

. . . Æternas servant prætoria ripas.

Excoluit. Ut *Tib.*, III, 3, 15 :

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Belluarum. Nempe marinarum, seu balænarum.

CAP. LXXIII. *Instrumenti... supellectilis*. — *Instrumentum* et *supellectilem* distingue; illud ad necessitatem, hæc ad ornatum pertinet. Inde Colum., *de Re rust.*, XI, 3 : « Præparatis idoneis locis instrumentum et supellectilem distribuere cœpinus. »

Veste. Sic verba ponere suadet Torrentius quem sequuntur optimi interpretes : « Veste non temere alia domestica usus est quam ab uxore, etc. »

Forensia. Scil. vestimenta quæ fuerunt *toga*, *lacerna*, *pænula*. Nonius, I, 3 : « *Toga*, sicut in consuetudine habetur, vestimentum est quo in foro utimur. »

Calceos. Calcei totum pedem et infime et superne tegebant, eaque ratione distinguebantur a soleis, quæ plantam pedis tantum vestiebant, superiore parte nuda. *Calceos* non sumebant Romani, nisi quum foras irent.

CAP. LXXIV. *Recta*. Suppl. cœna : est vero *recta cœna*, lauta, omnibus modis instructa. Mart., VII, 17, 2 :

Rectam vocatus quum recurrit ad cœnam.

Valerius Messala. Intelligere licet, in libro quem senex de romanis familiis scripsit, teste Plin., *H. N.*, XXXV, 2, et Voss., *de Hist. lat.*, II, 18.

Mena. De quo Horat., *Epod.*, IV, et *Epist.*, I, 7, 61.

Classem. Dio, XLVIII, p. 384 : Τὴν τε νῆσον αὐτῶ καὶ τὸ ναυτικόν, τό τε ἄλλο στρατεύμα, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκε.

Speculator. H. e. satellites.

Provocabat. Quem imitatus est Trajanus. Plin., *Paneg.*, XLIX, 5 : « Non tibi semper in medio eibus, semperque mensa communis? non ex convictu nostro mutua voluptas? non provocas redisque sermones? »

Acroamata. Vulgo significat quum festivas recitationes et ludicras, tum illos a quibus recitabantur, et quos adhibebant convivii, teste Plin., *Epist.* VI, 31 : « Adhibebamur quotidie cœnæ: erat modica, si principem cogites; interdum ἀκροάματα audiebamus, interdum jucundissimis sermonibus nox ducebatur. Cf. ΝΕΡ., XXV, 14. H. l. intelligendos maxime musicos putat Cl. Hase, ex Macrob., II, 4 : « Delectatus inter cœnam erat symphoniacis Toranii Flacci Mangonis. »

Ludios. H. e. saltatores. Ovid., *Art. am.*, 1, 112 :

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Aretalogos. Erant philosophi qui, quum sectatores non haberent, convivia beatorum frequentabant, et saturos variis de virtute et vitio disputationibus delectabant. Hos *circulatores philosophos* nominat Senec., *Epist.* XXIX. Cf. JUVEN., XV, 16 :

. . . Bilem, aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax Aretalogus.

CAP. LXXV. *Profusissime... joculariter*. I. e. maximo sumtu, quem tamen nonnunquam in jocularia tantum profundeat, notante Cl. Hase.

Titulis. Qui plerumque aliquid turpis habent, tamquam ipsa verba *cilicia*, *spongias*, *rutabula* et *forcipes*, in quibus obscena latet significatio. *Spongias* enim et *rutabula*, id quo viri sumus occulte significant; *cilicia* et *forcipes* spectant ad feminas, venereo sensu.

Inæqualissimarum. H. e. diversi pretii.

Veniliare. Solenne fuit apud veteres in convivio convivas facta licitatione exhilarare, teste Athen., XIII, p. 607 : Ἐὖθ' ὑστερον πωλουμένης τῆς ἀλιτηρίδος (καθάπερ ἔθας ἔστιν ἐν τοῖς πόταις γίνεσθαι), ἐν τῷ ἀγοράζειν πᾶν νεανίσκος ἦν κ. τ. λ.

Lectos. Nempe convivarum mensas.

CAP. LXXVI. *Manu pressum*. Scil. *mollem*, distinguendum quidem a *veteribus* et *aridis*. Cf. BURM. et COLUM., II, 11.

Ficos. Plin., *H. N.*, XVI, 27 : « Sunt et biferae in ficibus. » COLUM., X, 403 :

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus.

Ex regia. Quænam sit illa regia, utrum Numæ juxta ædem Vestæ, an regia regis sacrorum, incertum.

Sabbatis jejunium. Sabbatis jejunium servabant Judæi, si *sabbatum* pro hebdomade accipiamus; sin, ut solet, de septimo die hebdomadis intelligamus, omnino falsum est. At quum ab eis crebra usurpari jejunia scirent Romani et in primis sabbatum ab iisdem celebrari, id sibi temere persuaserant. Inde error Augusti ex ignorantia morum ejus gentis. Eodem modo hallucinatus est Justin., XXXVI, 2.

Buceas. Scil. panis frusta; panes enim in *quadras*, *quadras* in *buceas* secabant.

CAP. LXXVII. *Super cœnam*. Intellige *cœnæ tempore*: loquendi modus ille Nostro usitatissimus. Cf. *Tib.*, LVI, *Cal.*, XXI, *Ner.*, XXII, etc.

Se invitaret. — *Sese invitare* dicuntur, qui largius bibunt aut vescuntur, ut Sallust. apud Non., IV, 232: « Quum se ibi cibo vinoque læti invitarent. » Cf. PLAUT., *Amph.*, I, I, 127:

Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum.

Senos sextantes. H. e. *sextarium*; sextans enim duos continebat *cyathos*; *cyathus* vero duodecimam partem sextarii, qui erat sexta pars *congii*; *congius* autem octava pars *amphoræ*.

Rejiciebat. Scil. vomebat. Plin., *H. N.*, XIV, 6: « In Veronensi item *Rætica* (vina) Falernis tantum posthabita a Virgilio. »

CAP. LXXVIII. *Retectis*. Casaub. et Ernest. intelligunt *bene, diligenter tectis*, quod contra solennem verbi usum recte contendit Bremius qui sic h. l. interpretatur: *apertis*, sive stragula non tectis qua alias meridiantes uti solebant, monente Cl. Hase.

In lecticulam. Veteres enim, meditatione aut scriptione operam daturi, in lecticulis suis se componebant; quod multis locis illustrat Casaubon. ad h. l.

CAP. LXXIX. *Nitidos*. Cf. PLIN., *H. N.*, XI, 32. Aurel. Vict., *Epist.* I: « Fuit corpore toto pulcher, sed oculis magis. »

Libertus. Qui patroni sui res perscripsit.

Commoditate. H. e. apta membrorum compositione.

CAP. LXXX. *Arundinum*. Alligabantur femori crurique *arundines*, i. e. fulcimenta lignea, seu arundinea, per lora quædam longa, lata atque tenacia, quæ priscis medicis audiebantur *habencæ*, fasciæ.»

Salutarem. Scil. indicem pollicis proximum, ita dictum sane, quod eo ori admoto se invicem *salutarent*; sive illo ac pollicis contractis in unum osculo impresso salutem precarentur. FERR., *Elect.*, I, 21.

CAP. LXXXI. *Cantabria*. Cantabrico bello, gravi morbo implicatus est: DIO, LIII, p. 514: Ἐν ἀπόρῳ παντάπασιν ἐγένετο καὶ ἑ μὲν ἐκ τοῦ καμάτου καὶ ἐκ τῶν φροντίδων νοσήσας, εἰς Ταρβάρωννα ἀνεχώρησε, καὶ ἐκεῖ ἠρρώσκει.

CAP. LXXXII. *Pingui*. Scil. crassiori filo compacta, ut in Juvenal., IX, 28 :

... Pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ.

Subucula. Vestis linea quam gestabant sub tunicis.

Egelida. H. e. tepida, nam particula *e* interdum intendit significationem, interdum remittit.

Albulisque. Plin., *H. N.*, XXXI, 2 : « Juxta Romam *Albulæ aquæ* vulneribus medentur : *egelidæ* hæ. »

Ligneo solio. Quod dicitur in laudem Augusti, nam temporibus illis argentea fiebant balnearum *solia*. Plin., *H. N.*, XXXIII, 12 : « Quum femine laventur et nisi argentea solia fastidiant. »

CAP. LXXXIII. *Folliculumque*. Pila erat minor, pugnisque ejiciebatur, et *pugillaris follis* dicebatur. Plaut., *Rud.*, III, 4, 16 :

... Extemplo hercle te follem pugillatorium
Faciam.

Extremis spatiis. Intell. sub finem ambulationis.

Ocellatis. Globulis vel lapideis, vel eburneis, quibus olim ludebant puellæ.

Nucibusque. Nucibus ludere solebant pueri, et *nuces relinquere* seria tracturi, jam ætate grandiores dicebantur. Pers., I, 10 :

... Et nucibus facimus quæcumque relictis.

CAP. LXXXIV. *Graviores*. H. e. gravioris momenti.

Phonasco. Qui in oratione tollendæ vel summittendæ vocis regulas edoceret. De *phonasco* Varro apud Non., II, 826 :

Phonascus sum, vocisque suscitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceus.

CAP. LXXXV. *Ad philosophiam*. Philo leg. ad Caium, p. 1036 :

Ὁ τισσῶτες ἡγεμιῶν κατὰ φιλοσοφίαν εὐδαιμόνεις δεύτεροι.

De vita sua. Hi sunt Commentarii quos citat Plutarch., in *Anton.*, XXII.

Epigrammatum. Meminit Plinius Epigrammatum suorum lasciviam excusaturus, *Epist.* v, 3.

Incubuisse. Idem narrat Macrob., I, 4.

CAP. LXXXVI. *Fœtoribus.* Quia nimis abstrusa verba situm sapere, et ob id graviter olere videntur.

Cacozelos. Quintil., VIII, 3 : « Κακόςζηλος vocatur quidquid est ultra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, et specie boni fallitur : omnium in eloquentia vitiorum pessimum. »

Antiquarios. Qui priscus et jam diu obsoletas voces curiose consecretantur. Juvenal., VI, 454 :

Ignotosque mihi tenet antiquaria versus.

Cf. GELL., I, 10.

Mæcenatem. De quo Senec., *Epist.* cxiv : « Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam oratione difflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, et errantem, et licentiæ plenam. »

Irridet. Macrob., II, 4 : « Augustus... in epistola ad Mæcenatem familiari plura in jocos effusus subtexit : *Vale, mel gemmeum Medulliaë, ebur ex Hetruria, laser Arctinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, jaspis figulorum, berylle Porsennæ, carbunculum Italiaë.* »

Antonium. In quem Cic., *Philipp.* III, 22 : « Nonne satius est esse mutum, quam loqui ea quæ nemo intelligat? »

Cimberne Annius. De hoc Quint., VIII, 3 : « Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est : Germanum Cimber occidit. » Fuit ille rhetor antiquarius. Cf. HEYK. ad Virg., *Catalect.* II.

Veranius Flaccus. Utrum Veranius Flaccus a Macrob., *Saturn.*, III, 2, commemoratus, an verius Flaccus a Gellio, XVI, 14 et XVII citatus, h. l. scribendum sit ambiguum.

Excerpsit. Imo *furatus est*, auct. Quintil., VIII, 3 : « Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur :

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

Asiaticorum. Quintilian., XII, 10 : « Asiana gens timidior alioqui, et jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. »

CAP. LXXXVII. *Litteræ*. De quibus mentio in Quintil., 1, 7 :
 • Quod idem in epistolis Augusti quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur.

Hoc Catone. I. e., quum verum Catonem non habeamus amplius, hic nobis pro Catone sit, hoc simus contenti : id quod de hominibus ætatis suæ dictum, postea ad res etiam transferre potuit, docente Cl. Hase.

Baccolum. Nescio an formatum liberius a βάκλος, quod significat, Hesych. teste, ἡ μέγας καὶ ἀνόητος. Apud Suidam legitur : Παροιμία βάκλος; ἔστι, κατὰ τῶν ἐκλότων καὶ ἀνανδρῶν.

Pulleiaceum. De colore pullo id intelligendum doctiss. viris videtur; nam is τύπος, ut aiunt, frequens est in re colorum : violaceus, hederaceus, etc.

Cerrito. Quasi *cererito*, quod dicebatur de *male sanis*, seu *Cereris ira animo vexatis*; græce Διμπερολήπτει, ut in Horat., *Sat.* 11, 3, 278 :

Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
 Absolves hominem.

Ubi annotat Cl. Hase, *cerritus* per duplex *r* scribendum esse ob metri rationem.

Vacerosum. A vacerra, quæ est stipes. Docente Festo, Ateius philologus maledictum hoc nomine vult significari, ut sit *vecors* et *vesanus*, teste Livio, qui dicit *vecors et malefice vacerra*.

Vapide. Alii deducunt a *vapore*, i. e. *calore febris tentari*; alii a *vappa*, quæ vox *homo nihili* significat, unde oritur *vapidus*, in Pers., VI, 17 :

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

Apud eundem, *sat.* V, 117 : *vapidum pectus*.

Betizare... lachanizare. — *Betizare* a *beta*, quia maxime tenera languet. *Languere* autem, ut videtur, significabat vulgo vox *lachanizare*, a λάχανον, olus *quodvis*, apud Atticos. Forsan in hoc loco nonnihil obsceni latet, ex Catull., LXV, 21 :

Languidior tenera cui pendens sicula beta.

Circumducitque. Vulgo a fine versus, seu lineæ ad alterius initium abundantes litteras transferre mos erat. Quod minime imitatus Augustus sub eodem versu extremo scribebat et lineam circumducebat ut ad eundem versum pertinere significaret.

CAP. LXXXVIII. *Per notas.* Vide supra, *Cæs.*, LVI. Cf. DION., LI, p. 444.

CAP. LXXXIX. *Apollodoro.* Strab., XIII, p. 430 : Μάλιστα δ' ἐξῆρε τὸν Ἀπελλόδωρον ἢ τοῦ Καίσαρος φίλου τοῦ Σεβασταῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον. Cf. QUINTIL., III, I, 17.

Aræi. In causa et ille fuit, cur Augustus Alexandrinis pepercerit, Dio, LI, p. 454 : Πρόφρασιν δὲ ὅμως προὔβαλλετο, τὸν τε θεὸν τὸν Σάραπιν, καὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν εὐριστὴν αὐτῶν, καὶ τρίτον, Ἄρειον τὸν πολίτην, ὃ πρὸ φιλοσοφῶντι τε καὶ συνόντι οἱ ἐχρῆτο.

Excerpta. Hæc fuerunt parvæ membranarum schedulæ, quibus inscribebat Augustus veterum sententias : græce πιττάκια.

Q. *Metelli.* Vide supra, cap. xxx. Q. Metellus ille, nempe *Macedonicus*, censor primus ex plebe factus cum Q. Pompeio, A. U. 623. Cf. LIV., *Epit.* LIX.

Rutilii. Intell. P. *Rutilium Rufum*, de quo LIV., *Epit.* LXX : « P. Rutilius, vir summæ eloquentiæ..., invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exsilium missus est. » Cf. CIC., *de Orat.*, I, 53.

Commissionibus. In certaminibus quæ poetæ vel oratores inter se committebant in theatro, spectante prætore, qui his ludis præerat.

CAP. XC. *Expavescebat.* Illa expavescebat quoque Tiberius. Vide NOSTR., in *Tib.*, LXIX.

Vituli. Quia illam a fulmine non percuti credebant veteres. Plin., *H. N.*, II, 55 : « Ex iis, quæ terra gignuntur, lauri fruticem non icit (subaud. fulmen); nec unquam quinque altius pedibus descendit in terram. Ideo pavidī altiores specus tutissimas putant, aut tabernacula e pellibus belluarum, quas vitulos appellant, quoniam hoc solum animal ex marinis non percutiat; sicut nec e volucribus aquilam, quæ ob hoc armigera hujus teli fingitur. »

Diximus. Supra, cap. xxix.

CAP. XCI. *Somniō.* Vell., II, 70 : « Ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifesta denuntiatione

quietis territo. » Cf. PLUTARCH., in *Brut.*, p. 1003, et VAL. MAX., I, 7, 1.

Prosperè. Dio, XLVII, p. 352 : Ὑψ' εὐπερ καὶ ἐσώθη.

Præbens. Dio, LIV, p. 546 : Ἦδη δὲ καὶ ἐκείνο ἤκουσα, ὅτι καὶ ἀλλό τινι ἀργυρίων ἐκ λογίου τινος, ἢ καὶ ὀνεύρατος, παρὰ τῶν προστουχόντων εἶ, ὡς καὶ προσαιτῶν, ἐν μιᾷ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ ἐλάμβανε.

CAP. XCII. *Induceretur.* Plin., *H. N.*, II, 7 : « Divus Augustus lævum prodidit sibi calceum præpostere inductum, quo die seditione militari prope afflictus est. »

Palmam. Quod quidem ostentum Cæsari evenisse testatur Plutarch. in *Cæs.*, p. 730.

Compluvium. Ara ibi erat deorum Penatium; contra Lares colebantur in foco, qui erat in atrio, notante Cl. Hase. — De *compluvio* sic Varro, *L. L.*, IV, 33 : « Si relictum erat in medio (scil. inter duas ædes), ut lucem caperet, deorsum quo impluebat, *impluvium* dictum; et sursum qua compluebat, *compluvium*. »

Ænaria. Insula Campaniæ, Miseno promontorio objecta, quæ dicebatur quoque *Pithecusa*. Appian., *B. C.*, p. 711 : Ἀφικόμενος δ' ὁ Λίβων ἐς νῆσιν ὀρμίσθη τὰς Πιθηκούσας, ἢ νῦν ἐστὶν Αἰναρίως. De re Cf. STRAB., V, p. 171.

Nundinas. Quoties in kal. januarias indicebant, intercalatione extra ordinem facta, συνέμπτωσιν illam pontifices declinabant, auct. Dion., XLVIII, p. 377, qui addit : « Ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετε. Macrob., *Saturn.*, I, 13 : « Quoties incipiente anno dies cœpit, qui addictus est nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit; maximeque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est. »

CAP. XCIII. *Iniūatus.* A. U. 723, devicto Antonio. Dio, LI, p. 445 : « Τὰ τε ἐν τῇ Ἑλλάδι διώξεις, καὶ τῶν ταῦν θεῶν μυστηρίων μετέλαβεν. »

CAP. XCIV. *Tacta de cælo.* H. e., ieta fulmine, ut in Tacit., *Annal.*, XIV, 12 : « Tactæ de cælo quatuordecim Urbis regiones. »

Ad exitium sui. Liv., VIII, 14 : « In Veliternos cives romanos, quod toties rebellassent, graviter sævitum : et mari dejecti, et senatus inde abductus, jussique trans Tiberim habitare. »

Julius Marathus. De quo supra, cap. LXXIX.

Ad ærarium. Quod erat in æde Saturni : nullam autem vim habebant, antequam eo delata essent.

Asclepiadis. De hoc nihil compertum : certe Ægyptius erat a nomo *Mendete*, seu *Mendesio*, ex Strab., xvii, p. 552 : Ὑπὲρ δὲ τὸ Μενδήσιον στόμα καὶ τὸ Ταυικόν, λίμνη μεγάλη, καὶ ὁ Μενδήσιος ἑστὶ νόμος.

P. Nigidium. Scil. Figulum, senatorem, de quo Lucan., i, 640 :

At Figulus cui cura deos, secretaque cæli
Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

Cf. DION., xlv, p. 270, et GELL., xix, 14.

Natum. Dio, loc. cit. : Δεσπότην ἡμῶν γεγέννηκας. Addit : Καὶ αὐτὸν ἐκταραχθέντα ἐπὶ τούτῳ, καὶ διαφθεῖραι τὸ παιδίον ἐθελήσαντα ἐπέσειεν.

Exuviisque. Erant toga picta, et tunica palmata. Juven., x, 38 :

In tunica Jovis et pictæ sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

C. Drusum. In oratione qua illi parentavit.

Loco plano. Intelligend. *imum conclave*, oppositum turri, quæ in eadem domo erat, auct. Muller. in Sched.

Campanæ viæ. Quæ media erat inter Ostiensem et Appiam, ex Fabrett. *Inscript.*, p. 481.

Retulisset. Audi de h. l. Cl. Hase : « Intelligo cum Ernest. de digitis, pueri labellis impositis, deinde ad sua admotis, quo osculum ab illo ad se revera referebatur. »

Flagellum. Per *flagellum* imperium significabatur et peritura libertas. Inde Juvenal dicit de Julio, x, 109 :

Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites.

Is ordo. Scil. senatorius.

Mathematici. H. l. genethliaci, sic dicti quia siderum cursu nascentium mores, actus et eventus prædicare student. Juven., xiv, 248 :

Nota mathematicis genesis tua. . . .

Pergulam. Locum ædium editiorem, super tectum ædificatum, græcè ὑπερφῶν.

Thema. Quæ vox ex mathematicorum arte desumitur et significat *stellarum situm et quasi cœli configurationem.* Sidon., *Ep.* VIII, 2 : « Quos (ut verbo matheseos utar) *climacterios* esset habiturus, ut pote quibus *themate* oblato quasi sanguinariæ genituræ schema paruisset. »

CAP. XCV. *Sereno.* — *Serenum* substantive dictum.

Circulus. Vell., II, 59 : « Quum intraret Urbem, solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est. »

Ostenderunt. Appian., *B. C.*, p. 586 : Αἰρεθεῖς δὲ αὐτὸς σὺν ᾧ πὲρ ἰθεύλετο Κέντω Πεδίῳ, πόλιν ὡς ὑπατος ἐσήει· καὶ ἔθυσε, δώδεκά τι γυπῶν φανέντων, Ἰῶσους φασὶ καὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν εὐχίσσονται ἐρῶσθαι. Cf. DION., XLVI, p. 321.

Immolanti. Est in his verbis ὑστερον πρότερον, ut docet Casaubon. ad h. l., quum hoc ostentum accidit Octaviano ante consulatum, test. Dion., ub. sup.

Jecinora. Quæ vaticinii sedem esse arbitrabantur extiscipinæ periti, docente Philostr. Appollon., VIII, 2 : « Τὸ δὲ ἦπαρ ἐν ᾧ φασὶ τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίπεδα οἱ δεινοὶ ταῦτα. »

Paruerunt. H. e. *reperta* seu *visa* sunt, ut in Virg., *Aeneid.*, x, 174 :

Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et linguæ voluerum et præsagi fulminis ignes.

De re Cf. Plin., *H. N.*, XI, 37.

CAP. XCVI. *Occurrisset.* Dio, XLVII, p. 351 : Ἀντὶ Θεσσαλῶς ἰδοῦσέν οἱ τὸν Καίσαρα τὸν πρότερον κεκελευμέναι εἰπεῖν τῷ Καίσαρι (scil. Octaviano), ὅτι τε εὐτυχῆς ἡ μάχη γενήσεται οἱ, καὶ ἵνα ἀναλάβῃ τι ὧν δικτατωρέων αὐτὸς ἐφόρει.

Non litante. Scil. numen non placante, ut Græci dicebant de *victima* καλλιερεῖν.

Augeri. Hostia prima non litante, alteram, dein tertiam pluresve adhibebant, donec bona exta reperirentur : sic hostiarum numerus *augeri* dicebatur.

Piscis. Dio, XLIX, p. 395 : Ὅρων δὲ τὸ στρατεύμα ἐν τῇ νήσῳ ἀπειλημμένον, δεινῶς ἔχθητο· καὶ οὐ πρότερον ἐνεβάρσθησε, πρὶν ἰχθύον τινα ἐκ τῆς θαλάσσης αὐτόματον ἀναθερόντα, πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ προσπισεῖν. Ἐκ

γαρ τούτου πιστεύσας τοῖς μάντεσιν εἰποῦσίν οἱ ὅτι δουλώσεται αὐτὴν, ἀνεβ-
 ῶσθην. Cf. PLIN., *H. N.*, IX, 16.

Occurrit. Plutarch., in *Anton.*, p. 946 : Καίσαρι δὲ λέγεται μὲν
 ἔτι σκότους ἀπὸ τῆς σκηνῆς κύκλῳ περιέοντι πρὸς τὰς ναῦς, ἄνθρωπος ἐλαύ-
 νων ὄνον ἀπαντήσας πυθμένῳ δὲ τοῦνεμα, γνωρίσας αὐτὸν, εἶπεν, ἐμοὶ μὲν
 Εὐτυχὸς ὄνεμα, τῷ δὲ ὄνοφ, Νίκων. Διὸ καὶ τοῖς ἐμβόλοις τὸν τόπον κοσμῶν
 ὕστερον, ἔστησε χαλκοῦν ὄνον καὶ ἄνθρωπον.

Templo. Vide supr., c. XVIII.

CAP. XCVII. *Conderet.* Scil. censum finiret, ut in Val. Max.,
 IV, I, 10 : « Africanus censor, quum *lustrum conderet*, etc. »

Tabulis. Quia nuncupata vota, teste Festo, in *tabulas, præ-*
sentibus multis, referri solenne erat.

Suscepturum. Vota *suscipi* dicebantur, quum nuncupando se
 voti reos faciebant. Plin. Jun., *Paneg.*, LXVII, 5 : « Digna vota,
 quæ semper suscipiantur, semperque solvantur. »

Effluxit. Dio, LVI, p. 589 : Κεραινὸς ἐς εἰκόνα αὐτοῦ ἐν τῷ Καπι-
 τωλίῳ ἑστῶσαν ἐμπεσῶν, τὸ γράμμα τὸ πρῶτον τοῦ ὀνόματος τοῦ Καίσαρος
 ἰσχύανισεν.

Asturam. Insula in Volscis. Vide CELLAR., *Geogr. ant.*, II, 9,
 pag. 809.

CAP. XCVIII. *Alexandrina.* Classem *Alexandrinam* instituerat
 Augustus, auct. Lips., *Elect.* I, 8, ut ex Ægypto tributaria jam
 facta frumentum adveheret frumentantibus. Inde Senec., *epist.*
 LXXVII : « Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt,
 quæ præmitti solent, et nuntiare secururæ classis adventum : ta-
 bellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ adspectus est. »

Diripiendique pomorum. Vetus illa quidem locutio, cujus exem-
 pla occurrunt in Plaut., *Capt.*, IV, I, 72, et in ipso Cicerone,
Philipp. v, 3.

Κτιστήν. Videtur hic Masgabas ejus jussu colonos deduxisse Ca-
 preas a Neapolitanis permutatione acceptas.

Ad Thrasyllum. Qui fuit *sapientiæ professor*, et hoc nomine
 in contubernium Tiberii admissus. Themist., *Orat.* XII : Οὕτω καὶ
 οἱ πατέρες τῆς σῆς βασιλείας τοὺς προγόνους ταύτης τῆς τύχης προῆγον, τὸν
 Ἄρειον ἐκεῖνον ὁ Σεβαστὸς, ὁ Τιθέριος τὸν Θρασύλον.

Ex itinere. Tacit., *Annal.*, I, 5 : « Vixdum ingressus Illyri-
 cum Tiberius, properis matris litteris accitur. »

CAP. XCIX. *Corrigi.* Idem quod in Homer., *Iliad.*, XI, 424 :
 στόμα ἐρεῖσαι. Ubi Didymus : ἐρεῖσαι ἄρμόσαι ἢ ἐπικλιεῖσαι.

Mimum vitæ. Ut in Senec., *Epist.* LVIII : « Nec enim ullo efficacius exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas male agamus, assignat. »

Clausulam. Nempe, quia histriones plausum, extremam fabulæ *clausulam*, petere solebant. Horat., *de Arte poet.*, v. 155 :

. Donec cantor, vos plaudite, dicat.

Senec., *Epist.* LXXVII : « Nihil ad rem pertinet quo loco desinas; quocumque voles desine : tantum bonam clausulam impone. »

Rem narrat Dio, LVI, p. 590 : Κρότερον δὲ δὴ τινα παρ' αὐτῶν ἐμοίως τοῖς γελωτοποιῶσι, ὡς καὶ ἐπὶ μίμου τινὲς τελευτῆς, αἰτῆσας, καὶ πάντα τὴν τῶν ἀνθρώπων εἶς διέσκαψε.

Filia. Scil. Livilla.

In osculis. Morientem osculari solebant amici et sanguine proximi, qui aderant. Senec. *ad Polyb.*, xxxiv : « Cæsar patruus meus, Drusum Germanicum, patrem meum..... in complexu et osculis suis amisit. »

Defecit. Dio, LVI, p. 589 : Ὁ δ' εὖν Ἀύγουστος νοσήσας μετέλλαξε, καὶ τινα ὑποψίαν τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἢ Λιούζα ἔλαβεν.

Memor. Tacit., *Annal.*, II, 72 : « Tum ad uxorem versus, per memoriam sui oravit. »

Octavius. Tacit., *Ibid.*, I, 9 : « Multis hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus; quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitæ supremus; quod Nolæ in domo et cubiculo in quo pater ejus Octavius vitam finivisset. »

Consulibus. A. U. 767.

CAP. CI. *Bovillas.* Erant vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ. Inde *suburbaneæ* dicuntur a Prop., IV, I.

Quippe suburbaneæ parva minus urbe Bovilla.

Equester ordo. Id impetravit a cons. per Claudium perferendæ legationis patronum.

Intulit. Etiam noctu, teste Dion., LVI, p. 590 : Πρὸς δὲ δὴ τῆς φόβῃ γινόμενον εἰς ἵπποις παραλαβόντες, νοκτὸς ἐς τὸ ἄστυ ἐπέμψαν.

Porta. Tacit., *ub. sup.*, I, 8 : « Tum consultatum de honoribus, ex quæis maxime insignes visi : ut porta triumphali duceretur funus, Callus Asinius; ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere. »

Curia. Scil. Julia, ubi Victoriæ imaginem ipse posuerat. Dio, LI, p. 459 : Τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον, τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον καθιέρωσεν. Ἐνέστησε δὲ ἐς αὐτὸ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Νίκης καὶ τὸ νῦν ὄν.

Liberis. Quum Nœniam canere præficam (i. e. mulierem pretio adductam) in more erat.

Sumendas. De annulis in luctu mutatis, vide KIRCHMANN., de *Funeribus Rom.*, II, 17.

Sammorum collegiorum. Scil. pontifices, augures, septemviri epulonum et decemviri, Dion., LIII, p. 496. His postea accesserunt *sodales Augustales*, notante Cl. Hase.

D. Julii. H. e. pro *rostris novis* : ab his distinguuntur *rostra vetera*.

Vir prætorius. Nempe Numerius Atticus. Dio, LVI, p. 600 : Ἐκείνη (scil. Livia) δὲ δὴ Νουμερίῳ τιγὶ Ἀττικῷ βουλευτῇ, ἐστρατηγηκότι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἐχαρίσατο, ὅτι τὸν Ἀλγούστον ἐς τὸν οὐρανὸν, κατὰ τὰ περὶ τε τοῦ Προκλοῦ καὶ περὶ τοῦ Ρωμύλου λεγόμενα, ἀνιόντα ἐωρακέναι ὤμοσε.

Discincti. Quasi rei militaris disciplina atque auctoritas una cum Augusto periisset.

Mausoleo. Ita describitur a Strab., v, p. 163 : Ἀξιολογώτατον δὲ τὸ Μουσώλειον καλούμενον, ἐπὶ κρηπίδος ὑψηλῆς λευκολίθου πρὸς τῷ ποταμῷ χώμα, ἄχρι κορυφῆς τοῖς ἀειθαλέσι τῶν δένδρων συνηραφές. Ἐπ' ἄκρῳ μὲν οὖν εἰκὼν ἐστὶ χαλκῇ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος ὑπὸ δὲ τῷ χώματι θῆκαι εἰσὶν αὐτοῦ, καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων ὀπισθεν δὲ μέγα ἄλσος, περιπάτους θαυμαστοὺς ἔχον.

CAP. CII. *Consulibus*. A. U. 766.

Codicibus. H. e. duobus voluminibus, quorum alterum ipse, alterum liberti conscripserunt, interpr. Cl. Hase.

Liviam. Dio, LVI, p. 590 : Τὸ δὲ λοιπὸν τῇ Λιευίᾳ, ὡς τινὲς λέγουσιν ἵνα γὰρ τί καὶ ἐκείνη τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀπόνηται, παρὰ τῆς βουλῆς ἠτήσατο τοσοῦτον αὐτῇ καὶ παρὰ τὸν νομὸν καταλιπεῖν δυναθῆναι. Utrum lex illa, de qua in h. l. Dio mentionem habet, Voconia fuerit, an Papia Poppæa incertum.

Secundos. De *secundis* hæredibus, vide *Cæs.*, LXXXIII.

Tres. Neronem, Drusum et C. Cæsarem.

Confiscatam. Scil. in fisciis reconditam.

Paternis. Nempe Octavii et Julii Cæsaris.

Accidisset. Sic in *Cæs.*, LXXXVI, mortem proprio vocabulo non significat.

De tribus. Dio, LVI, p. 591, *quatuor* illata dicit; *quartum* autem quod ab Augusto relicta Tiberio et reipublicæ gubernandi præcepta cum tertio Suetonius conjunxit, monente Cl. Hase.

Altero. Hujus partem habemus in monumento Ancyrano.

IN TIBERIUM NERONEM.

CAP. I. *Acceptit.* Præter virgines vestales, nemo in urbe sepe-
liebatur, nisi de republica optime meritis. Vide KIRCHMANN., *de*
Funerib. Rom., II, 26.

Quo significatur. GELL., XIII, 22 : « Id Sabini accepisse a
Græcis videntur, qui vincula et firmamenta membrorum *νεῦρα* di-
cunt. » Non e græco fonte cadit, ut opinor, illud vocabulum; sed
e sanscrita voce quæ idem sonat atque *vir*; inde *fortis*, *strenuus*.

CAP. II. *Cæcus.* Liv., *Epit.*, XIII : « Cineas legatus a Pyrrho ad
senatum missus petiit, ut componendæ pacis causa rex in Urbem
reciperetur, de qua re quum ad frequentiore senatum referri
placuisset, Appius Claudius, qui propter valetudinem oculorum
jam diu consiliis publicis se abstinuerat, venit in curiam, et sen-
tentia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. »

Expulit. Cf. VELL., II, 38, et FLOR., II, 25. Cognominis ra-
tionem exhibet Seneca, *de Brev. vitæ*, XIII : « Quis Romanis pri-
mus persuasit navem conscendere? Claudius is fuit, *caudex* ob
hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus *caudex*
apud antiquos vocabatur. »

Asdrubalem. De quo Horat., *Od. IV*, IV, 37 :

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Asdrubal
Devictus.

Claudius Drusus... *tentavit.* Nec de homine, nec de re quid-
quam compertum.

Discit. Rem ita narrat Liv., *Epit.*, XIX.

Plebeio. Scil. P. Fonteio.

Minori. Cic. *pro Domo*, XIV : « Factus es ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisti. »

Fratrem. Cic. *pro Cælio*, XIV, et Val. Max., V, 4, 6, *patrem* dicunt. Erravit ergo Noster, vel alios auctores secutus est, vel h. l. librarii culpa subest, ut arbitratur Pighius, *Annal.*, t. II, p. 473.

CAP. III. *Avo.* Scil. L. Liv. Druso Claudiano.

Salinator. Unde cognomen illud venerit docet Liv., XXIX, 37. « Vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt... Inde Salinatori Livio inditum cognomen.

Condemnassent. Causam docet Frontin., IV, I, 47 : « M. Salinator consularis damnatus est a populo, quod prædam non æqualiter diviserat militibus. »

Propræto. Intell. : *quum proprætor esset*, quæ forma ablativi pro nominativo frequenter est usitata apud Nostrum. Cf. *Neron.*, XL.

Abnepos... reliquit. M. Livius Drusus, T. Gracchi in tribunatu collega, de quo Plutarch., in *Gracch.*, p. 838 : Ἦν γὰρ εἰς καὶ τοῦ Γάτου συναρχόντων Λίβιος Δροῦσος, ἀνὴρ οὔτε γεγονώς τινος ἰωμάκιων, οὔτε τεθραμμένος χειρὸν ἤδη δὲ καὶ λόγῳ, καὶ πλούτῳ ἐν τοῖς μάλιστα τιμωμένοις καὶ δυναμένοις ἀπὸ τούτων ἐνάμιλλος.

CAP. IV. *Præpositus.* Auctor *Bell. Alexand.*, XXV : « Cæsar classem jubet expediti atque instrui : præficit huic Tiberium Neronem. »

Contulit. Dio, XLII, p. 204 : Ὡστε καὶ τοὺς λοιποὺς μηκέτι τολμῆν παρακομίζεσθαι, μέχρις οὗ Τιβέριος Κλαύδιος ὁ Νέρων ἐς αὐτὸν τότε τὸν ποταμὸν ἀναπλεύσας, ἐκείνους τε μάχῃ ἐκράτησε, καὶ τοῖς σφετέροις ἀδείεστερον τὸν πρόσπλουον ἐποίησε.

Decementibus. Inter quos Cic., cujus orationem qua ἀμνησίαν suasit meminit Dio, XLIV, p. 250-256.

Insignibus. H. e. fascibus.

Ad pileum. Intell. ad libertatem; servi enim, quum per manumissionem liberî fierent, *pileum* capite solebant imponere. Inde *pileum* pro libertate. Senec., *epist.* XLVII : « Dicit nunc aliquis, me vocare ad pileum servos, » et Martial., II, 48, 4 :

Totis pilea sarcinis redemi.

Rediit. Tacit., *Annal.*, v, 1, 2 : « Qui (sc. Tiberius Nero) bello perusino profugus, pace inter Sext. Pompeium ac triumviros pacta, in Urbem rediit. »

Augusto. Vide sup. *August.*, LXII.

Cap. V. In Palatio. H. e. in Palatii regione, vide *ibid.*, v.

Consulibus. A. U. 712.

Cap. VI. Exercitum. Sic Plin., *Paneg.*, LXXXVI : « Intelligimus, Cæsar, quantum tibi pro laboriosa illa statione et exercita debeamus. »

Fugæ. Vell., II, 75, 3 : « Livia fugiens mox futuri sui Cæsar's arma, vix bimum hunc Tiberium Cæsarem... gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est. »

M. Gallio. Quis fuerit Gallius ille incertum.

Nomine abstinuit. H. e. hæreditatem repudiavit.

Triumpho. A. U. 725. Vide supra *August.*, XXII.

Funali equo. — *Funalis* equus erat, qui extra jugum, sive ante, sive a latere jungebatur.

Et Trojanis. Nihil difficultatis h. l. supererit, si, monente Cl. Hase, resecto et legas : « Trojanis Circensibus ductor turma puerorum majorum. »

Cap. VII. Rudiaris. H. e. rude donatis : ad arenam revocari non poterant inviti. Idecirco Tiberius magno pretio eos, ut pote peritissimos pellexit, ut ludos suos celebriores redderet.

Absens. Vide supra *August.*, XLIII.

Epistolæ. Senec., *epist.* XXI : « Nihil illi profuisset gener Agrippa, et Tiberius progener, et Drusus Cæsar pronepos : inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum applicuisset. »

Marito. Nempe Agrippa. Vide *Aug.*, LXIII.

Tumentibus. Scil. obortis lacrymis, sed nondum effusis, monent. Burmann.

Custoditum. H. e. cautum.

Intercepto. Intell. mortuo.

Amisit. Vell., II, 97 : « Drusum magna ex parte domitorem Germanicæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, consulem agentem annum trigesimum rapuit. » Ad quem ægotantem quam celerrime profectus erat. Cf. VAL. MAX., v, 5.

CAP. VIII. *Archelaum*. Cappadociæ regem.

Murena. De conjuratione Fannii Cæpionis et Murenæ vide sup. *Aug.*, XIX.

Annonæ. A. U. 732. Vell., II, 94 : « Quæstor undevicesimum annum agens, capessere cœpit rempublicam, maximamque difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam ita Ostiæ atque in Urbe mandato vitrici moderatus est, ut per id quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. »

Ergastulorum. Quid fuerint ergastula monuimus in *August.*, XXXII.

Supprimerent. Scil. in vinculis haberent.

Metus. Ne militiæ dare nomen cogerentur.

CAP. IX. *Cantabrica*. Vide supra, *Aug.*, XX.

Tigrani. Cf. VELL., II, 94, ubi legitur : « Regnum ejus *Artavasdi* dedit. »

Alpinas. A. U. 739. Vell., II, 95 : « Uterque, divisus partibus, Rhætos Vindelicosque aggressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus, necnon directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, numero frequentes, feritate truces, majorum cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum eorum sanguine, perdomuerunt. »

Breucos. Dio, LV, p. 568 : Παννονικὸν ἔθνος. Cf. STRAB., VII, 5, 3, et PLIN., III, 25.

Ovans. A. U. 745. Dio, LV, p. 549 : ὁ δὲ δὴ Τιθέριος τῶν τε Δαλματῶν, καὶ τῶν Παννονίων ὑποκινησάντων τι αὐτοῖς, ζῶντος ἔτ' αὐτοῦ (scil. Druso) κρατήσας, τὰ τε ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἐπεμψε.

Curru Urbem... ingressus est. A. U. 747. Dio, LV, p. 553 : Τιθέριος δ' ἐν τῇ νευμνίᾳ ἐν ἡ ὑπατεύειν μετὰ Γναίου Πείσωνος ἤρξατο — τὰ τε νικητήρια ἤγαγε.

Putant. Alii contra putabant primum Agrippam hunc honorem fuisse assecutum.

Ornamentis. De his vide sup. *Aug.*, XXXVII.

CAP. X. *M. Agrippæ*. Vide sup. *Aug.*, LXVI.

Petiit. Vell., II, 99 : « Quum C. Cæsar sumpsisset jam virilem togam, Lucius item maturus esset veritus, ne fulgor suus orientium juvenum obstarèt initiis, dissimulata causa consilii, commeatum a socero atque eodem vitrico, acquiescendi a continuatione laborum petiit. »

CAP. XI. *Tantum non*. H. e. ut apud Græcos μένον εὐ, et μένον εὐχί, de qua locutione cf. doctiss. BURNOURF, *G. gr.*, p. 295.

Die. Scil. in ordinando quid singulis diei horis ageret. Ita Senec. *ad Polyb.*, xxv : « Non licet tibi tuo arbitrio diem disponere. »

Repudiumque. Intell. libellum quo *repudiū* causæ continebantur.

Officii duxit. H. e. putavit suum esse officium.

Corroboratis. Nempe, pubertatis annos egressis.

CAP. XII. *Legatus*. Jamdudum mos invaluerat, ut legatione donarentur qui etiam suarum non publicarum rerum causa abiissent. Cf. Cic. *ad Fam.*, x : « Quum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi reliquisse nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. »

Rhodum. Vell., II, 99 : « Illud etiam in hoc transcurso dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum venissent, semper privato (si illa majestas privata unquam fuit) fascēs suos summiserint, fassique sint otium ejus honoratius imperio suo. »

M. Lollii. De quo Plin., *H. N.*, IX, 35 : « Hic est rapinarum exitus; hoc fuit, quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia a Caio Cæsare Augusti filio, venenum biberet. »

Beneficii sui. Quos ipse suo beneficio ad illud munus promoverat.

CAP. XIII. *Pallium et crepidas*. I. e. græcum habitum sumpsit, docente Cl. Hase.

Nemansenses. Scil. Nemansi, Galliæ Narbonensis urbis incolæ. Gallice, ut creditur : *les habitans de Nîmes*.

Majoris filii. Nempe C. Cæsaris.

M. Lollio offensior. Scil. ejus fraudibus sibi a Phraate indicatis. Cf. VELL., II, 102, et PLIN., *H. N.*, IX, 35.

CAP. XIV. *Aræ*. Has posuit Antonius, docente Dione, LIV, p. 526 : Καὶ ἤδη γε καὶ περὶ τῆς μοναρχίας ἐνενοήει, ἐπειδὴ πρὸς τοὺς Φιλίππους αὐτῷ προσελαυνόντι πῦρ ἐκ τῶν βωμῶν τῶν ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ἐν τῷ ταφροῦματι ἰδρυθέντων αὐτόματον ἀνέλαμψε.

Geryonis oraculum. De hoc nihil compertum.

Aponi. Lucan., VII, 202 :

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi.

Summum numerum. Scil. jactum venereum, qui habebatur felicissimus. Cf. supra, *Aug.*, LXXI.

Conspecta. Aquilam Rhodum non habere testatur Plin., *H. N.*, X, 29. De re luculentissimum Apollonidæ carmen vide in *Anth. græc.*, vol. II, p. 121, et *Animadv. Jacob.*, vol. II, part. I, p. 362.

Thrasyllum. De quo sup. *Aug.*, xcviII.

Præcipitare in mare. Cf. DION., LV, p. 556. Ita Zonar., *Ann.*, II, p. 167 : Λόγος ἔχει, ὅτι μελλήσας ποτὲ ἐν τῇ Ρόδῳ τὸν Θράσυλλον ἀπὸ τοῦ τείχους ὤσειν, ἐπειδὴ μόνος αὐτῷ πάνθ' ἔσα ἐνενόει συνήδει.

CAP. XV. *Coactus.* Tacit., *Annal.*, I, 3 : « Germanicum, Druso ortum, adsciri per adoptionem a Tiberio jussit, quanquam esset in domo Tiberii filius juvenis. »

Peculio. Peculium dicebatur, quidquid pater vel dominus, filium suum vel servum in potestate sua habere et pro suo tractare arbitrio patiebatur.

Abdicato. Vide sup. *August.*, ~~xvii~~. LXV +

CAP. XVI. *Rursus.* Postulante Augusto : Tacit., *Ann.*, I, 10 : « Augustus, paucis ante annis, quum Tiberio tribunitiam potestatem a patribus rursus postularet. »

Delegatus... status. Impeditus quidem locus, quem Casaubon. mutandum censuerit. Disertissime Cl. Hase : « Dixisse videtur auctor *pacandæ Germaniæ status*, vitaturus ἠμοιοτέλευτα *delegatus pacandus*, vel *delegata pacanda Germania provincia*, quod aures hoirescerent.... Est igitur nostri loci sensus : *demandatus est Tiberio status Germaniæ*, i. e. *ipsa Germania, ut pacanda ; pacationis indigens.* »

Defectione. A. U. 759.

Gravissimum. Vell., II, 110 : « Tantus hujus belli fuit metus, ut stabilem illum et firmatum tantorum bellorum experientia Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani, viri, feminaeque ex censu libertinum coactæ dare militem. Audita in senatu vox principis :

decimo die ni caveretur, posse hostem in urbis romanæ venire conspectum. »

Utro. Jungendum verbo *instaret*, non *cedentibus* docet Cl. Hase.

CAP. XVII. Tempus. Vell., II, 117 : « Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæsar manum, quum intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, etc. »

Triumphus... honores. Dio, LV, p. 582 : Ἄλλαι τε τινές τιμαί, καὶ ἀψίδες ἐν τῇ Παννονίᾳ τροπαιοφόροι δύο ἐδόθησαν.

Prætextatus. Triumphi autem insignia erant tunica palmata, toga picta et corona laurea.

In Septis. De Septis, vide sup. *Aug.*, XLIII. Rem Dio narrat, IVI, p. 572 : Ὁ Τιβέριος ἐπὶ τῶν Ρώμην ἀναστρέψας ἐπὶ αὐτῶν καὶ ἐδούλους ἐς τὸ πρῶστοιον ἀπαντήσας, ἤλθε τε μετ' αὐτοῦ ἐς τὰ Σεπτὰ, κἀνταῦθα ἀπὸ ἐχθρατῶν τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ μετὰ τοῦτο τὰ τε ἄλλα τὰ προσήκοντα ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ἐποίησε, καὶ θεὰς ἐπιπικύσας διὰ τῶν ὑπάτων.

CAP. XVIII. Germania. A. U. 763.

Ducis. Ita Vell., II, 120 : « Ex quo apparet Varum sane gravem et bonæ voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum. »

CAP. XX. Egît. A. U. 765. Vell., II, 121 : « In Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatatum, ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum. »

Batonem. De quo Dio, LV, p. 568 : Ἐνάργουτες αὐτοῦς ὅτι μάλιστα Βάτωνός τις ἀσιδιάτου, τὸ μὲν πρῶτον ἕλιγαι τινὲς ἐνεωτέρισαν. Ovid., *Pont.*, II, I, 45 :

Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt,

In quibus et belli summa caputque Bato.

Nomine. Dio, LV, p. 567 : Καὶ ὅτι τὸ Λισακούρειον ὁ Τιθέριος καθιερώσας, οὐ τὸ ἐκαστοῦ μόνον ὄνομα αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκείνου (sc. Drusi) ἐπέγραψε.

CAP. XXI. Administraret. Vell., II, 121 : « Senatus populusque romanus, postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omni-

bus provinciis exercitibusque esset, quum decreto complexus esset. »

Simulque... profectus est. Vide sup. *Aug.*, xx, et xcvi.

Tractum. Cf. *TACIT.*, *Annal.*, I, 10. Sic Dio, lvi, p. 599 :

Τοσούτον δ' οὖν τὸ σύμπαν ἀλλήλως διήνεγκαν, ὥστε τινὰς καὶ ἐς τὸν Αὐγούστου ὑποπευθεῖσαι, ὅτι ἐξεπίτηδες τὸν Τιθέριον, καίπερ εὖ εἰδὼς ὅποιος ἦν, διάδοχον ἀπέδειξεν, ἵνα αὐτὸς εὐδοχήσῃ.

Στρατηγῶν. De Augusto, *Horat.*, *Od.* III, 4, 37 :

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.

Ita sim felix. Formula quædam asseverandi, ut in *Propert.*, I, 7, 3 :

Atque ita sim felix, primo contendis Homero.

Rem. Ut dixit Ennius de Fabio; pro *cunctando Augustus vigilando* posuit.

Homericus. — *Iliad.*, x, 246.

CAP. XXII. *Interemto.* *Tacit.*, *Annal.*, I, 6 : « Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio ægre confecit. »

Reliquisset. *Tacit.*, l. c. : « Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit; patris jussa simulabat, quibus præscripsisset tribuno custodiæ appposito ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. »

Respondit. Idem narrat *Tacit.*, l. c.

CAP. XXIII. *Libertum.* Polybius, Augusti libertus, qui partim testamentum scripserat, notante Cl. *Hase.*

CAP. XXIV. *Neque occupare... dubitasset.* *Tacit.*, *Ann.*, I, 7 : « Defuncto Augusto, signum prætoris cohortibus ut imperator dederat; excubiæ, arma, cetera aula; miles in Forum, miles in Curiam comitabatur; litteras ad exercitus, tanquam adepti principatu, misit; nusquam cunctabundus, nisi quum in senatu loqueretur. »

Suspendens. *Tacit.*, *Annal.*, I, 11 : « Plus in oratione tali digni-

tatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba; tunc vero, nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.

Verba. Dio, LVII, p. 607: Εὐχετό τε ἑσάκις τοιοῦτόν τι ἄρα πέσει, τοσεῦτον καὶ ζῆσαι καὶ ἄρξαι χρόνον, ὅσον ἂν τῷ δημοσίῳ συμφέρη.

CAP. XXV. Tenere. Intell., *In eo statu esset, ut sine periculo rempublicam nec recipere nec deponere auderet*: græce τῶν ὀτῶν ἔχω τὸν λύκον, proverbium inde natum, quod lupus, quippe qui breviores habeat aures, iis teneri non potest, neque rursus citra summum periculum e manibus dimitti. Sic Terent., *Phorm.*, III, 2, 21 :

Mihin' domi est? immo id quod aiunt, auribus teneo lupum,
Nam neque quomodo amittam a me invenio, neque uti
Retineam scio.

Secundus autem versus Benteleio spurius videtur.

Clemens. A. U. 769. Cf. Tacit., *Annal.*, II, 39 sq.

Moliebatur. Tacit., *ibid.*, 27.

In Illyrico. Tacit., *Annal.*, I, 16-30.

In Germania. *Ibid.*, 31-50.

Flagitabant. Dio, LVII, p. 604: Τό τε σύμπαν, εἴθ' ὑπὲρ ἑκκαὶ δεκά ἔτη στρατεύεσθαι ἤθελον, καὶ δραχμῶν ἡμερησίαν φέρειν, τὰ τε ἄλλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἤξιον. Cf. Tacit. eadem dicentem, *Annal.*, I, 26.

Germanicum. Nempe milites in Germania bellantes.

Resistentem. Tacit., *Annal.*, I, 35: «Faustis in Germanicum omnibus; et si vellet imperium, promptos ostentavere. Tum vero quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma, minitantes ni regrederetur. At ille moriturum potius quam fidem exuere clamitans, ferrum a latere diripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinissent.»

Senatui liberet. Tacit., l. c., 12: «Inter quæ senatu ad infimas obtestationes procumbente dixit forte Tiberius, se, ut non toti reipublicæ parem, ita quæcumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum.»

Fraude. Ista scil., docente Tacit., *Annal.*, II, 40: «Dat nego-

tium Sallustio Crispo; ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit, atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut jussum erat; dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum, clauso ore, in palatium traxere. Percunctanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur, Quomodo tu Cæsar. Ut ederet socios subigi non potuit. Nec Tiberius pœnam ejus palam ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri. »

Secespita. Dicit Festus *secespitam* esse cultrum ferreum, oblongum, manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro argentoque, fixum clavis æneis, ære cyprio, quo flamines, flaminicæ virgines, pontificesque ad sacrificia utebantur. Vide *secespitæ* imaginem in *Thes. Græv.*, t. v, p. 316, insig. Pont. Max., tab. 7.

Secretum. Scilicet colloquium, quod addit Tacitus, *Annal.*, III, 40.

CAP. XXVI. *Incurrentem.* H. e. in a. d. XVI kal. dec., quo tempore celebrare solebant *plebeios* circenses in circo Flaminio ædiles plebis. Hos recte monet Cl. Hase distinguendos a *magnis* sive Romanis, de quibus vide sup. *Aug.*, XXIII.

Juraretur. Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Neque in actu suo jurari, quamquam censente senatu, permisit. » Cf. DION., LVII, p. 607.

September. Zonar., *Annal.*, II, p. 173 : Τῷ δὲ γε Τιβερίῳ τῆς βουλῆς ἐγκριμένῃς, καὶ τὸν γούν μῆνα τὸν νοέμβριον, ἐν ᾧ τῆ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα ἐγεγέννητο, Τιβέριον καλεῖσθαι ἀξιούσης· καὶ τί, ἔφη, ποιήσετε, ἂν δεκατρεῖς Καίσαρες γένωνται

Patris patriæ. Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Nomen Patris Patriæ Tiberius, a populo sæpius ingestum, repudiavit. »

Civicam. Quæ in vestibulo ædium Palatinarum ponebatur, teste Ovidio, *Fast.*, I, 614 :

Protegat et vestras querna corona fores.

Addidit. Dio, LVII, p. 607 : Τὸ τοῦ Αὐγούστου οὐκ ἐπέθετο μὲν (οὐδὲ γὰρ ψηφισθῆναι ποτε εἶσαε) λεγόμενον δ' ἀκούων, καὶ γραφόμενον ἀναγινώσκων, ἔφερε.

Unum. A. U. 771, Tacit., *Annal.*, II, 53.

Alterum. A. U. 774, cum Druso filio, Tacit., *Annal.*, III, 31.

Tertium absens. A. U. 784, quum Capreis degeret.

CAP. XXVII. *Admiserit.* Dio, LVII, p. 609 : Ἔτε ποτε ἐπὶ τοῦ δι-
φροῦ ἐκομίζετο, οὐδένα εἰ παρακλυθεῖν οὐχ ὄπω; θεουλευτήν, ἀλλ' οὐδ' ἰπ-
πέα τῶν πρώτων, εἴα.

Consularem. Nempe Q. Haterium, auct. Tacit., *Ann.*, I, 13.

Dominus. Tacit., *Annal.*, II, 87 : « Acerbe increpuit eos, qui
divinas occupationes, ipsumque *dominum* dixerant. »

CAP. XXVIII. *Aperueritis.* Sic Terent., *Heaut.*, III, I, 72 :

Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.

CAP. XXIX. *Salutarem.* Scil. salutem curantem, ut Cic., *de*
Finib., III, 20 : « Atque etiam Jovem, quum *Salutarem* dicimus,
hoc intelligi volumus *salutem* hominum in ejus esse tutela. »

CAP. XXX. *Conservatis.* Tacit., *Annal.*, III, 60 : « Sed Tibe-
rius vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui
præbebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mit-
tendo. »

Referretur. Dio, LVII, p. 606 : Αὐτὸς μὲν καθ' ἑαυτὸν ἢ τι ἢ ὀλίγον
τι ἐπραττεῖ πάντα δὲ ὅη καὶ τὰ μικρότατα εἰς τε τὴν γερουσίαν ἐσέφερε.

Descriptione. I. e. non modo constituendo legionum et auxi-
liorum numero, uti Ernestius, sed disponendis etiam iis, distri-
buendisque per provincias, docente Cl. Hase.

Quondam. A. U. 770.

Æger. Dio, LVII, p. 614 : « Οὕτω γὰρ τει κακῶς διέχευτο, ὥστε ἐν
σχιμποδίῳ καταστέγῳ εἰς τὸ συνέδριον ἐγκαμισθῆναι· νεμίζόμενον γὰρ πού
καὶ τοῖς ἀνδράσι, ἦν ποτε τις αὐτῶν ἀσθενῶς ἔχων ἐλεῖσε ἐσίει, κατακει-
μένον αὐτὸν ἐσφέρεισθαι. »

CAP. XXXI. *Censente.* « Notante Cl. Hase participii præsentis
pro ἀρίστω, ut Cæs., LXV, *admonens*; et ἀνακλόουθεν, apud Græcos
sæpius obvium quam apud Latinos. »

Trebianis. Scil. incolis Trebiæ, qui locus non multum fuit di-
stans ab Urbe Roma.

Discessionem. Quid per *discessionem* sit intelligendum liquet
ex Plin. *Epist.*, VIII, 14 : « Ita fieri jubebat lex; qui hæc senti-
tis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, qua
sentitis. »

Trahi. Scil. de die in diem duci, tardari.

Assurgere. Dio, LVII, p. 609 : Τούς τε ἀεὶ ἄρχοντας ὡς ἐν δημοκρατίᾳ ἔτιμα, καὶ τοῖς ὑπάτοις καὶ ὑπανίστατο.

CAP. XXXII. *De tribuendis.* Tacit., *Annal.*, III, 21 : « Eo proelio Rufus Helvius, gregarius miles, servati civis decus retulit; donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Cæsar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius, jure precon-sulis, tribuisset, questus magis quam offensus. »

Memorandi. De illa antiqua consuetudine Cic. *de Fin.*, II, 22 : « Est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo; et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de majoribus tuis et de te ipso dices, more majorum. »

Remisit. Dio, LVII, p. 603 : Ἐπειδὴ ποτε οἱ Ῥωδίων ἄρχοντες ἐπιστελλαντές τι αὐτῶ, οὐχ ὑπέγραψαν τῇ ἐπιστολῇ τοῦτο δὴ τὸ νομιζόμενον, εὐχὰς αὐτῶ ποιούμενοι· μετεπέμψατο μὲν σπουδῆ, ὡς καὶ κακὸν τι δράσων, ἐλθόντας δὲ οὐδὲν δεινὸν εἰργάσατο, ἀλλ' ὑπογράψαντας τὸ ἐνδέον ἀπεπέμψε. Cujusmodi fuerit subscriptio sæpissime usitata docet Plin., *Epist.*, X, 1 : « Fortem te et hilarem, imperator optime, et privatim et publice opto. » Cf. BRISSON, *de Formul.*, p. 324.

Sabbatis. Nomen ergo sabbati a Judæis ad Romanos jam venisse constat.

Præsidiibus. Æmilio Recto, Ægypti præsidi, majorem pecuniæ summam ex Ægypto mittenti, rescripsisse dicunt Dio, LVII, p. 608, et Zonar., *Annal.*, II, p. 172 : Ὅτι κείρεσθαί μου τὰ πρόβιατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξέρεσθαι βούλομαι.

CAP. XXXIII. *Varium.* Scil. nunc benignum et clementem, nunc sævum et immitem.

In parte primori. H. e. in tribunalis cornu, ex Tacit. *Annal.*, I, LXXV : « Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret. »

E plano. Scil. e loco non edito, seu inter reliquos judices : opponitur e quæstoris tribunalì.

Religionis. Namque, ex Ascon. in Cic., p. 48, jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent. Cod., III, 1, 4 : « Cui non est cognitum antiquos judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius juramentum præstitissent omnimodo se cum veritate et legum observatione judicium esse disposituros? »

CAP. XXXIV. *Corripuit.* Contraxit, imminuit, monente Torrentio.

Mercedibus. Nempe scenicis donationibus. Cf. Tacit., *Annal.*, I, 77.

Januarias. Quæ erant legitimum strenarum tempus. Vide sup. *Aug.*, LVII.

CAP. XXXV. *Gratiam.* H. e. jurejurando non teneri declaravit. Principes enim jus illud habuisse docet Cujac. ad *Novell.* 51.

Legum. Scil. Juliarum *de Adulteriis.*

Pœnas. Deportationem, sive exsilium. Vide sup. *Aug.*, v.

Prosteri. Tacit., *Annal.*, II, 85 : « Eodem anno (A. U. 772), gravibus senatus decretis libido feminarum coercita, cautumque, ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques romanus fuisset : nam Vistilia, prætoriam familiam genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. »

Utriusque ordinis. Nempe senatorii ordinis et equestris.

Subibant. Suam enim dignitatem amittere condemnati maluerunt, quam scenæ aut arenæ operam non edere.

Ademit. H. e. senatu movit.

Post diem. Scil. kalendas julii, locationibus et conductionibus habitationum constitutas. Quum autem sub illud tempus magna pars civitatis in villas et suburbana loca migraret, domus exinde vilis locari solebant.

CAP. XXXVI. *Ægyptios.* Joseph., *Ant. Jud.*, XVIII, 4 : Τῆς Ἰσίδος τὸν ναὸν καθεῖλεν, καὶ τὸ ἄγαλμα εἰς τὸν Τύβριν ποταμὸν ἐκέλευσε ἔμβαλεῖν Τιβέριος, ἱερεῖς τε ἀνεστύρωσεν.

Compscuit. A. U. 772. Tacit., *Annal.*, II, 85 : « Actum et de sacris ægyptiis judaicisque pellendis; factumque patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur. »

Sacramenti. H. e. legitimæ militiæ prætextu.

Gravioris cæli. Scil. in Sardiniam; Tacit., l. c. : « Et si ob gravitatem cæli interissent, vile damnum. »

Mathematicos. A. U. 769. Tacit. ub. sup., 32 : « Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta. »

CAP. XXXVII. *Continerentur.* A. U. 776. Tacit., *Ann.*, IV, 2 : « Vim præfecturæ, modicam antea, intendit, dispersas per Urbem cohortes una in castra conducendo; ut simul imperia accipe-

rent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus crearetur. »

Capita factionum. H. e. principes factionum.

Relegavit. A. U. 776, ex Tacit. *Annal.*, IV, 14.

Pollentina. Agitur de Pollentia, juxta *Alpes*, test. Plin., VIII, 48, et Cellar., *Geogr. Ant.*, II, 9, p. 659.

A Cottii regno. A quo *Alpes Cottiae* dicebantur. Marcellin., XV, 10 : « In his *Alpibus Cottiiis*, quarum initium est a Segasione oppido, præcelsum erigitur jugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. » Cf. CELLAR., ub. sup., p. 647.

Ademit. Dio, LVII, p. 619 : Καὶ Κυζικηνῶν ἡ ἐλευθερία αὐθις, ὅτι τε Ῥωμαίους τινὰς ἐδῆσαν, καὶ ὅτι καὶ τὸ ἡρώων, ὃ τῷ Ἀύγουστῷ παιῶν ἤρξαντο, οὐκ ἐξετέλεσαν, ἀφῆρηθη. Cf. TACIT., *Annal.*, IV, 36.

Maroboduum. Marcomanorum rex fuit : victus est ab Arminio A. U. 770, test. Tacit., *Annal.*, II, 46; desertus a suis A. U. 772 ad Tiberium confugit, Tacit. ub. sup. 62-63.

Rhascupolim. De quo Vell., II, 129 : « Qua illa prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui filii Cotys, consortisque ejusdem imperii evocavit. Singulari in eo negotio usus opera Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia quæ recte facienda sunt. » Cf. TACIT., ub. sup., 64-67.

Archelaum. Dio, LVII, p. 614 : Τὸν δὲ δὴ Ἀρχέλαον τὸν τῆς Καππαδοκίας βασιλεῖα δι' ἀργῆς σχολῶν, ὅτι αὐτοῦ μὲν ἐς τὴν Ῥόδον ἐλθόντος ἠμέλησε, τὸν δὲ Γάϊον ἐς τὴν Ἀσίαν ἐλθόντα ἐθεράπευσε, μετεπέμψατο, ὡς καὶ νεωτερίζοντά τι, καὶ τῇ τῆς γερουσίας ψήφῳ παρέδωκεν. Cf. TACIT., *Annal.*, II, 42.

Redegit. Dio, l. c. : Καὶ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο καὶ ἱππεῖ ἐπετρέπη.

CAP. XXXVIII. *Præpararet.* Tacit., *Annal.*, I, 47 : « Ceterum ut jam jamque iturus, legit comites, acquisivit impedimenta, adornavit naves : mox hiemem aut negotia varie causatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit. »

Vehiculis comprehensis. Hoc Tacit. significat dicendo : *impedimenta acquisivit.*

Commeatibus. — *Commeatus* dici judicant Ernest. et Oudendorp. non de cibariis, sed de jumentis vehiculisque, quæ certis intervallis mutabantur.

Callippides. Proverbium, translatum a Callippide, celebri tra-

gædiarum histrione, de quo Plutarch., *Apoph. Lacon.*, p. 212 : Καί ποτε Καλλιππίδης ὁ τῶν τραγωδῶν ὑπεκριτῆς ἄνεμα καὶ δόξαν ἔχων ἐν τοῖς Ἕλλησι, κ. τ. λ. De eo adhibebatur qui in molliendis negotiis, quum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret : ita in M. Varronis tarditatem qui dedicandi Ciceroni libri spem factam nunquam explebat, Cic. *ad Att.*, XIII, 12 : « Biennium præterit, quum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. »

CAP. XXXIX. *In Syria.* Nempe Antiochiæ, A. U. 772. Vide Tacit., *Annal.*, II, 69.

Drusus. Dio, LVII, p. 618 : Φαρμάκῳ διώλετο. Ὁ γὰρ Σηϊανὸς ἐπὶ τῇ ἰσχυρί, καὶ ἐπὶ τῷ ἀξιωματικῷ ὑπερμαχίῃσας, τὰ τε ἄλλα ὑπέρογκος ἦν, καὶ τέλος ἐπὶ τὸν Δροῦσον ἐγράπτετο, καὶ ποτὲ πύξ αὐτῷ ἐπέτενε. Φεβηθεῖς τε ἐκ τούτου καὶ ἐκείνων, καὶ τὸν Τιθέριον, καὶ ἅμα προσδοκίῃσας, ἂν τὸν νεανίσκον ἐκπεδὸν ποιήσονται, καὶ τὸν γέροντα ἄρῃστα μεταχειριεῖσθαι, φάρμακόν τι αὐτῷ διὰ τε τῶν ἐν τῇ θεραπείᾳ αὐτοῦ ἐντων, καὶ διὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ἦν τινες ἰαυλίαν, ἕτεροι δὲ Λιθίαν γράφουσι, ἔδωκε· καὶ γὰρ καὶ ἐμείλιξεν αὐτήν.

Omnium. Tacit., *Annal.*, III, 58 : « Ferebant periti cœlestium, iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur. Unde exitii causa multis fuit, properum finem vitæ conjectantibus vulgantibusque. Neque enim tam incredibilem causam providebant, ut undecim per annos libens patria careret. »

Rediit. Dio, LVIII, p. 620 : Ἀπεδήμηκε δὲ κατὰ τὸν καιρὸν τούτων ἐκ τῆς Ρώμης, καὶ οὐκέτι τὸ παρῶπαν ἐς τὴν πόλιν ἀνεκρημίσθη, καὶ τοὶ μίλλον τε αἰεὶ καὶ ἐπαγγελλόμενος.

Prætorio. Quid sit monuimus sup. *Aug.*, LXXII.

CAP. XL. *Quam causam.* Tacit., *Annal.*, IV, 57 : « Diu meditato prolatoque consilio, tandem Cæsar in Campaniam, specie dedicandi templa, apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul Urbe degere. »

Maris. Tacit. ub. sup., 67 : « Solitudinem ejus (scil. insulæ) placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia, neque appulerit quisquam, nisi gnaro custode. »

Millia. Tacit. ub. sup., 64 : « Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt. »

CAP. XLI. *Decurias*. De re militari intelligendum putant Oudendorp., Wolf., aliique viri doctiss.

Præfectosque. Scil. alarum.

Hispaniam... habuerit. Hispania et Syria inter Cæsaris provincias numerabantur. Provinciarum autem *Cæsarearum*, docente Cl. Hase, præsides *legati Cæsaris* vel *proprætores* dicebantur, quamquam consulares essent.

CAP. XLII. *Profudit*. Dio, LVII, p. 615 : Τιθέριος δὲ ἐπεὶ τὸ ἐφεδρεῦεν οὐκέτι εἶγεν, ἐς πᾶν τοῦναντίον τῶν πρόσθεν εἰργασμένων αὐτῶ, πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν, περιίστη.

Aviditatem. Plin., XIV, 22 : « Ipsa juventa ad merum prior fuerat. »

Biberius... vocabatur. Aurelius Victor, *Epit.* II, 2 : « Iste, qui Claudius Nero dicebatur, eleganter a jocularibus, Caudius Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est. » Inde carmen allatum a Burmann., cujus clausula :

Exinde plebs Quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caudium Biberium Meronem.

Correctione. Vide sup. XXXIII.

Consumsit. Plin., XIV, 22 : « Eaque commendatione credidere L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum, jam principem. » Cf. SENEC., *epist.* LXXXIII.

Codicillis. De quibus vide sup. XXII.

Condixit. H. e. prior et ultro denunciavit se apud illum cœnaturum. Cf. Plaut., *Men.*, I, 2, 15.

Boleti. Inter fungos primum locum obtinent. Deliciæ erant Magnatum et quidem pretiosiores. Mart., XIII, 47 :

Argentum atque aurum facile est, lanamque togamque
Mittere, boletos mittere difficile est.

CAP. XLIII. *Sellariam*. Quod Noster *sellariam*, Tacitus *sellarium* dicit, *Annal.*, VI, 1 : « Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum et spintriarum ex fœditate loci et multiplici patientia. »

Elephantidis. Meminit Mart., XII, 43, 4 :

Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.

CAP. XLIV. *Dedicavit*. Vide PLIN., XXXV, 10 : « Parrhasius cubiculo suo inclusit. »

CAP. XLV. *Atellanico exodio*. In Atellanis fabulis (sic dictis a civitate Oscorum Atella) exodia erant diverbia, quæ præter argumentum fabulis inserebantur, ad risum movendum, egressis e scena tragœdis. Juven., VI, 71 :

Urbicus exodio risum movet Atellanæ.

Sic de *exodiariis* schol. Juven. in sat. III, 175 : « Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret. »

CAP. XLVI. *Parcus et tenax*. Videtur auctor, ut dicit Cl. Hase, de parcimonia tantum loqui, quam erga se ipsum suosque observavit, test. Dion., LVII, p. 618 : Ἐλάτιστα γὰρ ἐς αὐτὸν δαπανῶν πλείστα ἐς τὸ κοινὸν ἀνέλασκει. Cf. TACIT., *Annal.*, I, 75.

Classibus. H. e. ordinibus : veteres enim in varias *classes* amicos ordinabant. Senec., *de Benef.*, VI, 34 : « Apud nos primi omnium C. Gracchus et mox L. Drusus instituerunt segregare turbam suam... habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt et secundos. » Cf. LAMPRID., in *Alexandr.*, XX.

CAP. XLVII. *Imperfecta*. Tacit., *Annal.*, VI, 45 : « Ne publice quidem, nisi duo opera, struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri, *caque perfecta*, contemptu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit. »

Ferret. Senec., *de Benef.*, II, 7 : « Tiberius Cæsar rogatus a Nepote Marco Allio prætorio, ut æri alieno ejus succurreret, edere illi sibi nomina creditorum jussit... Puto noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. »

Probassent. Vell., II, 129 : « Senatorum censum, quum id senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui. »

Hortalum. De quo Tacit., *Annal.*, II, 37 : « Nepos erat Hortensii, illectus a D. Augusto liberalitate decies sestertii, ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia exstingeretur. »

CAP. XLVIII. *Insularum.* Quid fuerint *insulæ* vide sup. *Cæs.*, XLI.

Restituito. Vell., II, 130 : « Qua liberalitate, quum alias tum proxime incenso monte Cœlio, omnis ordinis hominum jacturæ, patrimonio occurrit suo. » Cf. TACIT., *Annal.*, IV, 64, et DION., LVIII, p. 638.

Collocarent. Tacit., *Annal.*, IV, 17 : « Ad hoc senatus præscripserat, duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam collocaret. »

Jusserit. Non ipse autem jussit, at senatus, auct. Tacit., *Ann.*, IV, 64 : « Adduntur sententiæ, ut mons Cœlius in posterum Augustus appellaretur. »

Duplicata. Ad comprimendam militum seditionem. Tacit., *Annal.*, I, 36 : « Volutatis inter se rationibus, placitum ut epistolæ nomine principis scriberentur.. legata, quæ petiverant, exsolvi duplicarique. »

Excepta Asia. Asiam enim sublevavit, test. Oros., VII, 4 : « Sane Asiæ civitates illo terræ motu dirutas, tributo dimisso, propria etiam liberalitate donavit. »

Motu. De hoc Plin., II, 84 : « Maximus terræ memoria mortalium exstitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis. »

CAP. XLIX. *Augurem.* Senec., *de Benef.*, II, 27 : « Cn. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent (hic quater millics sestertium suum vidit) ingenii fuit tam sterilis, quam pusilli animi. »

Lepidam. A. U. 773. Cf. TACIT., *Annal.*, III, 22. Hinc proavi erant, super Æmiliorum decus, L. Sulla ac Cn. Pompeius.

Confiscatos. H. e. spoliatos suis bonis, quæ publicata ad *fiscum* delata fuerant.

Haberent. Tacit., *Annal.*, VI, 16 : « Interea magna vis accusatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, adversum legem dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cavetur, omissam olim quia privato usui bonum publicum postponitur. » Quid hac lege sancitum fuerit docet Dio,

XII, p. 171 : Ἀπηγόρευσε μηδένα πλείον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραγμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσίῳ κικτῆσθαι.

Jus metallorum. Aurum, argentum e terra eruendi.

Occisum. Cf. Tacit., *Annal.*, II, 68. Occisum quoque Vononem dicit, sed ita ut sit imperator extra culpam : « Per idem tempus... mortem Vononi illatam. »

Cap. L. Agebat. De restituenda libertate Drusum semper cogitasse fama erat. Tacit., *Annal.*, I, 34 : « Drusi magna apud populum romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. »

Præbitisque. Nam ex mariti bonis certam pecuniæ summam quotannis a marito præbendam stipulari uxor solita erat, docente Rævard., *de Div. reg. jur.*, xxviii.

Libit filius. Dio, lxxii, p. 610 : Ἄλλοι καὶ τὸν Τιβέριον ἀπ' αὐτοῦ (scil. a Livio) ἐπικληθῆσθαι ἔδειξαντο. ὅπως, ὅσπως αἱ Γαίαιαι πατρῶθιν, οὕτω καὶ ἐκείνος μητρῶθιν ἐνομάζηται.

Parentem patriæ. Tacit., *Annal.*, I, 14 : « Alii parentem, alii matrem patriæ appellandam censebant. »

Absineret. Zonar., *Annal.*, II, p. 173 : Καὶ τέλος τῶν μὲν δημοσίων παντάπασιν αὐτὴν ἀπήλλαξε, τὰ δ' οἷμαι διακίνει οἱ ἐραεῖς.

Cap. LI. Decurias. Nempe judicum; horum enim nomina in albo scribebantur.

Albo. Dicitur de tabula albo colore inducta, in quo, ut supra monuimus, nomina judicum legebantur, secundum cujusque ordinem. Senec., *de Benef.*, III, 7 : « Non potest ad hæc sumi judex ex turba selectorum, quem census in album et equestris hereditas misit. »

Æsacrario. Locum esse dicit Casaubon. Augusto consecratum, in quo ejus imago habebatur. Ibidem Livia servabat accuratissime pretiosiora κειμήλια sibi ab Augusto relicta.

Curavit. Dio, lxxiii, p. 621 : Αὐτὴν ὁ Τιβέριος οὕτω νεοῦσαν ἐπεσκήψατο.

Defunctamque. Natam octoginta sex annos, ex Dion., l. c. : Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ ἡ Λευκία μετέλλαξεν, ἑξ καὶ ἑβδομήκοντα ἔτη ζήσασα.

Consecrari. Dio, ibid. : Οὐ μὲν οὐδὲ ἐς τιμὴν ἄλλο τι αὐτῆ, πλὴν τῆς δημοσίας ἐκέρχῃ καὶ εὐλογίῳν, ἐτίμων τι τινῶν οὐδενὸς ἀξίον ἐνεμειν' ἀθανασιοῦσθαι δὲ αὐτὴν ἀντικαρῶς ἀπηγόρευσεν. Cf. Tacit., VI, 1 et 2

Antliam. Antlia erat aquaria quædam machina, quæ pedum

nisu et agitatu aquas per modiolas atque haustra attollebat.
Mart., IX, 14, 4 :

Curta laboratas antlia tollit aquas.

Ad aquam autem antlia hauriendam damnari supplicii genus erat, cujus meminit Artemidor. τῆς ὄνειροκρ. I, 50 : Οἶδα δὲ τινα, ὃς ἔδοξα τοῦ παντὸς σώματος ἄτρεμα μένοντος, τοὺς πόδας αὐτοῦ μόνους βαστάζειν· καὶ προβαίνειν μὲν βραχὺ, ὥμως δὲ κινεῖσθαι. Συνέθη αὐτῷ εἰς ἀντλία καταδικασθῆναι.

CAP. LII. *Alterius*. Nempe Drusi.

Tantum non. H. e. fere, ut jam monuimus.

Rediit. Dio, LVII, p. 618 : Αἰτίαν μὲν γὰρ ὁ Τιβέριος εἶλαεν, ὅτι μῆτε νοσοῦντος τοῦ Δρούσου, μὴτ' ἀποθανόντος ἔξω τι τῶν συνήθων ἐπραξε, μῆτε τοῖς ἄλλοις ποιῆσαι ἐπέτρεψεν.

Inconsulto se. Tacit., *Annal.*, II, 59 : « Tiberius, cultu habitusque ejus lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte principis, Alexandriam introisset. »

Cn. Pisonem. Tacit., *ibid.*, 69 : « Sævam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisonē accepti. » Vide *ibid.*, 71.

Mandata prolaturum. Tacit., *Annal.*, III, 16 : « Audire me memini ex senioribus, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos ejus dicitavisse, litteras Tiberii et mandata in Germanicum continere, ac destinatum promere apud patres, principemque arguere, ni elusus a Sejano per vana promissa foret; nec illum sponte extinctum, verum immisso percussore. »

Nisi ea secreta. Huic loco subobscuro, varieque a doct. viris tentato, lumen affert Cl. Hase : « Nisi id ipsum, quod ea mandata secreto data erant, obstaret, ... Tiberius non ipse ore vel codicillis mandata illa Pisoni dederat; sed per alios et tam secreto, ut auctorem sciret quidem Piso, sed prodere non posset. »

Per quæ. Pro *quare*, quod non semel occurrit apud Suetonium.

CAP. LIII. *Existimas*. Hæc ita græce suspicatur Canter., *N. L.*, VI, 26, probante Lips. ad Tacit., *Annal.*, IV, 52 :

Εἰ μὴ κραταῖς τεχνίον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς.

Casaubon. in hunc modum :

Εἰ μὴ τυραννεῖς, τέκνον, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς.

Respicere videtur Tiberius vocem Jasonis apud Aristotel., *Pol.*, III, 4 : Καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως Ἰάσων ἐφη' πεινῆν, ὅτι μὴ τυράννοι' ὡς οὐκ ἐπιστάμενος ιδιώτης εἶναι.

Vocare. Subaud. ad cœnam, seu prandium.

Arcessi. H. e. accusari. Tacit., *Annal.*, IV, 54 : Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem, Non mirum, ait, si quid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur. »

Prestructum. Nempe a Sejano. Cf. Tacit., l. c.

Insectatus est. Tacit., *Annal.*, VI, 25 : « Enimvero Tiberius fœdissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens, et Asinium Gallum adulterum, ejusque morte ad tædium vitæ compulsam, etc. »

Imputavit. H. e. pro magno beneficio haberi voluit. Cf. Casaubon., in h. l.; Duker. ad Flor., IV, 12, 62. De re sic Tacit., *Annal.*, VI, 25 : « Jactavitque quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias projecta foret. »

Decretum. Tacit., l. c. : « Actæ ob id grates, decretumque ut xv kal. novembr. utriusque necis die, per omnes annos, donum Jovi sacraretur. »

Donum. Sc. clypeum aureum, docente Spon., *Misc. Erud. Ant.*, sect. 4, p. 154.

Cap. LIV. *Tiberium.* Cognomine *Gemellum.* Joseph., *Ant. Jud.*, XVIII, 8 : « Υἱὸς δὲ τούτου κατελείπετο Τιβέριος ἐπιχαλούμενος Γέμελλος.

Commendavit. Verba ad P. C. refert Tacit., *Annal.*, IV, 8 : « Patres conscripti, hos orbatos parente... ad rempublicam pertineant. »

Tirocinii. Quid fuerit tirocinium, vide sup. *Aug.*, XXVI.

Anno. A. U. 777. Cf. Tacit., *Annal.*, IV, 17.

Subducta. Tacit., *Annal.*, VI, 23 : « Drusus deinde extinguitur, quum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento nonum ad diem detinuisset. »

Reliquias dispersus. Aliter Dio, LVIII, p. 635 : « ὧς καὶ ἐκείνους

πεφρονεῦσθαι ἔμαθον, ὑπερήλγησαν διὰ τε τοῦτο, καὶ ὅτι τὰ ὀσᾶ αὐτῶν μόνον οὐκ ἐς τὸ βασιλικὸν μνημεῖον κατέθετο, ἀλλὰ καὶ κρυφθῆναι περὶ κατὰ γῆς ἐκέλευσεν, ὥστε μηδέποτε εὐρεθῆναι.

Ælium Sejanum. Qui periit A. U. 784 : de cujus morte Dio, LVIII, p. 628 : Διακκιωθεὶς, κατὰ τε τῶν ἀναθασμῶν ἐβρίση· καὶ αὐτὸν ὁ ὄμιλος τρεῖσιν ὄλαις ἡμέραις ἐλυμῆνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε. Et Juven., sat. x, 66 :

. . . Sejanus ducitur unce
Spectandus ; gaudent omnes : quæ labra? quis illi
Vultus erat?

Nepotem suum. Tiberium nomine.

CAP. LVI. *Cinariam.* Una ex Sporadibus, Cellar., *Geogr. ant.*, II, 14, p. 1295. Alii *Cinaram*, vel *Cynaram*.

Proponere. Ut mos erat apud veteres. Gell., xv, 2 : « Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus lunæ solemne nobis fuit, simul atque modus epulis factus, et utiles delectabilesque sermones cæperant. »

Seleucum. De quo Suidas : Σέλευκος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικὸς, ὃς ἐπεκλήθη Ὀμηρικὸς· ἐσοφίστευσε δὲ ἐν Ῥώμῃ. Cf. Voss., *Hist. Græc.*

CAP. LVII. *Theodorus Gadareus.* Quintil., *Instit.*, III, 1 : « Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium : quem studiose audisse, quum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Cæsar. » Cf. STRAB., XVI, p. 522, et FORTUNAT., *Rhet. schol.*, I, p. 53.

Rhetoricæ. Quæ ars *Theodori* dicitur a Juven., sat. VII, 177 :

. . . Doceat vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem sciendens Theodori.

Πηλόν. Sic Neronem appellat apud Suidam Alexander Ægeus.

Imperavit. Dio, LVII, p. 611 : Ἐπειδὴ προσελθὼν τις πρὸς νεκρὸν διὰ τῆς ἀγέρας ἐκφερόμενον, καὶ πρὸς τὸ οὖς αὐτοῦ προσκύψας ἐψιθύρισε τι. Καὶ ἐρομένων τῶν ιδόντων ὃ τι εἶρηκει, ἐντετάλλαι ἔφη τῷ Λυγύστῳ, ὅτι οὐδέπω οὐδὲν ἐκαμίσατο. Ἐκείνων μὲν γὰρ αὐτίκα ἀπέκτεινεν, ἵνα αὐτάγγελος αὐτῷ (ὡς περὶ καὶ ἐπισκώπτων εἶπε) γένηται.

Fieret. H. e. necaretur, ut necati fuerant Pompeius et Pompeiani.

CAP. LVIII. *Respondit.* Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Tiberius,

consultante Pompeio Mario prætore, an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. »

Dempserat. Statuas ita formari, ut capita tolli et alia substitui possent, docet Plin., *H. N.*, xxxv, 2 : « Ærei ponuntur clypei, argentea facies surdo figurarum discrimine, statuarum capita permutantur. »

Nummo vel anulo. Seneca, *de Benef.*, III, 26 : « Cœnabat Paulus prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii habens, ectypa, et eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiro quemadmodum dicam illum metallum sumpsisse. Quod factum simul et Maro, ex notis illius temporis vestigatoribus, notavit. At servus ejus cui nectebantur insidiæ, ei ebrio anulum extraxit; et quum Maro convivas testaretur, « admotam esse imaginem obscenis, » et jam subscriptionem componeret; ostendit in manu sua servus anulum. »

CAP. LIX. Versiculis. Quorum ignoti erant auctores, Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata, in sævitiam superbiamque ejus, et discordem cum matre animum. »

Centum. I. e. ne quarta quidem pars census equestris, docente Cl. Hase.

Aurea. Sicut crudelitate sua regnum Cæsaris aureum fuisse ostenderant triumviri Antonius, Octavius, Lepidus, teste Dion., XLVII, p. 336 : τὰ δὲ δὴ πράγματα πρὸς τε τὸ βούλημα καὶ πρὸς ἐπιθύμημα τὸ αὐτῶν διῆγον, ὥστε γρυσθῆν τὴν τοῦ Καίσαρος μοναρχίαν φανῆναι.

Romule. H. e. Romane, ut in Catull., xxix, 5 :

Cinæde Romule, hæc videbis et feres?

Anton. In quem Cicero tunc temporis plurimum in urbe polens senatum concitavit, tandemque evicit ut hostem Antonium judicaret, et Cæsari lictores insigniaque decerneret, Pansamque et Hirtium mitteret ad eum pellendum Italia. Vide FLUTARCH., in *Anton.*, p. 923.

Cæde. Sc. illorum quos redux proscriptos trucidavit. Dio, XLIV, p. 331 : Ὁ δὲ Ἀντώνιος ὡμῶς καὶ ἀνήλεως εὐχ' ὅτι τοὺς ἐπιτιθέντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐπιχειρήσασί τινι αὐτῶν ἐπιχειρήσαντας εὐτενε' τὰς τε κερφαλὰς σφῶν, εἰ καὶ σιτεύμενος ἐτύχησεν, ἐπεισκέπει. καὶ ἐπὶ πλείστον τῆς αἰτρατάτης αὐτῶν ὄψεως ἐκπίμπλατο.

CAP. LX. *Quam*. H. e. ex quo, seu postquam.

Faciem. Julian., Καῖσαρ, p. 309, ed. Lips. : Οἰμῶζων μὲν οὖν ἐν μονῇ νησιδίου (τὰς Καπραίας ἀνιπτόμενος) τὸν ἄθλον ἀλῖεα ψυχέτω.

Eum... *verberavit*. Ut moris erat, ex Tacit., *Annal.*, I, 32 : « Prostratos verberibus multant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent.

CAP. LXI. *Ineunte anno*. Kal. januariis supplicium de homine sumi non fas erat. Animadvertit tamen in Titium Sabinum Tiberius *ineunte anno novo*. Tacit., *Annal.*, IV, 68 : « Julio Silano et Silio Nerva coss., fœdum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri equite romano Titio Sabino, ob amicitiam Germanici. » Cf. *ibid.*, 70. Unde exclamat facundia præsentis gravis ille rerum scriptor, *ibid.* : « Quem diem vacuum pœna, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueos inducantur? »

Interdictum. Tacit., *Annal.*, VI, 19 : « Neque propinquis aut amicis assistere, illacrymare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumjecti custodes et in mœrorem ejusque intenti, corpora putrefacta assectabantur, dum in Tiberim traherentur. »

Lacessisset. Se enim sub persona Agamemnonis lacessitum putabat Tiberius.

Dixisset. Tacit., *Annal.*, IV, 34 : « Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss., Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. » Cf. PLUT., in *Bruto*, p. 1005, et DION., LVII, p. 619. Cremutii mortem describit Seneca, *Cons. ad Marciam* ejus filiam, cap. XXIII : « Usus... balneo et se in tenebris condidit. »

Abolita. Dio, l. c. : Τὰ συγγράμματα αὐτοῦ, τότε μὲν ἐν τῇ πόλει εὐρεθέντα, πρὸς τῶν ἀγορανόμων, καὶ τὰ ἔξω πρὸς τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἐκλύθη. Tacit., *Agric.*, II : « Non in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum. Delegabant triumviris ministerium, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. »

Fulnecaverunt. Inter quos Brutidius rhetor. Juven., sat. X, 83 :

. . . Pallidulus mi

Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram

Quam timeo, victas ne pœnas exigat Ajax.

Vitandam Dio, LVIII, p. 630 : Οἱ δὲ δὴ πλείους αὐτοὶ ἑαυτοὺς πρὶν ἄλλωναι διέφθειραν ἰποῖον δὲ τοῦτο μάλιστα μὲν τῷ μῆτε τὴν ὕβριν, μῆτε τὴν αἰκίαν φέρειν.

Venenum hauserunt. Ut Vibulenus Agrippa. Dio, LVIII, p. 634 : Οὐβουληνός τις Ἀγρίππας ἰππεὺς φάρμακον ἐν αὐτῷ τῷ θεουλευτηρίῳ ἐκ δακτυλίου φερύσσας ἀπέθανε. Cf. Tacit., *Annal.*, VI, 40.

Rupti. Tacit., l. c.

Virginti. Imo, auct. Lips. ∞, i. e. mille, quum dicat Tacit., *Ann.*, VI, 19 : « Jacuit immensa strages; omnis sexus, omnis aetas. »

Nefas esset. Tacit., *Annal.*, V, 9 : « Tradunt temporis ejus auctores, quia triumvirali supplicio [i. e. laqueo] affici virginem inauditum habebatur, a carnifice, laqueum juxta, compressam; exin, obliis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta. »

A carnifice. Id de Sejani filia narrat Dio, LVIII, p. 628 : Τῆς κόρης, ἣν τῷ Κλαυδίου υἱεὶ ἐγγεγυῖται, προδιαφθαρείας ὑπὸ τοῦ δημοῦ ὡς εὐχ. ἔσται ἐν παρθενευμένῃ τινὰ ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ ἀπολέσθαι.

Redii. In gratiam rediisse videri volebat Tiberius cum illis quos cito interficeret. Dio, LVIII, p. 636 : Ἐν δ' εὖν τοῖς τότε ἀποθανούσαι καὶ Γάλλος ἐγένετο τότε γὰρ αὐτῷ μολίς (ὡς αὐτὸς εἶπε) κατηλλάχη. Οὕτω περ, παρὰ τὸ νομιζόμενον, καὶ τὴν ζωὴν τιμωρίαν τισί, καὶ τὸν θάνατον εὐεργεσίαν ἰποῖσι.

Copreas. H. e. scurras. Dio, L, p. 436 : Καὶ πρὸς τοὺς καλοὺς αὐτῶν ἑταίρους καὶ τραπεζεῖς, εὗς αὐτοὶ ἐκείνοι κοπρίας ἀποκαλοῦσιν. Quos depingit LXXIII, p. 833 : Κοπρίας τινὰς καὶ γελοιωτικοὺς, αἰσχίστα μὲν τὰ εἶδη, αἰσχίῳ δὲ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα ἔχοντας.

Paconius. De quo Tacit., *Ann.*, III, 67 : « Auxere numerum accusatorum Gellius Poplicola, et M. Paconius, ille quæstor Siliani, hic legatus. »

CAP. LXII. *Indicio.* Quod fecit Apicata Sejani uxor. Dio, LVIII, p. 628 : Ἀπεικάτα μαθεύσα ὅτι τὰ τέκνα αὐτῆς τίθησκε, καὶ σφῶν τὰ σώματα ἐν τοῖς ἀναβασμοῖς ἰδοῦσα, ἀνεγώρησε, καὶ ἐς βιβλίον γραψάσα περὶ τοῦ θανάτου τοῦ Δρούσου.... τὸ μὲν τῷ Τιβερίῳ ἐπεμφεν. Cf. Tacit., *Annal.*, IV, 11.

Veneno. Parato nempe ab Eudemo Livillæ medico. Tacit., l. c.

Livilla. Seu Livix, Germanici quæ soror fuit.

Ex necessariis. Ut pote ex quibus de veneno dato quærendum esset.

Ut aiant. Inter illos annumerandi Dio, LVIII, p. 638, et Zo-

par., *Annal.*, II, p. 175 : Οὐ μὴν καὶ πάντες οἱ αἰτιαθέντες ἀπέθανον, διὰ τὸν Θράσυλλον σαφέστατα τὸν Τιβέριον μεταχειρισάμενον.

Nepotibus. Sc. Tiberio, naturali ex Druso filio; Caio, adoptivo ex Germanico.

Caium suspectum. Philo legat ad Caium, p. 995 : Καὶ, ὥσπερ φασι τινες, εἰ βραχὺν ἐπέβιω χρόνον Τιβέριος, ὁ μὲν ἂν ἐκ ποδῶν ἐγεγέννητο Γάϊος, δι' ὑποψιῶν κεχωρηκῶς ἀνηκέστων.

Ex adulterio. Nemppe Livillæ et Sejani.

Felicem Priamum. Dio, LVIII, p. 636 : Πολλάκις δὲ καὶ τὸν Πριάμον μακαρίσαι, ὅτι ἄρδην μετὰ τῆς πατρίδος καὶ μετὰ τῆς βασιλείας ἀπώλετο.

CAP. LXIII. *Prænestinarum.... sortium.* Strab., v, p. 165 : Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. Prop., II, 23, 41 :

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes.

De prænestinis sortibus, Cf. Cic., *de Divin.*, II, 41; GUTHER., *de Vet. jure Pontif.*, IV, 12, in *Thes. Græc.*, t. v, p. 197; et BULENGER., *de Sortibus*, I, 1; *ibid.*, p. 361 sqq.

Unum et alterum. — *Unum*, nemppe L. Ælium Lamiam; *alterum vero*, L. Arruntium; auct. Tacit., *Annal.*, VI, 27.

CAP. LXIV. *Loco movit.* Intellig. e loco ad locum transferri jussit.

CAP. LXV. *Coli.* Dio, LVIII, p. 623 : Καὶ τέλος καὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτοῦ (sc. Sejani), ὥσπερ καὶ ταῖς τοῦ Τιβερίου ἔθυσον.

Oratione. Epistola quam Noster *orationem* vocat, quia fuit longissima. Dio, l. c., p. 627 : Ἦν μακρὰ ἐπιστολή. De illa Juvenal., sat. x, 71 :

Nil horum : verbosa et grandis epistola venit

A Capreis.

Perduceret. Dio, *ibid.* : Ὡς γοῦν οὐδὲ τὴν ὁδὸν ἀσφαλῶς ποιήσασθαι δυνάμενος, τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων μετεπέμψατο.

Villa... Jovis. Una fuit illarum duodecim quas Capreis extruxerat Tiberius. Tacit., *Annal.*, IV, 67 : « Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat. »

CAP. LXVI. *Vulgaret.* Dio, LVII, p. 618 : Ὅτι ζητῶν καθ' ἕναστων ἀκριβῶς ὅσα τινὲς ἠτιάζοντο φλαυρῶς περὶ αὐτοῦ εἰρηκέναι, αὐτὸς ἑαυτὸν πάντα τὰ ἐξ ἀνθρώπων κακὰ ἔλεγε. Καὶ γὰρ εἰ ἐν ἀπερρήτῳ τίς καὶ πρὸς

ἵνα διελέγθη τι, καὶ τεῦτο ἰδημοσίευσεν, ὥστε καὶ ἐς τὰ κοινὰ ὑπομνήματα ἰσχυράφεσθαι.

CAP. LXVII. *Epistolæ*. Cf. TACIT., *Annal.*, VI, 6.

Tantum non. H. e. fere, ut supra.

CAP. LXVIII. *Viderent*. Plin., *H. N.*, XI, 27 : « Ferunt Tiberio Cæsari, nec alii genitorum [*mortalium* glossam putat Cl. Hase], fuisse naturam, ut expergefactus noctu paullisper, haud alio modo, quam luce clara contueretur omnia, paullatim tenebris sese obducentibus. »

Obstipa. H. e. quæ non nisi cum toto corpore vertitur, ut in Horat., *Sat.*, II, 3, 92 :

Stes capite obstipo, multum similis metueenti.

Cf. PERS., sat. III, 80.

Excusare. Tacit., *Annal.*, I, 10 : « Augustus, paucis ante annis, quum Tiberio tribunitiam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exproraret. »

Medicorum. Tacit., *Annal.*, VI, 46 : « Solitus eludere medicorum artes, atque eos, qui post trigesimum ætatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent. »

CAP. LXIX. *Gestavit*. Idem narrat Plin., *H. N.*, XV, 30.

CAP. LXX. *Generis*. Nempe græci et latini, ut in Hor., *Od.*, III, 8, 5 :

Docte sermones utriusque linguæ.

Messalam. De quo Seneca, *Contr.*, II, 12 : « Fuit Messala exactissimi ingenii, in omnes studiorum partes, latini utique sermonis diligentissimus. » Cf. QUINTIL., *Instit.*, X, 1 ; et Voss., *Hist. Lat.*, I, 18.

Euphoriionem. Poeta fuit Chalcidensis ; de illo Quintil., *Inst.*, X, 1 : « Quid? Euphoriionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidio versu carminum fecisset in *Bucolicis* mentionem. Cf. SUIDAS, ET ATHEN., XI, p. 477.

Rhianum. Suidas : Ῥιανός, ὁ καὶ Κρήτης ὤν, Βηναίος Βήνη δὲ πόλις

Κρήτης. Τινὲς δὲ Κεραίτην ἄλλοι δὲ Ἰθάκης τῆς Μεσσηνίας αὐτὸν ἱστόρησαν. Οὗτος δὲ ἦν τῆς παλαιστρας πρότερον φύλαξ, καὶ δεῦλος ὕστερον δὲ παι-
 δευθεὶς ἐγένετο, γραμματικῶς, σύγγραφον Ἐρατοσθένους· ἔγραψεν ἕμμετρα
 ποιήματα Ἡρακλεΐαδα ἐν θιβλίαις τέσσαραι. Cf. Voss., *Hist. Græc.*, I,
 17; et FABRIC. *Biblioth. Græc.* Exstant quædam Rhiani fragmenta
 apud Stobæum, passim.

Parthenium. Poeta Nicænus, teste Suida, qui addit : Ἐλεγμοῖς
 καὶ μέτρων διαφόρων ποιητής... ἔγραψε δὲ ἐλεγεία εἰς Ἀφροδίτην, Ἀρήτης
 ἐπικηθῆεν τῆς γαμετῆς Ἀρήτης ἐγκώμιον ἐν τρισὶ θιβλίαις. (cf. Voss., ub.
 sup., II, 1; et FABRIC. *Biblioth. Græc.* Hujus librum habemus
 Περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων.

Ut diximus. Sup., LVI.

Sine tibicine. Dio, LVI, p. 590 : Ὁ δὲ δὴ Τιθέριος καὶ ὁ Δροῦσος
 ὁ υἱὸς αὐτοῦ φαίαν, τὸν ἀγοραῖον τρόπον πεποιημένην, εἶχον, καὶ τοῦ μὲν λιβα-
 νωτοῦ καὶ αὐτοὶ ἔθυσαν, τῷ δ' ἀλλοτῇ οὐκ ἐχρήσαντο. De *tibiis funebribus*
 vide KIRCHMANN., *de Funer. Rom.*, II, 5.

CAP. LXXI. Ἐμβλημα. Cf. DION., LVII, p. 612.

Militem. Centurionem dicit Dio, l. c. : Ἐκατοντάρχου ἑλληνιστὴ ἐν
 τῷ συνεδρίῳ μαρτυρησάτι τι ἐβελήσαντος, οὐκ ἠνέσχετο

CAP. LXXII. *Bis.* Sc. A. U. 786 et 788.

Hortos. Nempæ Cæsaris, vide *Cæs.*, LXXXIII, et *Aug.*, XLIII.

Draco. Ut moris erat apud proceres et feminas nobiliores.
 Martial., VII, 71, 7 :

Si gelidum collo nequit Gracilla draconem.

Asturæ. De hac vide *Aug.*, XCVII.

Circeios. De Circeiis vide CELLAR., *Geogr. ant.*, II, 9, p. 810.

Castrensibus. Quas milites edebant *castrensi* more, i. e. sine
 magno apparatu.

Convulso. H. e. vehementi motu loco suo moto.

Chariclem. Tacit., *Annal.*, VI, 50 : Erat medicus, arte insignis,
 nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis soli-
 tus, consilii tamen copiam præbere. »

Commeatu abfuturus... venas... Ibid. : « Is velut propria ad
 negotia digrediens et per speciem officii manum complexus,
 pulsum venarum attigit. »

Protraxit. Ibid. : « Neque fefellit; nam Tiberius, incertum an
 offensus, tantoque magis iram premens, instaurari epulas jubet,

discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. »

Instans. H. e. stans, ut in Spartian. *Adrian.*, XXI : « Ad convivium venientes senatores stans excepit. » Quod etiam solemne erat, quum post cœnam *Vale* diceretur. Conf. *MACROB.*, *Sat.*, II, 4.

CAP. LXXIII. *Anno.* Tacit., *Annal.*, VI, 51 : « Sic Tiberius finivit octavo et septuagesimo ætatis anno. »

Aprilis. Tacit., *Annal.*, VI, 50 : « Decimo septimo aprilis, interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse. » Sed Dio, LVIII, p. 639 : Μετήλλαξε τῇ ἑκτῇ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρα.

Venenum. Oros., VII, 4 : « Hic ambiguis signis veneni obiit. »

Negatum. Zonar., *Annal.*, II, p. 175 : Δείσας οὖν ἐκείνος (sc. Caius) μὴ καὶ ἀληθῶς ἀνασωθῆ, οὕτε ἐμπαγεῖν τι αἰτήσαντι αὐτῷ, ὡς καὶ ἐπαθρομένιος. ἔβρασε.

Scribit. Intercidit liber in quo Seneca id scripserat.

CAP. LXXIV. *Temenitem.* Ita dictum a loco prope Syracusas. Steph. Byzant. : Τέμενες, τόπος Σικελίας ὑπὸ τῆς Ἐπιπολάς, πρὸς ταῖς Συρακούσας. Plin., III, 8 : « Fons Temenitis in syracusano *H. N.*, ponitur agro. »

Templi. Vide *Aug.*, XXI.

CAP. LXXV. *Lætatus est.* Joseph., *Ant. Jud.*, XVIII, 8 : ῥωμαῖοι, μὲν δὲ πιστεῖ τῆς Τιβερίου τελευτῆς, εὐφραίνονται μὲν τῷ ἀγαθῷ τῆς ἀγγελίας.

Differretur. Tacit., *Annal.*, III, 51 : « Factum senatusconsultum ne decreta patrum ante diem decimam ad ærarium differrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur. » Cf. *SEN.*, *de Tranquill. animi*, XIV.

Atellam. Ignominiosum ut esset, corpus imperatoris non Romæ, sed in exiguo oppido cremari.

Semiustulandum. Semiustulandum corpus ignominie quoque erat : solebant enim amburi et leviter tantum curari mendici, teste Casaubon. Cf. *Cic. pro Milone*, XIII.

CAP. LXXVI. *Exemplo.* Eodem argumento. *CÆS.*, *Bell. Civ.*, III, 108.

Magistris. De his vide *Aug.*, XXX.

IN CALIGULAM.

CAP. I. Minoris. Duæ supererant Antonio filia: Plutarchi. in *Anton.*, p. 955 : Ἀπολειπομένων δὲ τῶν Ἀντωνίου καὶ Ὀκταβίας θυγατέρων, τὴν μὲν Δερμίτιος Αἰνόβαρτος ἔλαβει τὴν δὲ σωφροσύνη καὶ κάλλει περιεχόταν Ἀντωνίαν Δροῦσας, ὃ Λιβίας υἱὸς, πρόγονος δὲ Καίσαρος. Ἐκ τούτων ἐγένετο Γερμανικὸς καὶ Κλαύδιος.

Adoptatus. A. U. 757.

Liceret. Natus annos viginti et quod excurrit; quæstor enim fuit A. U. 760, auct. Dion., I, V, 31, quum vitam iniisset A. U. 739. Annus autem quæsturæ legitimus inde ab Augusti temporibus erat ætatis vigesimus quintus, ut patet ex Dion., II, 20, et docet Lips. in *Excurs. ad Tacit. Annal.*, III, 29, annot. Cl. Hase.

Statim. Intellige non interpositis ædilitate et prætura.

Compescuit. Qua ratione docet Zonar., *Ann.*, II, p. 172 : Γράμματα δὲ δὴ τινὰ, ὡς καὶ παρὰ τοῦ Τιβερίου πεμφθέντα συνθεῖς, τὴν τε δωρεάν τὴν ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου καταλειφθεῖσαν σφίσι διπλῆν, ὡς καὶ παρ' ἐκείνου δέδωκε, καὶ τοὺς ἔξω τῆς ἡλικίας ἀσῆκε. Καὶ γὰρ ἐκ τοῦ ἀστικῶ ὄχλου οὗς ὁ Αὐγούστου μετὰ τὴν τοῦ Οὐάρου συμφορὰν προσκατέλεξεν, οἱ πλείους αὐτῶν ἦσαν.

Triumphavit. C. Cæcilio et L. Pomponio coss. a. d. VII kal. junias, ex Tacit. *Annal.*, II, 41.

Iterum creatus. A. U. 771, Tacit., *Annal.*, II, 33 : « Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. »

Expulsus. Quare dicatur expulsus docet Tacit., *Annal.*, II, 5 : « Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum, dolo simul et casibus objectaret. » De illa Orientis perturbatione Cf. JOSEPH., *Ant. Jud.*, XVIIII, 3 : Ἐπελεύτησεν δὲ καὶ ὁ τῆς Κομμαγενῆς Ἀντιόχος· διέστηκε δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τοὺς γνωριμους... καὶ ψηφίζεται ἡ σύγκλητος Γερμανικὸν πέμπειν διερωσάντα τὰ κατὰ τὴν ἀνατολήν.

Devicisset. Tacit., *Annal.*, II, 56 : « Armenii regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone; sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium. » Et infra : « Igitur Germanicus in urbe Artaxata, approbantibus nobilibus,

circumfusa multitudine, insigne regum capiti ejus imposuit : ceteri venerantes regem, Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. Erravit ergo h. l. Suetonius, vel pro *devicisset leg. dedisset*, monente Lipsio.

Redegisset. Vide *Tiber.*, xxxvii, et *Tacit.*, *Ann.*, 11, 42 et 56.

Obiit. A. U. 772.

Suspicio. Zonar., *Annal.*, 11, 69 : Ἀπέθανε δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ ὑπὸ τοῦ Πείσωνος καὶ ὑπὸ τῆς Πλαγκίνης ἐπιβουλεύεις.

Nequeat. Plin., *H. N.*, xi, 37 : « Negatur cor cremari posse in iis qui cardiaco morbo obierint; negatur et veneno interemtis. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem hujus sceleris coarguit, hoc usus argumento palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari. »

Cap. II. Præpositus. A. U. 770, ex *Tacit.*, *Ann.*, 11, 43.

Acerbitatibus. Ut ipse queritur *Tacit.*, *Ann.*, 11, 71 : « Refertis patri ac fratri quibus *acerbitatibus* dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. »

Discerptus. *Tacit.*, *Annal.*, 111, 14 : « Simul populi ante Curiam voces audiebantur : Non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset (Piso). »

Cap. III. Corporis animique. Zonar., 11, p. 173 : Καλλίστος μὲν γὰρ τὸ σῶμα, ἀριστος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ' παιδείᾳ τε ἅμα καὶ βίῳ· διέπρεπε' πραότατος τε καὶ σωφρονέστατος ἦν.

Gracilitas crurum. Quæ semper fuit urbanorum dieteriis obnoxia. Seneca, *de Constant.*, xvi : « In capitis mei levitatem jocus est, et in oculorum valetudinem, et in crurum gracilitatem, et in staturam. »

Aggressus est. Cf. *Tacit.*, *Annal.*, 1, 62 : « Igitur romanus qui aderat exercitus — attrectare feralia debuisse. »

Devotionibus. Zonar., ub. sup. : Ὅσα γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐν ἧ ἕκει κατορωρυγμένα, καὶ ἔλασμαὶ μολίβδινι ἀράς τινὰς μετὰ τοῦ ἐνόματος αὐτοῦ ἔχοντες, ζῶντες ἐθ' εὐρέθη. Cf. *Tacit.*, *Annal.*, 11, 69.

Renunciaret. *Tacit.*, *Annal.*, 11, 70 : « Componit epistolas, quis amicitiam ei renuntiabat. »

Ultionem. *Tacit.*, *Annal.*, 11, 71 : « Vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. »

Cap. IV. Destinaret. *Tacit.*, *Annal.*, 1v, 57 : « Dubitaverat Augustus, Germanicum, sororis nepotem, et cunctis laudatum, rei

romanæ imponere; sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. »

CAP. V. *Lapidata sunt*. Deos lapidibus impetere solebant veteres, vindictæ loco, docente J. G. Grævio, *Lect. Hesiod.*, XVI. Cf. DRUKER, *ad Flor.*, I, 22.

Posuisse. Ut fiebat in gravi luctu apud Barbaros. Cf. KIRCHMANN., *de Funer. Rom.*, II, 14.

Rasisse. Sic Prop., III, II, 18 :

Uxorum positis stat pia turba comis.

Regum etiam regem. Ita enim vocabatur rex Parthorum. Cf. PLUTARCH., in *Lucull.*, p. 500.

Megistanum. H. e. regni procerum. Hesych. : Μεγιστῶνες, οἱ ἐν ὑπερυχῆ ὄντες.

CAP. VI. *Edictis*. Edictum Tiberii commemorat Tacit., *Ann.*, III, 6 : « Ut premeret vulgi sermones, monuit edicto, multos illustrium Romanorum ob rempublicam obiisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. »

Dies. H. e., per Saturnalia, quibus jus luxuriæ publice dabatur, quibusque in vulgaribus funeribus luctui finem esse factum ex hoc docet Kirchmann., *de Fun. Rom.*, IV, 12.

Eruperit. Tacit., *Annal.*, VI, 51 : « Egregium vita famaquoque privatus (sc. Tiberius) vel in imperiis sub Augusto fuit, occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. »

CAP. VII. *Veneris*. Utrum eadem atque *Erycinæ Veneris* ædes fuerit, quod asserit Ryck., *de Capit.*, XLI, an *Calvæ*, an et alterius incertum. Cf. NARDIN., *Rom. Vet.*, V, 16.

Ceteri. Sex : Tacit., *Annal.*, II, 71 : « Ostendite populo romano divi Augusti neptem, eandemque conjugem meam : numera'e sex liberos. »

Livilla. Sic in Dion., LIX, p. 657. *Julia* vocatur a Tacito. *Annal.*, VI, 15 : « Huic Drusillam, Vinicio Juliam, Germanico genitas conjungit.

CAP. VIII. *Consulibus*. A. U. 765.

Gæulicus. Historiæ scriptor, necnon poeta. Quem memorat Sidon., *Carm.*, IX, 256 : docente Lips. ad Tacit. *Annal.*, IV, 44,

consul fuit A. U. 779, et a Caligula ob conjurationem interfectus A. U. 792. Cf. SAVAR. in *Sidon.*, et VOSS., de *Hist. lat.*, I, 25.

Vico Ambiatino. De situ loci cf. CELLAR., *Geogr. ant.*, II, 3, p. 321.

Confluentes. Nempe Rheni ac Mosellæ, ad quos tunc castra Romanorum. De nomine loci, Ammian., XVI, 3 : « Apud *Confluentes*, locum ita cognominatum, ubi amnis Mosella confunditur Rheno. »

Natus. Athen., IV, p. 148 : Καὶ Γάιος δὲ ἐ αὐτοκράτωρ, ὁ Καλλιόλου προσαγορευθεὶς διὰ τὸ ἐν στρατοπέδῳ γεννηθῆναι. Idem narrat Tacit., *Annal.*, I, 41 : « Jam infans in castris genitus, in contubernio legionum educatus. » Cf. AUREL. VICTOR., *Epit.*, c. III, § 2.

Pueras. Ex Priscian., VI, p. 697, : « *Pueri* femininum *pueram* dicebant antiquissimi : unde et *puerpera*, quæ puerum vel pueram parit.

CAP. IX. *Caligulæ.* — *Caliga* calceamentum fuit militare. Dio, LVII, p. 605 : Ὁν Γάιον Καλιγύλαν, ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεὶς, τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο, προσηνάμαζον. Cf. TACIT., *Annal.*, I, 41.

Manipulario. Tacit., *Annal.*, I, 69 : « Tanquam parum ambitiose filium ducis *gregali* habitu circumferat, Cæsaremque Caligulam appellari voluit. »

Civitatem. Sc. in Treveros. Cf. TACIT., *Annal.*, I, 40.

CAP. X. *Laudavit.* Tacit., *Annal.*, V, 1 : « Laudata est pro Rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est. »

Posuit. Quod fiebat virili ætate ineunte : dies ille sollemnis habebatur. Mart., III, 6 :

Lux tibi post idus numeratur tertia maias,

Marcelline, tuis bis celebranda sacris.

Imputat æthereos ortus hæc prima parentis,

Libat florentes has tibi prima genas.

Cf. JUVEN., sat. III, 186, et RUPERT., ad h. l.

Fratrum ejus. Vide *Tiber.*, LIV.

Casu. Tacit., *Annal.*, VI, 20 : « Immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce. »

Transmittens. Tacit., *Annal.*, VI, 45 : « Nam etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu aviæ perdidicerat. »

Obsequii. Hoc docet Philo, *Leg. ad Caium*, p. 997 : Ἄ παντὶ σθένει κατὰ τὸ παρῆκον ὁ Μάκρων ἰθεράπευε, τὰς μὲν ὑπενοίας τοῦ Τιβερίου, καὶ ἐν αἷς μάλιστα ἐδόκει τὴν διάνοιαν ἰλκοῦσθαι, διὰ τὸν ἄλκικτον ἐπὶ τῷ υἰώνῳ φόβον, ἐξιώμενος· εὖνον γὰρ καὶ πειθαρχικὸν ἀπέφρανε τὸν Γαῖον.

Dictum. A Passieno oratore, ex Tacit. *Annal.*, vi, 20.

CAP. XI. *Sagacissimus.* Ita Philo, *Leg. ad Caium*, p. 997 : Φρονήσει θαθεῖα χρώμενος, καὶ τῶν καθ' αὐτὸν ἀπάντων δεινότατος ὢν ἀφάνες ἀνθρώπου θεύλημα συνιδεῖν.

CAP. XII. *Uxorem.* A. U. 786. Philo, *ibid.*, p. 1000 : Πενθερὸς ἐγεγένητο αὐτῷ Μάκρος Σιλανὸς, μεστὸς φρονήματος ἀνὴρ, καὶ γένει λαμπρὸς. Cf. Tacit., *Annal.*, vi, 20.

Reliquis subsidiis. Mortuis Germanico et Druso, filio Tiberii, sublatis fratribus Caii, Druso et Nerone, docente Cl. Hase.

Ex partu. Unde Philo, ub. sup. : Ὠκυμόρου τῆς θυγατρὸς ἀποθαλώσης. Hanc domo exegisse narrat Dio, lxx, p. 646.

Neviam. Hanc Enniam Thrasyllam vocat Dio, lxxiii, p. 639 : Ὅτι ἐς ἔρωτα αὐτὸν τῆς ἐαυτοῦ γυναικὸς Ἐννίας Θρασύλλης προὔπηκτο. Sic Tacit., *Annal.*, vi, 45.

Liberto. Sc. Tiberii.

CAP. XIII. *Vel dicam.* Correctionis formula, ut in Cic. *ad Att.*, ix, 6 : « Unum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, vel dicam, jam effecissem. »

Miseno. Ubi Tiberius obierat. Vide *Tiber.*, lxxii et lxxv.

Prosequens. Joseph., *Ant. Jud.*, xviii, 8 : Γάϊος, ὡς ἐπὶ Ῥώμην παρῆν, ἄγων τοῦ Τιβερίου τὸ σῶμα, ταφὰς τε αὐτοῦ ποιεῖται πολυτελεῖς νόμοις τοῖς πατρίοις.

Pullum et puppum. Verba sunt blandientium.

CAP. XIV. *Tiberii voluntate.* Philo, *Leg. ad Caium*, p. 995 : Συναγαθὸν τοὺς ἐν τέλει· Βούλομαι μὲν, ἔφη, τὸν γένει μὲν ἀνεψιὸν, εὐνοίᾳ δὲ ἀδελφὸν, ἐπόμενος καὶ τῇ τοῦ τετελευτηκότος Τιβερίου γνώμῃ, κοινωπραγεῖν τῆς αὐτοκράτοῦς ἐξουσίας· ἔρᾳτε δὲ καὶ αὐτοὶ νήπιον ἔτι ὄντα κομιδῆ, καὶ χρῆζοντα ἐπιτρόπων, καὶ διδασκάλων, καὶ παιδαγωγῶν.

Incidit. Philo, *ibid.*, p. 994 : Τῷ δὲ ὀγδῶ (sc. imperii mense) κατασκήπτει θαρεῖα νόσος τῷ Γαίῳ, τὴν πρὸ μικροῦ δίαιταν ὅτε ἔζη Τιβέριος, εὐκολοτέραν, καὶ διὰ τοῦτο ὑγιεινοτέραν εὔσαν, εἰς πολυτέλειαν μεθαρμοσμένῳ.

Foverent. Inter quos Atanium Secundum nominat Dio, lxx, p. 645 : Ἀτάνιος τε τις Σεκοῦνδος, ἰππεύς τε ὢν καὶ μενομαχῆσειν ἵππῳ γειλάμενος, ἂν γε ὁ Γάϊος σωθῆ.

Artabanus. Vide *Tiber.*, LXVI.

Legati... Euphratem. Legatus hic fuit Vitellius. Joseph., *Ant. Jud.*, XVIII, 6 : Ταῦτα ἀκούσας ὁ Τιβέριος πρῶτον φίλον αὐτῷ γενέσθαι πρὸς τὸν Ἀρτάβανον... ἐπὶ τὸν Εὐφράτην παρεῖσαν ὁ τε Ἀρτάβανος καὶ ὁ Οὐϊπέδιος. Καὶ ζεύξας τοῦ ποταμοῦ γενεμένως, κατὰ το μεσσίτατον τῆς γῆρας ἀλλήλους ὑπεντιάζον μετὰ φυλακῆς ἐκότερος τῆς περὶ αὐτόν. Cf. *DION.*, LIX, p. 661.

CAP. XV. *Fratrisque.* Minus accurate *fratrum* dicit Dio, LIX, p. 642 : Τὰ τε ἐστὶ τὰ τε τῆς μητρὸς καὶ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἀποθανόντων αὐτὸς τε πλεύσας καὶ αὐτὸς αὐτοχειρὶς ἀνελόμενος ἐκόμισε.

Scena. H. e. apparatu, pompa.

Mausoleo. Nempe Augusti sepulcro. Dio, l. c. : Καὶ ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημα κατέθετο.

Germanicum. Inde *Germanicas kalendas* dicit Mart., IX, 2, 4 :

Germanicarum magna lux kalendarum.

Antoniae. Dio, LIX, p. 641 : Ταύτην γὰρ Αὐγούστην εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀπέδειξας. Cf. *GRUTER.*, *Inscript.* p. CCCXXXVI, 9.

Ad id tempus. Ita Dio, ub. sup., p. 644. Addit Cl. Hase : « Legitimis honoribus qui aditum in Curiam darent, a Tiberio exclusus. »

Sorores ejus. Dio, LIX, p. 646 : Καὶ οἱ καὶ σφῶν αὐτῶν, καὶ τῶν τέκνων, καὶ ἐκείνων, καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ προσημύσουσιν ὤμισαν.

Fratrumque. His addit *patrem* Dio, ub. sup., p. 642.

Concremavit. Imo *concremare simulavit.* Dio, ub. sup. : Τὴν τε ἔργην ἀφείδ, ὡς εἶπε, καὶ τὰ γράμματα αὐτῶν καταφλέξας, παμπληθεῖς ἐξ αὐτῶν ἀπέκτανε. Διέφθειρε μὲν γὰρ ὡς ἄκρωτος γράμματα τινὰ, οὐ μόντοι κἀκείνα τὰ αὐτόγερμα τὸν ἀκριβοῦς ἐλεγχοῦ ἐχόντα, ἀλλὰ ἀντίγραφα αὐτῶν ποιήσας.

CAP. XVI. *Titi Labieni.* De hoc vide *SENEC.*, *Contr.* V, in prooemio : « Calor orationis — libri incenderentur. »

Cordi Cremutii. Vide *Tiber.*, LXI.

Cassii Severi. De quo Tacit., *Annal.*, I, 72 : « Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus (majestatis), tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procaçibus scriptis diffamaverat. »

Rationes imperii. Vide *Aug.*, CII.

Intermissas. Nempe secessus tempore, teste *DION.*, LIX, p. 646 :

Τῶς τε λογισμοὺς τῶν δημοσίων χρημάτων μὴ ἐκτεθειμένους ἐν τῷ χρόνῳ, ἐν ᾧ ὁ Τιθέριος ἐξεδήμησε, πάντας κατὰ τὸν Αὐγουστον προσέγραψε.

Supplevit. Sic Dio, ub. sup., p. 646.

Redituum. — *Vectigalia* sunt reditus publici; *reditus*, privata vectigalia, interpr. E. nest.

Palilia. Sacra quæ *Palilia* vocabantur, Romani celebrabant xi kal. maias die, quippe quo Urbis fundamenta jacta fuissent a Romulo. Prop., iv, 4, 73 :

Urbis festus erat, dixere *Palilia* patres :

Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Cf. DIONYS., *Ant. Rom.*, i, p. 75, et PLUTARCH., in *Romulo*, p. 23.

CAP. XVII. *Primum.* A. U. 790.

Duos menses. Ac dies duodecim ex Dion., lix, p. 645 : Τὰς δ' οὕτως ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἔπραξε, δύο τε μηνὶ καὶ ἡμέραις δώδεκα αὐτὸν σχών. Nomina suffectorum, monente Cl. Hase, in alterum semestre ignoramus.

Secundum... per triginta dies. A. U. 792. Dio, ub. sup., p. 649 : Τριάκοντα δὲ δὴ ἡμέρας ἔραξε, καίτοι Λουκίῳ Ἀπρωνίῳ τῷ συνάρχοντι ἐξ μηνῶς ἐπιτρέψας.

Tertium. A. U. 793. Dio, *ibid.*, p. 659 : Μέχρι οὗ ὁ Γάιος δωδεκάτη ἡμέρα τὴν ἀρχὴν ἀπειπὼν ἠγγέλθη.

In idus januarii. Totus tamen annus ejus nomine designatus est, more illorum temporum solemni, docente Cl. Hase.

Quartum. A. U. 794.

Duos novissimos. Imo tres novissimos. Cf. PACI, *Diss. Hypat.*, *Prolog.*, § 15; NORIS, *Epist. cons. Ant. Rom.*, t. ix, p. 412, et GRÆV., in *Sueton.*

Potuerat. Cf. DION., ub. sup.

Forensia. Quænam fuerint vestimenta forensia, vide in *Aug.*, lxxiii.

Saturnalibus. Dio, lix, p. 644 : Τὰ τε Κρόνια ἐπὶ πάντε ἡμέρας ἱερτάζεσθαι κελεύσας. Cf. LIPS., *Saturn.*, i, 3 et 4.

CAP. XVIII. *Missilia.* Nempe munera quæ a principibus populo pangebantur ex edito loco. Cf. DION., lix, p. 417, et LIPS., *de Magn. Rom.*, ii, 11.

Rerum. Quas enumerat Joseph., *Ant. Rom.*, xix, 1 : Πολλὰς δὲ ἐπόρας ἐπιγεμενῆς ταῖς θεωροῖς, καὶ πολλῶν ὀρνέων, ὅσασα τῷ σπανίῳ τίμια ταῖς κτωμένοις.

Panaria. Intellig. vasa, quibus ex vimine factis *panes* reponantur.

Contra se. Sc. ex adverso discumbenti.

Interjecta. Sæpius enim populus, per interludia, aut *ursum*, aut *par gladiatorum* postulabat. Horat. *Epist.*, II, 1, 185 :

Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut *ursum*, aut pugiles.

Africanarum. Subaud. belluarum. Dio, LIX, p. 650 : Θεῶν τῷ δήμῳ πρῶτα ἐπὶ δύο ἡμέρας ἀπένευμε· καὶ αὐτῷ τῇ μὲν προτέρᾳ ἄρκτοι πρὸς ταῖς τῶν ἵππων ἀμύλλαις πεντακῶσι ἐσφάγησαν· τῇ δ' ἐτέρᾳ λιευκά θρία ἴσα ἀνελώθη.

Gelotiana. Sc. domo, in qua servitii Cæsariani partem habitasse conjiere licet. Cf. TURNER., *Advers.* XXII, 30.

Mænianis. Festus : « Mæniana ædificia sunt a Mænio appellata : is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora. »

CAP. XIX. *Ferens.* Unde Dio, LIX, p. 653 : Καὶ ἄλλα δὲ αὐτῷ πολλὰ, ὡς καὶ λάφυρα, συνηκολούθησε, καὶ Δαρείος, ἀνὴρ Ἀρσακίδης ἐν ταῖς ἐμπερεύσαι τότε τῶν Πάρθων ὄν.

Non sine admiratione. Xerxem tamen Caius ludit in Dion., I. c. : Ἐπεὶ εἶ γε τὸν Δαρῖον καὶ τὸν Ξέρξην οὐδέτις οὐκ ἀπέσκηπτεν, ὡς καὶ πῶλλα πλάσιον σφῶν μέτρον τῆς θαλάσσης ζεύξης.

Interioribus. H. e. carioribus et aulæ secretiora noscentibus.

Verum. Sc. naturalem; vide *Tiber.*, LV.

CAP. XX. *Iselásticos.* Seu *selásticos*, ex Burmann., Ernest. et Oudendorp. Quos celebratos fuisse ab imperatoribus constat. Cf. PLIN., *Epist.* x, 119 et 120, et GESNER., *ibid.* Hoc nomen datum fuerat, docente Cl. HAVE, ludis Græcorum sacris ab honore victorum, quo, diruta murorum parte, in urbem invehantur.

Miscellos. Intellig. ludos e vario certaminum genere mixtos.

CAP. XXI. *Aquæ ductum.* Plin., XXXVI, 15 : « Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Cæsare et peracti a Claudio. »

Alterum est. Sc. amphitheatrum.

Didymeum. Nempe Apollinis Didymei templum.

CAP. XXII. *Reges.* Intellig. Agrippam et Antiochum, teste Dion., LIX, p. 658.

Ἔστω. Ex Homer. *Iliad.*, II, 204.

Majestatem. Dio, ub. sup., p. 660: Ζεὺς τε εἶναι ἐπλάττετο, κ. τ. λ.

Datoque negotio... Jovis. Hoc negotium Memmio Regulo datum esse testatur Joseph., *Ant. Jud.*, XIX, 1: Οὐ μὴν ἔπραξέ γε, ἀρχιτεκτόνων φαμένων πρὸς Μέμμιον Ῥηγοῦλον, ὅς ἐπετετακτο τῇ κινήσει τοῦ Διὸς, ἀπολεισθαι τοῦργον κινήσεως αὐτοῦ γεγενημένης.

Numini suo. Dio, ub. sup., p. 661: Γάτος δὲ ἐπὶ πλέον ἐξαχθεῖς καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ ναὸν ἑαυτοῦ κατασκευάσκει.

Hostiæ erant. Idem, p. 662: Καὶ ὄρνιθες αὐτῶ ἀπαλοὶ τε τινές καὶ πολυτίμητοι καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἴδοντο.

Phœnicopteri. Avis quæ habet pennas colore phœnicio: in aqua semper est; abundans in Africa. Juven., sat. XI, 139:

Et scythicæ volucres, et phœnicopterus ingens.

Tetraones. Plin., *H. N.*, X, 22: «Decet tetraonas suos nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor... gignunt eos Alpes, et septentrionalis regio.»

Numidicæ. Columell., *de Re rust.*, VIII, 2: «Africana est quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam et cristam in capite gerit, quæ utraque sunt in Meleagride cærulea.»

Meleagrides. Vide PLIN., *H. N.*, XXXV, 1, 2.

Fabulabatur. Joseph., *Ant. Jud.*, XIX, 1: Εἷς τε τοῦ Διὸς φοιτῶν τὸ ἱερόν, ὁ Καπιτώλιον μὲν καλοῦσι, τιμιώτατον δ' ἄρ' αὐτοῖς ἐστὶν ἱερῶν, ἀδελφῶν ἐτόλμησε προσαγχεύειν τὸν Δία.

Σξ. Ex Homer. *Iliad.*, XXIII, 724. Cf. SENEC., *de Ira*, I, cap. ult.: «Sicut C. Cæsar... ἢ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγώ σε.» Vulgat. dant:

Εἰς γαῖαν Δαναῶν περῶ σε.

CAP. XXIII. *Ulyxem stolatum.* Quasi muliebri specie virum quidem astutissimum tegeret *Stola* enim erat matronarum.

Præfectus. Nempe cohortium prætorianarum. Vide sup., XII.

Tiberium. Tribunis adstantibus jussus est semetipsum interfi-

cere Tiberius, ex Philon. *Leg. ad Caium*, p. 996. Quem fabulam ex ingenio texere Cl. *Hase* iudicat.

Accideret. H. e. si moreretur.

CAP. XXIV. *Collocatam.* Tacit., *Annal.*, VI, 15 : « Huic (sc. L. Cassio) Drusillam, Vicinio Juliam, Germanico genitas, conjungit. »

Fuit. Seneca, *Consol. ad Polyb.*, xxxvi : « Eodem enim tempore quo templa illi (sc. Drusillæ) constituebat ac pulvinaria, eos, qui parum mæsti fuerant, crudelissima afficiebat animadversione. »

Promisso. Seneca, l. c. : « Idem ille Caius, furiosa inconstantia, modo barbam capillumque summittens, modo Italiæ ac Siciliae oras errabundus permetiens, et nunquam satis certus utrum lugeri vellet, an coli sororem. »

Per nunen Drusillæ. Dio, LIX, p. 648 : Τότε οὖν Πάνθεά τε ὠνεμάζετο, καὶ τιμῶν δαιμονίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἤξιούτο.

Sorores. Nempe Agrippinam et Livillam.

Elogio. H. e. inscriptione qua notabatur consecrationis causa, auct. Casaubon.

CAP. XXV. *Dies.* Dio, LIX, p. 646 : Πρὶν δύο μῆνας ἐξελεθῆν.

Relegavit. Idem, l. c. : Ἀμφοτέρους σφαῖς ἐξώρισε.

Mundasse. I. e. misisse, qui diceret Pisoni.... De usu latini verbi *mandare* hoc sensu, Cf. FREINSHAM., ind. Flori, et DUSER. *ad Flor.*, III, 3, 6.

Romuli et Augusti. Romulus *Hersiliam* raptam duxit (Plutarch. in *Romul.*, p. 26), Augustus autem Liviam. Vide *Aug.*, LXII.

Lolliam Paulinam. De qua Cf. TACIT., *Annal.*, XII, 1, et PLIN., *H. N.*, IX, 35.

Consulari. Consul fuit A. U. 784.

Perductam. H. e. turpiter traditam.

Fecit. Zonar., *Annal.*, II, p. 179 : Τότε δὲ ἐκβαλὼν τὴν Παυλίαν, προσάσει μὲν ὡς μὴ τίκτουςαν τὸ δὲ ἀληθές, ὅτι διακορῆς αὐτῆς ἐγεγόνει.

CAP. XXVII. *Elogio.* H. e., libello male factorum indice, quem Græci vocant παρασημείωσιν.

A calvo ad calvum. Quum recognosceret custodias, in utroque congregatorum multitudinis latere, calvis conspectis, jussit carnicenses ducere ad supplicium omnes, incipiendo ab uno calvo, qui erat primus, ad alterum calvum, qui erat novissimus. Res in proverbium abiit. Cf. DION., LIX, p. 657.

Alterum. Imo jurejurando se P. Afranius Potitus obstrinxerat, teste Dione, qui eum nominat ub. sup.

Infulatumque. Quasi publica hostia.

Cogebat. Hujus sævitiae exemplum fuit Capito. Dio, LIX, p. 660 : Βετλλῖνον δὲ Κάσσιον, ἀποσφαγῆναι κελεύσας, καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Καπίτωνα παρεῖναι φρονευσμένῳ αὐτῷ κατηνάγκασε.

Alium. Sc. Pastorem, equitem romanum. Cf. SENEC., *de Ira*, II, 33 : « Venit Pastor, nihil vultu exprobrante. »

Atellancæ. Cf. *Tiber.*, XLV.

CAP. XXVII. *Senatorem.* Nempe Scribonium Proculum.

CAP. XXX. *Tragicum.* Ex L. Atti tragædia Atræo desumptum. Cf. CIC., *Offic.*, I, 28.

Senatores. Quos de medio tollere meditabatur, teste Seneca, *de Ira*, III, 19 : « Homo qui de toto senatu trucidando cogitabat. »

Libellis. Vide supra, XV.

Haberet. Cf. SENEC., *de Ira*, III, 19.

Postularetur. Intell. ad arenam.

Tetrinio. H. e. dignos qui et ipsi ad ferrum darentur.

Tunicati. Sic dicti, quia in tunica digladiabantur. Juvenal., sat. II, 143 :

Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Græchi.

Fuscina. Fuscina, sive *tridens* retiariis pro gladio dabatur; cetera inerimes erant. *Spongiam* tamen, pectoris tegmen illis tribuit Tertull., *de Spect.*, XXV.

CAP. XXXII. *Præcipitavit.* Cf. DION., LIX, p. 653.

Argenteam. Lectis argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio, eques romanus, auct. Plin., *H. N.*, XXXIII, 11.

Mirmillonem. Mirmillones genus erant gladiatorum qui pugnant cum retiariis : vide FESTUM. « Retiario pugnant adversus mirmillonem cantatur, etc... »

Poparum. Ita Prop., IV, 3, 62 :

Succinctique calent ad nova sacra popæ.

Popa ergo minister sacrorum. Cf. OVID., *Fast.*, I, 319; TURNEB., *Adv.* XVIII, 5; XXX, 7; ΠΑΝΥΝ., *de Civ. Rom.*, XLIV.

CAP. XXXIII. *Apellem.* De hoc Philo, *Leg. ad Caium*, p. 1021 : Χρησάμενος Ἀπελλῆ τιμὴ τραγωδῶ, ἕς ἀκμῆ μὲν τῆς πρώτης ἡλικίας, ὡς φασιν, ἐκαπέλευσε τὴν ὥραν ἕξωρος δὲ γενόμενος ἐπὶ τὴν σκηνὴν παρήλυθεν

CAP. XXXIV. *Abolendis*. Quod postea cogitavit et ipse Adrianus, teste Dion., LIX, p. 790.

Præter eum. Pro *præter se*, in quo scriptores, quum aliorum verba referunt, haud satis accurati sæpiusprehenduntur.

CAP. XXXV. *Retuli*. Vide supra xxvi.

Abollæ. Pallii genus fuit, quod nonnulli tribuunt et philosophis. Cf. FERBAR., *de Re vest.*, II, 12.

Colosseros. A *colossus* et ἑρως. Cujus vocis pars prior corporis amplitudinem exprimit; posterior vero formam venustam et amabilem.

Threici... hoplomacho. Qui gladiatores erant; *hoplomachus* autem pugnabat undique armis contextus.

Regi. — *Rex* dicebatur sacerdos templi Nemorensis, de quo vide CÆS., XLVI.

CAP. XXXVI. *M. Lepidum*. Sororis Drusillæ maritum.

CAP. XXXVII. *Nepotatus*. Senec., *Consol. ad Helv*, IX : * C. Cæsar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio cœnavit uno die; et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cœna fieret.*

Basilicæ Juliv. Eam colli Palatino vicinam fuisse arbitratur Donat., *de Urb. Rom.*, II, 17.

Deceres. Græce δεικίρεις, h. e. decemremes, quæ triclinia, conclavia et thermas complectebantur.

Liburnicas. De hac voce vide Aug., XVII.

Prætoriorum. Vide Aug., LXXII.

CAP. XXXVIII. *Arguebat*. I. e. in quæstionem vocabat atque confiscabat census postea aliqua forte auctos, prius perperam editos calumniatus.

Prinipilarium. Non tantum prinipilarium, sed et omnium centurionum dicit Dio, LIX, p. 651. At minus accurate.

Macteas. Seu *mattœas*, vel *mattyas*, placentulæ genus. Cf. ATHEN., XVI, p. 663, et TURNER., *Advers.* XXII, 6.

CAP. XXXIX. *Spectaculorum*. H. e. gladiatores qui spectaculo superstites remanserant. Dio, LIX, p. 650 : Τὸς γὰρ περιγενομένους τῶν μονομάχων παντοίως ἐπιτιμῶν ἀπεδίδοτε, αὐτοὶ τε ἐπὶ τοῦ πραιτωρίου καθιζόμενος καὶ αὐτοὶ ὑπερβάλλον.

Præteriret. Sc. inter licitatores ommitteret, quum Caio videbatur nutu innuere se venalia emere velle, qui revera ex somno nutabat.

Instrumenti. De *instrumento* vide *Aug.*, LXXXIII.

Meritoriis. H. e. mercede conductis, ut in *Cæs.*, LVII.

Lenociniū. Nempe blanditiarum.

Principalium. Sc. ad principem spectantium.

Vocatoribus. Qui convivas invitabant, excipiebant, et loca discumbentibus, pro dignitate cujusque, statuebant. Cf. *PLIN.*, *H. N.*, XXXV, 10, et *SENEC.*, de *Ira*, III, 37.

CAP. XL. Prætorianos. Nempe prætoriæ cohortis. Cf. *TACIT.*, *Annal.*, I, 77; III, 14; XIII, 15.

Composuisse vel donasse. — *Compono* negotium, ubi de stricto jure aliquid remitto, ita ut utraque pars, litem non persecutura, et commodum aliquid ferat et detrimentum. — *Dono* negotium, ubi litem prorsus depono, relictis vel concessis adversario omnibus de quibus litigandum erat.

Gerulorum. H. e. bajulorum.

Essent. Ex Ernest., *annuo* vectigali; *Burmann.* contra semel *exacto* in conjugii initio et ab illis qui primum uxores ducerent.

CAP. XLI. Vice sua. Sc. talos jaciendi.

Usum. Rem narrat *Dio*, LIX, p. 657.

CAP. XLII. Volutatus est. *Dio*, *ibid.*, p. 662 : Ἐσγέται τὸ χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον τὸ συλλεγόμενον ἀπ' αὐτῶν ἐμβάλλων ἐκάστου ἐκάλινθεῖτο.

CAP. XLIII. Clitumni. Vide *PLIN.*, *Epist.*, VIII, 8.

Octophoro. H. e. lectica, quæ ab octo lecticariis ferebatur. *Mart.*, VI, 59 :

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.

CAP. XLIV. Maturis. Sc. qui stipendia impleverant.

Consummaturi. H. e. finituri stipendia.

Adminio. Hunc vocat *Minocynobellinum* *Oros.*, VII, 5.

CAP. XLV. Exploratorias. Auct. *Bremio*, quod *exploratis* amicis darentur. Imo *Cl. Hase* assentiendum dicenti : ob *explorationem* quam susceperant sine prælio.

Versu. — *Æncid.*, I, 207.

Tempestiva. H. e. ante horam solitam cœnæ, nonam vel decimam diei, incepta. Cf. *LIPS.* ad *Tacit. Annal.*, XIV, 2, *SALMAS.* ad *Vopisc.*

CAP. XLVI. *Turrem*. Hujus turris seu phari, ad Bononiam adhuc superstitis, effigies apud *Montfaucon*, tom. iv, suppl. tab. 50.

Donativo. Quod erat stipendium non debitum, sed liberaliter donatum.

CAP. XLVII. *Procuratoribus*. Sc. fisci.

CAP. XLVIII. *Obsedissent*. Vide supra, ix.

Querens. Dio, LIX, p. 660 : Ὅμως ἐσελθὼν ἐς τὴν πόλιν, τὴν μὲν βουλήν ἐλάγει ἐδέησεν ἀπολέσαι πᾶσαν, ἔτι μὴ τὰ ὑπὲρ ἀνθρώπων αὐτῷ ἐψηφίσαστο κ. τ. λ.

CAP. XLIX. *Quartum*. Imo quintum, ex Ryck. in Tacit. *Ann.*, XII, 58 : periit enim ix kalendas februarii.

Commigrare. Sc. κατὰ θεωρίαν τῆς Αἰγύπτου, auct. Joseph., *Ant. Jud.*, XIX, 1. Cf. PHILON., *Leg. ad Caium*, p. 1039.

Index. Cf. Oros., VII, 5.

CAP. L. *Expallido*. Seneca, *de Constant. sap.*, XVIII : « Tanta illi palloris insaniam testantis fœditas erat. »

Comitiali morbo. Quid sit morbus ille, vide in *Cæs.*, XLV.

Potionatus. Juvenal., sat. VI, 615 :

. . . . Ut avunculus ille Neronis.

Cui totam tremuli frontem Casinia pulli
Infudit.

Insomnia. De hac forma singulari dubitat Oudendorp. Alii legunt *insomnio*.

CAP. LI. *Diversissima*. Dio, LIX, p. 642 : Ὅστω γὰρ καὶ πρὸς πάντα ἐναντίος ἐπεφέκει.

Sicunde. Pro *si alicunde*, ut in Cic. *ad Att.*, XIII, 30 : « Mi sicunde potes, erues, qui decem legati Memmio fuerint. »

CAP. LII. *Pænulas*. Habitus hibernus ad propulsandos imbres, ceterasque asperioris cæli injurias. Juvenal., sat. V, 78 :

. . . . Fremeret sæva quum grandine vernus
Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo.

Cycladatus. Cyclas fuit vestis muliebris.

Speculatoria caliga. Erat calceamentum quo speculatores caligati ibant *speculatum* et exploratum.

CAP. LIII. *Eloquentiæ*. Tacit., *Annal.*, XII, 3 : « Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corruptit. »

Arenam esse sine calce. Mullerus, in *Observat.*, p. 15, repetitum illud dicit a Circo in quo Caii studia maxime versabantur, ut adeo vocaverit Seneca *arenam* stadium, curriculum sine *calce*, i. e., sine metu, sine loco calce vel creta notato, ubi cursu exacto victor consistere et præmium accipere solebat.

Rescribere. H. e. refutare, scil. monente Cl. Hase, ut oratorum laudem deprimeret.

Reorum. Exemplo est Domitius Afer, quem proluxa oratione accusasse dicitur a Dione, LIX, p. 654.

CAP. LIV. *Scabellorum*. — *Scabella* instrumenta erant pneumatica, quæ calceorum modo pedibus saltantium alligata eundem sonum crepantem semper referebant. Descripsit ea et marmore illustravit Rubenius, *de Re vest.*, II, 17.

Desaltato cantico. H. e. saltatione peracto cantico. Comœdia enim distinguebatur in *diverbia*, ubi plures loquebantur, et *cantica*, ubi unus tantum loquens introducebatur.

CAP. LV. *Mnesterem*. Vide supra, XXXVI.

Detrahi. Sc. e spectaculis.

Ptolemæum. Vide supra, XXXVI.

Recidit. Minora et leviora fecit.

Columbo. Qui erat inter mirimillones.

Prasinæ factioni. Hæc erat insignita viridi panno, quod *prasinus* significat.

Deditus. Dio, LIX, p. 650 : Ὡστε καὶ νῦν ἐπὶ Γαϊανὸν ἀπ' αὐτοῦ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ τὰ ἄρματα ἔσκει καλεῖσθαι.

Apophoretis. Munera quæ abeuntibus convivis dabat convivii dominus.

Destinasse. Dio, ub. sup., p. 615 : Καὶ προσηγορευτο καὶ ὑπατον αὐτὸν ἀποδείξειν, καὶ πάντως ἂν καὶ τοῦτο ἐπεποιθήσει, εἰ πλείω χρόνον ἔζησει.

CAP. LVI. *Ludis*. Quos in honorem Augusti Livia instituit, auct. Dion., LVI, p. 600 : Ἡ Λιβία ἰδίαν δὴ τινα αὐτῷ πανήγυριν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ Παλατίῳ ἐποίησεν, κ. τ. λ.

Cassius Chærea. Quem auctorem conjurationis jure habendum existimat Joseph., *Ant. Jud.*, XIX, 1.

Consuerat. Seneca, *de Constant. sap.*, XVIII : « Chæreæ, tribuno

militum, sermo non pro manu erat, languidus sono, et infracta voce suspectior. »

CAP. LVII. *Capuæ*. Vide *Tiber.*, xl.

Atriensis. Intelligunt plures cellam servi atriensis palatii. Sed quum Capitolium sive Jovis templum præcesserit, *Palatinum atriensem* Apollinem esse putat Palatinum Cl. *Hase*; nihil tamen deficit in re de qua, ipso judice, in utramque partem dijudicari potest.

Eodem die. Namque idibus martiis J. Cæsar interfectus fuerat.

Tragædiam. Sc. Cinyram. Joseph., *Ant. Jud.*, xix, 1 : « Ὁρχηστὴς δρᾶμα εἰσάγει Κινῦραν, ἐν ᾧ αὐτός τε ἰκτείνεται καὶ ἡ θυγάτηρ Μέρτζα. »

Laureolo. De hoc Juvenal., sat. viii, 187 :

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce.

Darent. H. e. fictum sanguinem evomerent, quum actor primarius ob argumentum fabulæ id fecisset.

CAP. LVIII. *Februarias*. Qui fuit ultimus ludorum, teste Joseph., ub. sup. : Ἡ εὐχ ἰρᾶτε τὴν σήμερον τῶν θεωριῶν ὑσάτην ἡμέραν εὐσαν.

Crypta. Nempe latens porticus.

Hoc age. Formula erat solemnis qua popa victimam ferire jubebatur. Hac usus est Chærea, tanquam signo dato sociis, ut et ipsi Caium invaderent.

Iratum. Alii : *accipe ratum*, quod ab auguriis ducebatur, teste Brisson., *de Formul.*, 1, p. 121.

Confecerunt. Seneca, *de Constant. sap.*, xviii : « Plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscantium gladiatorum injectum est. »

Nonnullos. Asprenatem, Anteium et Norbanum, auct. Joseph., l. c.

CAP. LIX. *Hortos Lamianos*. H. e. situs juxta Mæcenatianos. Nardin., *Rom. vet.*, 18, 2.

Revoceat. Illas revocavit Claudius ac bona restituit, ex Dion., lx, p. 667 : Τὴν τε Ἀγριππίαν καὶ τὴν Ἰουλίαν καταγαγόν, τὰς εὐσίας σφίσι ἀπέδοκε.

Confossa. Quod fuse narrat Joseph., ub. sup., qui eam dicit a Julio Lupo fuisse interemtam.

CAP. LX. *Creditum est.* Joseph., l. c. : Εἰς δὲ τὸ θέατρον, ἐπεὶ ἀφίκετο ὁ λόγος περὶ τῆς Γαίου τελευτῆς, ἔκκληξις τε, καὶ ἀπιστία ἦν.

Ab eo. Sc. Caio Cæsare, qui fuit summus orator, teste Cicer. *ad Brut.*, XLVIII.

Sit occisus. Quod narrat Cic., *de Orat.*, III, 3 : « Neque vero longe ab eo C. Julii caput, hospitis etrusci scelere proditum, cum L. Julii fratris capite jacuit; ut ille qui hæc non vidit, et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul extinctus esse videatur. »

IN CLAUDIUM.

CAPUT I. *Peperit.* Intra Cæsaris penates; Dio, XLVIII, p. 384 : Συγκαυῶσα δὲ ἡ γυνὴ τῷ Καίσαρι, τίκει Κλαύδιον Δροῦσον Νέρωνα.

Rhæticæ. A. U. 739.

Germanicæ. A. U. 742 et 743.

Sermone. Quem refert Zonar., *Annal.*, II, p. 166 : Ποῖ δὴτᾶ ἐπίγειη, Δροῦσε ἀλόριστε; οὐ πάντα σοὶ ταῦτα ἰδεῖν πέπρωται ἄλλ' ἀπιθι· καὶ γὰρ σοὶ καὶ τῶν ἔργων καὶ τοῦ βίου τελευτὴ πάρεστιν ἤδη.

Percepit. A. U. 743. Cf. DION., p. 544.

Obiit. A. U. 745.

Scelerata. H. l. significationem calamitatis habet, ut in Floro, I, 12, docente Duker.

Honorarium. In quo corpus non erat; i. e., cenotaphium.

Decurreret. De hoc decurrendi more, Cf. DION., LVI, p. 598; TURNEB., *Adv.* v, 8; KIRCHMANN., *de Funer. Rom.*, III, 3, p. 212 sqq.

Arcum. Quem Ἀψίδα vocat Dio., ub. sup. Cf. FAB., not. ad h. l.

Posterisque. Dio, LV, p. 549 : Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεῖς.

Animi Vell., II, 97 : « Cujus ingenium utrum bellicis imagis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. »

Quandoque posset. Alii : « quaecumque posset, » vel « quandoque restitutum si posset; » docente Cl. Hase.

Laudaverit. Nempe in circo Flaminio, teste Dion., LV, p. 549. *Cæsares.* Sc. Caium et Lucium.

CAP. II. *Consulibus.* A. U. 744.

Dedicata est. Ad confluentem Araris et Rhodani. Vide sup., *Calig.*, XX, et STRAB., IV, p. 133.

Drusus. Neronem vocant Dio, LX, p. 665, et Zonar., *Ann.*, II, p. 181.

Receptam. Postquam sui juris effectus in *tutorum* esse potestate desiisset.

Superjumentarium. I. e. præfectus *jumentariorum*.

Palliolutus. — *Palliolo* ægroti caput tegere solebant. Conf. QUINTIL., XI, 3; SALMAS. *ad Vopisc. Aurelian.*, c. XLV; FERRAR., *de Re Vestiar.*, I, II, et KIRCHMANN., *de Fun. Rom.*, IV, 9, p. 403.

Officio. Vide sup., *Aug.*, XXVI, et *Calig.*, X.

CAP. III. *Avunculus.* Namque Octavia, utriusque Antonia: mater, Augusti soror fuit.

CAP. IV. *Martialibus.* Qui celebrati sunt ab Augusto ann. 765, ob dedicatum Martis templum.

Æstuabimus. I. e. dubii erimus.

Filio. Appio Julio Silano, ex Lips. ad Tacit. *Annal.*, XIII, 1.

Conspici. II. e. notari.

Latinarum. Vide sup., *Cæs.*, LXXXIX.

Athenodoro. Nescio an is quem Augusti Cæsaris præceptorem fuisse dicit Lucian. Macrobi., p. 473. Cf. Voss., *de Hist. Græc.*, II, 3.

CAP. V. *Legitimos.* — *Legitimus* honor est, qui non insignia tantum, sed et rem habet.

Sigillaria. Cf. MACRON., *Saturn.*, I, 10. *Sigillaria* erant parvæ imagines, fœtilibus descriptæ. Quum autem in primis pueris mitterentur, Claudio, ut *puero* et magistratibus gerendis *impari*, ea misit Tiberius.

Suburbano. Al. « suburbana domo. »

CAP. VI. *Quum interim.* In margine nonnullorum : *cui interim*, quod quibusdam placet.

Sejanum. Vide *Tiber.*, XLVIII.

Gratularentur. Al. *exposceretur... gratularetur.*

Deponere. Solebant Romani lacernas deponere, specie honoris, advenientibus principibus, ut pænulas deos oraturi. Conf. FERRAB., *de Re Vestiar.*, II, 1, 29.

Augustalium. Tacit., *Annal.*, I, 54 : « Idem annus (U. C. 767) novas cærimonias accepit; addito *Sodalium Augustalium sacerdotio.* »

CAP. VII. *Gessit.* Dio, LIX, p. 644 : Μετὰ τὸν τοῦ Τιβερίου θάνατον, τότε πρῶτον, καίπερ ἔξ καὶ τεσσαράκοντα ἔτη θεθιωκῶς, καὶ ὑπάτευσαν ἄμα καὶ ἐβούλευσεν.

CAP. VIII. *A copreis.* Vide supra, in *Tiber.*, LXI.

CAP. IX. *Cæsaris.* Sc. Caii Caligulæ.

Conjuratio.... in Germaniam. A. U. 792. De re Cf. DION., LIX, p. 657.

Flumen. Nempe Rhenum.

Recepta est. H. e. admissa est in senatu.

Fidem. Sc. obligatis prædiis.

In vacuum. Alii aliter hæc interpretantur; ne omnia transcribam, Torrent. dicit « bona proscrip̄ta fuisse, tanquam *vacua* aut *vacantia*, h. e. quæ sine domino esse viderentur, donec in fiscum cogerentur » Cl. Hase in *vacuum* esse putat, « in residuam æris alieni partem, sive ad dissolvendum, quod deerat ad totam summam, ærario debitam; » vel omnino, « ut liberaretur. »

Lege prædiatoria. Qua venibant obligata publico prædia eorum qui solvendo non essent. De hac vide SALMAS., *de Modo Usur.*, c. XVI; et ERNEST., *Clav. Cicer.*, in *prædiatorius*.

Pependit. — *Venalis pendere* dicebatur, cujus bona in tabella proscrip̄ta publice *pendebant*.

CAP. X. *Hermæum.* Ἀπὸ τοῦ Ἑρμοῦ, a cujus nomine cœnaculo huic nomen fuit inditum.

Solarium. Locus in ædibus, ubi *solem* excipere et apricari solebant. Macrobr., *Sat.*, II, 4 : « Ego, ut me populus romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum. »

Vela. I. e. aulæa quæ in domibus principum ante fores cubiculorum prætendebantur. Tacit., *Annal.*, XIII, 2 : « Ut adstaret abditis a tergo foribus *velo* discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. »

Agnovit. Sic Joseph., *Ant. Jud.*, XIX, 2 : *Gratum* hunc militem nominatum narrat.

Accitus. Hoc munus obiisse *Veranium* et *Brochum* dicit Jo-

seph., l. c. : Καὶ εἰ μὲν πρῆσθεται, Οὐράνιος καὶ Βροχός, δῆμαρχοι δὲ ἴσαν ἀμφοτέρω, τοῖς δὲ ἔχρῳντο τοῖς λόχοις.

Diversa consentium. Dio, LX, p. 664 : Καὶ πολλαὶ καὶ ποικιλαὶ γῶμαι ἐλέγησαν.

CAP. XI. *Paucis.* Chærea et Lupo, teste Joseph., ub. sup., 3. Claudium se necaturum Chæreas dixerat. Vide JOSEPH., *ibid.*

Augustino. H. e. quo statua Augusti ferebatur.

Patri. Imo patri et matri. Dio, LX, p. 667 : Τῷ δὲ δὴ Δρούσῳ τῷ πατρὶ, τῇ τε Ἀντωνίᾳ τῇ μητρὶ ἵπποδρωμίας εἰς τὰ γενεῖα εἶδωκε.

Neapolitano certamine. Quem ita describit Strab., v, p. 170 : Ἀγῶν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς (sc. Neapolitanis) μουσικός τε καὶ γυμνικός ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἱππικῶν ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα.

Docuit. Edidit ipse suo stylo, discique a scenicis jussit.

Rescidit. Dio, LX, p. 667 : Τὰ μὲν δὴ εὖν ὑπὸ τε Γαίου καὶ ὑφ' ἱπέρων δι' ἐκείνων εὖν ἐρῶς γενόμενα ἀνέτρεψε.

CAP. XII. *Transegit.* Sine publica festivitate : illis enim diebus et jus dixit et senatum habuit. Cf. DION., ub. sup., p. 668, et ZONAR., *Annal.*, II, p. 182.

Procuratores. Intelligit Cl. Hase cum Ernest. de *procuratoribus* principis qui et in Urbe et in provinciis erant; non de præfectis provinciis Cæsareis, qui et ipsi *procuratores* dicebantur.

Magistratuum. Intell. de jurisdictione ordinaria, monente Ernest.

CAP. XIII. *Per factionem.* H. e. conspirationem Galli Asinii et Statilii Corvini.

Civili bello. Sc. Scriboniani.

Gallus Asinius. A. U. 799.

Scribonianus. A. U. 795. Hunc ad defectionem pellexerat Annius Vinicianus, teste Dion., LX, p. 674.

Oppressus est. Diversa de hujus exitu narrant Oros., VII, 6, et Dio, ub. sup.

CAP. XIV. *Pristinum.* Qui gestus fuerat A. U. 790.

Duos primos. Priorem cum C. Largo, A. U. 795; posteriorem cum L. Vitellio, A. U. 795.

Sequentes. Tertium cum L. Vitellio, A. U. 800; quartum cum Serv. Cornelio Orfito, A. U. 804.

Suffectus. Cui suffectus fuerit, eo minus constat, quam a Dion. ut ordinarius consul nominetur. Probabilis videtur Ouden-

dōrpii ratio, qui designatum in hunc annum consulem superiori jam anno (799) demortuum, eique Claudium suffectum, kal. januar. magistratum, ut ordinarium consulem, iniisse existimat.

Dixit. Dio, ub. sup., p. 667 : Καὶ ἐκάστην γε, ὡς εἶπεῖν, ἡμέραν, ἤτοι γε μετὰ πάσης τῆς γερουσίας, ἢ καὶ ἰδίᾳ, τὸ μὲν πλεῖστον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἤδη δὲ καὶ ἀκριβοῦς, ἐπὶ θέματος ἐδίκαζε.

Privatos judices. H. e. rerum privatarum judices. Cf. HEINECC., *Ant. Rom.*, IV, tit. 6.

Formula excidissent. Intell. *rem amisissent.* Cf. JUSTINIAN., IV, 6, 34; QUINTIL., *Inst.*, III, 6, et SENEC., *epist.* XLVIII.

Actiones. Ut qui causam suam perdiderant, iterum agere possent, perinde ac integram. Cf. SIGON., *de Jud.*, I, 30.

CAP. XV. *In cognoscendo.* Ad *cognitiones* transit auctor, a principe extra ordinem habitas.

Rerum actu. Cf. *Aug.*, XXXII.

Liberorum. Ex lege Papia Poppæa quæ munerum immunitatem concedebat eis qui quatuor vel quinque liberos habebant. Conf. HEINECC., *Ant. Rom.*, I, 25, 7.

Responderat. Sc. dum in recognoscendo iudicium albo, nominatim ciebantur judices.

Absentibus.... dabat. Sensus est : Quum altera pars litigantis abesset, pronuntiabat statim pro præsentibus. Occurrit *dare secundum aliquem*, in Tacit., *Ann.*, IV, 43, et in Val. Max., II, 8.

Reum. H. e. qui se falso pro cive romano gessisset. Spiegel., *Lex Jurid.*

Ex tabella. H. e. de scripto.

Detinerent. Al. retinerent.

CAP. XVI. *Censuram.* A. U. 800.

Intermissam. Ab A. U. 732.

Inæqualiter. Al. inæqualiter.

Provinciae. H. e. Achaïæ, quæ e popularibus erat provinciis.

Albo. Quid fuerit vide in *Tiber.*, LI.

Excessissent. Italia enim excedere non poterant senatores, injussu imperatoris, ex edicto Augusti, teste Dion., LII, p. 494.

Sigillaria. H. l. vicus Romæ celebris, ubi res venales exponebantur. In regione septima urbis videtur fuisse. Cf. BORRICH., *Ant. Rom.*; FAC.; c. IX; NARDIN., *Rom. Vet.*, IV, 10.

Picarentur. I. e. pice linerentur, ut in Colum., *de Re Rust.*,

xii, 18 : «Dolia quoque, et seriæ, cæteraque vasa ante quadragimum vindemiæ diem picanda sunt.»

CAP. XVII. *Britanniam*. Cf. DION., LX, p. 677.

Navigaret. A. U. 796, Caio Crispo II et T. Statilio Coss. ex Dione, l. c., p. 680.

Circio. De hoc Plin., *H. N.*, II, 46 : «In Narboneasi provincia clarissimus ventorum est Circius, nec ulli violentia inferior.»

Stœchadas. Plin., *H. N.*, III, 11 : «Tres Stœchades a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem, quas item nominant singulis vocabulis Protes et Meses, quæ et Pomponiana vocatur; tertia Hypæa.»

Gesoriacum. Nunc *Bononia*. Plin., *H. N.*, IV, 30 : «Britannia abest a Gesoriaco Morinorum gentis litore proximo trajectu quinquaginta millia.»

Paucissimos. Sedecim, auct. Dion., LX, p. 679.

Apparatu. Plin., *H. N.*, XXXIII, 3 : «Claudius, quum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas, septem pondo habere, quam contulisset Hispania Citerior, novem quam Gallia Comata, titulis indicavit. » Cf. TACIT., *Annal.*, XIV, 31, et DION., ub. sup.

Carpento. Quem honorem senatus decreverat. Dio, *ibid.*

CAP. XVIII et XIX. *Emiliana*. De *Emilianis* loco extra Urbem ad Campum Martium, conjuncto tamen continenteque Urbi, vide LIPS., ad Tacit. *Annal.*, XV, 40.

Diribitorio. Fuit hoc ædificium in nona Urbis regione, destinatum *diribendis*, h. e. distribuendis ad comitia tabulis, stipendiis et donativis militum; nonnunquam etiam spectaculis.»

CAP. XX. *Marsis*. In quorum finibus fuit lacus Fucinus, testa Strab., V, p. 166.

Claudia aquæ. De hac Frontin., *de Aqueduct.*, I : «Claudia concipitur via Sublacensi, ad milliarium 38 diverticulo sinistrorsus intra passus 300 ex fontibus duobus amplissimis et speciosis.» Cf. CASSIOD., *Var.*, VII, 6.

Brachio. H. l. de muro ita porrecto, ut totum amplecti velle videatur; sic Liv., XXXVIII; 5 : «Nicodamus circumdato brachio in urbem penetrat.»

Solo. Al. *salv.*

CAP. XXI. *Commentitia*. Sc. recens excogitata.

Superiores ades. H. e. templum Veneris superpositum theatro. In *historiis*. Harum meminit Plin., *H. N.*, XII, 17 : «Petunt

igitur in Elymæos arborem bratum, cupresso fusæ similem, exalbidis ramis, jucundi odoris accensam, et cum miraculo Historiis Claudii Cæsaris prædicatam. »

Histrionum. — *Stephanionem*, qui et Augusti et Claudii secularibus productus fuit, nominat Plin., *H. N.*, VII, 48.

Missus. H. e. equorum emissiones.

Spectare. Haud ita intelligendum *promiscue spectare*, quasi mixtim senatores inter plebem sedissent, quum confusissimum spectandi morem ordinasset jam Augustus, sed huic ordini nondum propria data fuerunt sedilia, quæ occupare reliquæ multitudini haud liceret, quod nunc mutatum a Claudio, monente Cl. *Hase*.

Detrahunt. Plin., *H. N.*, VIII, 45 : « Primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar dictator. »

Prætorianis. Quia *prætorianorum* maxime opera imperium illi fuerat delatum.

Sportulam. — *Sportula* minus erat quam recta cœna; spectaculum ergo minus justum et vile *sportulam* haud invenuste appellavit Claudius.

Communior. Ita Dio, LX, p. 673 : Ὅτι δὲ δὴ σφίσι κοινῶς ἐν τῇ θέρᾳ συνῆν.

Palumbum. Gladiatoris nomen erat, quod ad avem nominis ejusdem deflectebat Claudius.

Rudem. Cf. *Tiber.*, VII.

Commisit. Dio, LX, p. 687 : Ἐν τινὶ δὲ λίμνῃ ναυμαχίαν ὁ Κλαύδιος ἐπεθύμησε ποιῆσαι, τείχεός τε περὶ αὐτὴν ξύλινον κατασκευάσας, καὶ ἰσθμὸν ἔπηξε, πλεθρὸς τε ἀναριθμητὸν ἤβρισσε. Cf. Tacit., *Annal.*, XII, 56 : « Sub idem tempus — occidioni exempti sunt. »

CAP. XXII. *Juratus.* Sc. se nonnisi dignissimum nominaturum.

Avi. Avem incendiariam intelligit Torrent., i. e. bubonem.

CAP. XXIII. *Conjunxit.* Antea mixti erant menses labori judiciali et feriis dati; novo Claudii instituto altera pars anni judicialis, altera feriis sine intermissione destinata est.

Demandavit. Pompon., *Orig. jur. Digest.*, I, 2, 32 : « D. Augustus sedecim prætores constituit; post deinde D. Claudius duos adjecit, qui de fideicommissis jus dicerent. »

Extra ordinem. H. e. non observato agnatorum ordine.

Sedebat. Cf. *Dion.*, LX, p. 675.

Fecit. *Dion.*, l. c., p. 682 : « Τοῖς δ' εὖν αἰτουμένοις ὥστε ἔξω τῆς Ἰταλίας ἀποδημῆσαι, ἐφίσι μὲν καὶ καθ' ἑαυτὸν ἄνευ τῆς βουλῆς.

CAP. XXIV. Ducenariis. I. e. quorum stipendium essent *duccena sestertia*. Dio, LIII, p. 506 : « Καὶ τοῖς ἐπιτρόποις ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων προγίγνεται.

Provincia. Quo mittere quæstores Augustus solitus, teste Dion., LV, p. 551.

Saturni. Cf. *Aug.*, xxxvi.

Dedit. Tacit., *Annal.*, XII, 3 : « L. Silano desponderat Octaviam Cæsar, juvenemque et alia clarum, insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. »

Plautio. De hoc Tacit., *Agg.*, XIV : « Consularium primus Augustus Plautius Britanniae præpositus, et consularis legatus. »

Texit. H. e. ad sinistram fuit.

Chaucis. Tacitus contra, *Annal.*, XI, 18, et Dio, LX, p. 685, a Corbulone fuisse devictos Chaucos narrant.

CAP. XXV. Militias. Sc. militiæ gradus, qui *equestris ordinis* hominibus dabentur.

Stipendia. Nempe *imaginaria* : qui *imaginaria* stipendia per certos annos meruerant, iis hoc imputabatur, tanquam justam militiam per idem tempus fecissent.

Ingratus. Intell. *libertos*. Paull., *Digest.*, XXXVII, 14 : « Ingratus libertus est, qui patrono obsequium, vel res ejus, filiorumve tutelam administrare detrectat. »

Æsculapii. Cf. LIV., II, 5, et OVID., *Metam.*, XV, 733.

Transtulerat. Teste Tacito, *Annal.*, I, 76.

Reddidit. Id narrat Dio, LX, p. 680.

Lyciis. Dio, *ibid.*, p. 676 : « Ὁ Κλαύδιος, ὑπατεύσας αὐθις τὸ τρίτον, τοῖς Λυκίοις στασιάζοντες, ὥστε καὶ Ῥωμαίους τινὰς ἀποκτεῖναι, ἰδουλώσατό τε, καὶ ἐς τὸν τῆς Παμφυλίας νομὸν ἐπέγραψεν.

Delictorum. H. e. propter cives quosdam romanos in crucem actos, A. U. 797.

Selueco. Sc. *Secundo* seu *Callinico*.

Chresto. De quo magnus inter doctos dissensus : antiqui omnes de *Christo* intellexerunt ; recentissimi autem hominem incertum, græcæ originis, sed Judæorum sacra professum. Cf. HILSCHENI *Dissert.*, et CL. HASE, ad h. l.

Permisit. A. U. 812, ex Tacit., *Annal.*, XIII, 34.

Populariis. Sc. theatri gradus in quibus sedebat populus.

Senatu. H. e. in senatorum sedibus.

In Sicilia. Addidit in *Sicilia*, quoniam Romæ etiam Veneris Erycinæ templum erat.

Præfatione. Cf. LIV., I, 24.

CAP. XXVI. *Proneptem.* Filiam Juliæ, neptis Augusti.

Offenderunt. Pater Æmilius conjuratione in Augustum, mater Julia vitæ turpitudine.

Affecit. A tribuno in hortis Lucullianis, auct. Tacit., *Annal.*, XI, 37 et 38 : « Tunc primum fortunam suam introspevit, feramque accepit, quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transigitur. »

Conditionibus. H. e. matrimonii.

Conjugiorum. Tacit., *Annal.*, XII, 7 : « Senatam ingressus, decretum postulat quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur. »

Nec repertis. Ibid. : « Neque tamen repertus est, nisi unus, talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, eques romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulsam ferebant. »

CAP. XXVII. *Desponsatam.* Cf. TACIT., *Annal.*, XII, 3.

Adoptavit. A. U. 803. Tacit., I. c., 25 : « C. Antistio, M. Snilio COSS., adoptio in Domitium, auctoritate Pallantis, festinatur. »

CAP. XXVIII. *Posides.* De quo Juvenal., sat. XIV, 91 :

Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.

Hasta pura. H. e. sine ferro. Sic Virg., *Æneid.*, VI, 760 :

Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta.

Cf. SERV. ad h. l.

Felicem. Qui fuit Pallantis frater. Cf. TACIT., *Annal.*, XII, 54.

Trium reginarum. E quibus duæ fuerunt Drusillæ, altera M. Antonii triumviri et Cleopatræ neptis; altera Judæa soror Agrippæ; tertia ignoratur. *Reginæ* vocantur, non quod regia dignitate ipsæ gauderent, sed quod regum essent neptes vel filiæ.

Arpocran. Hujus meminit Seneca in *Apok.*, p. 838 : « Convulnerunt primum omnium liberti Polybius, Myron et Harpocras. »

Polybium. Quem Seneca in morte fratris consolatus est. Quanti hunc Claudius fecerit docet Dio, LX, p. 684.

Pallantem. De hoc Zonar., *Annal.*, II, p. 184 : ὁ Πάλλας, ὃς ἐ τῶν χρημάτων διαίτησις ἐμπιστεύετο.

Quæstorius prætoriusque. Cf. Tacit., *Annal.*, XI, 38, et XII, 53 CAP. XXIX. *Ut dixi*. Vide cap. xxv.

Compendio. Cf. Dion., LX, p. 676.

Appium Silanum. Vide infra, xxxvii.

Majoris filix. Sc. Antonix.

Minoris. Sc. Octavix. Cf. Tacit., *Annal.*, XII, 4.

Senatores. Seneca, in *Apok.* : « Occisos senatores xxx, equites romanos cccxv atque plures; ceteros ccxxi ἕσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Transferendumque. Nempe in alterum Messalinæ maritum : hujus enim marito pericula portendi, timido homini persuaserant. monente Cl. Hase.

CAP. XXXII. *Super emissarum*. Tacit., *Annal.*, XII, 57 . « Quin et convivium, effluvio lacus appositum, magna formidine cunctos affectit; quia vis aquarum prorumpens proxima trahebatur; convulsis ulterioribus, aut fragore et sonitu exterritis. »

Convivæ. Hunc T. Vinium fuisse narrat Tacit., *Hist.*, I, 48.

CAP. XXXIII. *Temere*. H. e. fere, ut in Nep., xxv, 20 : « Nullus dies temere intercessit. »

Lusit. Unde Seneca in *Apok.* :

Lugete.

Vosque in primis,

Qui concusso

Magna parastis

Luera fritillo.

CAP. XXXIV. *Repræsentabat*. Nempe, *statim exigebat*, ut in Val. Max., VI, 5 : « Quum liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, *pœnas tamen repræsentare* maluit, ne qua fraus fieret justitiæ. »

Antiqui moris. Cf. *Neron.*, XI, IX, et *Domit.*, XI.

Bestiariis meridianisque. — *Bestiarii* mane pugnabant; *meridiani* vero circa *meridiem*, unde nomen suum invenerunt. Cf. BULENGER., de *Venat. Circi*, xxxiv.

Cessisset. H. e. non satis accurate paratum esset.

CAP. XXXV. *Speculatores*. De quibus vide *Aug.*, xxvii.

Ministorum. Sc. servorum triclinariorum.

Motu civili. Cf. xiii.

Camillus. Intell. *Furius Scribonianus*, de quo sup., xiii.

CAP. XXXVII. *Appium Silanum*. Dio, LX, p. 674 : Τοῦτον γὰρ, εὐγενέστατον τε ὄντα, καὶ τῆς Ἰσθρίας τότε ἀρχόντα, μεταπεμφάμενος, ὡς τι αὐτοῦ δεόμενος, καὶ τὴν τε μητέρα οἱ τῆς Μεσσαλίνης συνοικίσας, καὶ αὐτὸν ἐν ταῖς φιλτάταις καὶ ἐν ταῖς συγγενεστάταις χρόνον τινὰ τιμήσας, ἔπειτ' ἐξαίφνης ἔσφαξεν.

Formata. H. e. composita ut admirari videretur.

CAP. XXXVIII. *In ordinem se coactum*. H. e. contemptui habitum : namque *in ordinem cogi* dicebantur magistratus qui ad privatorum conditionem quodammodo redigebantur. Cf. LIV., XLIII, 16 : « Eo facto, advocatam a se concionem tribunus questus, et in ordinem se coactum, etc. »

Tantum non satisfaciens. H. e. excusantis. In codicibus et editt. hæc verba misere sunt corrupta et transjecta.

Aduisset. Causam ita egisset, ut in Claudium quædam vehementius et contumeliosius diceret.

Contra vetitum. Cf. DION., LX, p. 669.

Stationem. H. e. imperium.

CAP. XXXIX. *Oblivionem*. Cujus insigne exemplum adfert Tacit., *Annal.*, XI, 38 : « Nuntiatum Claudio... juvitque oblivionem ejus senatus. »

Domina. — *Dominas* uxores suas vocare solebant Romani. Epict. *Enchir.*, LXII : Αἱ γυναῖκες εὐθύς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαί καλεῦνται.

CAP. XL. *Nec quis*. Muller. : « Nec quos. »

Theogonius. Stultum hominem intelligo cujus nomen in proverbium abierat, quod nunc ignoramus. Casaubono ex opt. MSS. *Telegennus* magis arridet.

CAP. XLI. *Historiam*. Quarum meminit Plin., *H. N.*, XII, 17.

Tito Livio. Al. Lucio Livio.

Sulpicio Fulvio. Hunc omnes ignorant. Al. *Flavo*.

Posterioris. Commemoratur a Priscian., VI, p. 697.

Ineleganter. — *Inepte* ad argumentum, *ineleganter* ad orationem sive stylum spectat.

Litteras tres. Tacit., *Annal.*, XI, 14 : « Nobis quoque paucæ primum fuere ; deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adjecit, quæ usui, imperitante eo, post oblitteratæ, adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. »

CAP. XLII. *Oratione.* — *Græca* scilicet, quod erat contra institutum veterum.

Excubitori. H. e. qui excubitorum cohorti præerat.

Χαλιπαίνης. Al. Χαλιπαίνης. Versus est in *Odyss.*, xvi, 72, quem citat Dio, lx, p. 675.

CAP. XLIII. *Esse.* Tacit., *Annal.*, xii, 64 : « Sed in præcipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus jecerat, *fatiale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret*, metuens, agere et celerare statuit, perditâ prius Domitia Lepida. »

Complexus. Cf. TACIT., l. c., 65.

ἴσεται. Hoc oraculum Telepho olim datum Nostro restituit e codd. Victorius, *Var. Lect.*, xxiy, 14.

Permitteret. Xiphil., lxi, p. 689 : Γνήσιος γὰρ τοῦ Κλαυδίου παῖς ἐπεθύμει, καὶ τῆ τοῦ σώματος ἀμυγῆ, καὶ ὑπὲρ τῶν ἰπῶν ἀριθμὸν, ᾗθει.

Verum. H. e. non arcessitum, qualis erat Nero.

CAP. XLIV. *Non multoquæ.* Muller suadet : « Non multo *itaquæ.* » *Occisum.* Cf. TACIT., *Annal.*, xii, 66 et 67 : « Deligitur artifex talium, vocabulo Locusta... peragi cum præmio. »

Halotum. Sic Tacit., l. c.

Boletum. Juvenal., sat. v, 146 :

Vilibus aucipites fungi ponentur amicis;
Boletus domino; sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, postquam nil amplius edit.

CAP. XLV. *Suscepta sunt.* Cf. TACIT., l. c., 68.

Octobris. Seneca, *Apol.* : « Mensis erat october, dies tertius idus octobris. » Ita Dio, lx, p. 688.

Consulibus. A. U. 807.

Ætatis. Rem ad severiores calculos vocat Zonar., *Annal.*, ii, p. 187 : Ζήσας ἔτη ἐπὶ τρεῖσιν ἐξήκοντα καὶ μῆνας δύο καὶ ἡμέρας τρισκαίδεκα.

Pompa. Tacit., *Annal.*, xii, 69 : « Cœlestesque honores Claudio decernuntur, et funeris solemne, perinde ac divo Augusto celebratur, æmulante Agrippina præviæ Liviæ magnificentiam. »

Per Vespasianum. Cf. infr. *Vespas.*, ix.

CAP. XLVI. *Præsignia mortis.* Tacit., *Annal.*, xii, 64 : « Signa ac tentoria militum igne cœlesti arsere; fastigio Capitolii exomen apum insedit; bifformes hominum partus, et suis fetum editura.

cui accipitrum unguēs inessent.» Præter ea, Dio, Ix, p. 688 : ἡ ψεκὰς ἢ αἱματώδης, ὃ τε σκῆπτος ὃ ἐς τὰ δορυφορικὰ σημεῖα ἔμπεσών, καὶ ἡ αὐτόματος τοῦ ναοῦ τοῦ Νικαίου (sc. Jovis) ἀνοιξίς, τό τε σημεῖος τὸ ἐν τῷ στρατοπέδῳ συστραφέν.

Obierant. Tacit., l. c. : « Numerabatur inter ostenta dominatus omnium magistratuum numerus, quæstore, ædili, tribuno ac præ-tore et consule, paucos intra menses defunctis. »

Abominantibus. H. e. non admittentibus.

IN NERONEM.

CAPUT. I. *Gemini.* Sc. Dioscuri, ex Dionys., *Ant. Rom.*, vi, p. 351.

Victoriam. Quam A. Postumius dictator apud lacum Regillum, bello Latinorum, cum Octavio Mamilio Tusculanorum duce reportavit idibus quintilibus, A. U. 258.

Redderent. Plutarch. in *Æmil.*, p. 268 : Ἐἴθ' οἱ μὲν ἐπιψαῦσαι λέγονται τῆς ὑπῆνης αὐτοῦ ταῖν χειρῶν ἀτρέμα μειδιῶντες· ἢ δ' εὐθὺς ἐκ μελαίνης τριχῆς εἰς πυρρᾶν μεταβαλεῦσα, τῷ μὲν λόγῳ πίστιν, τῷ δ' ἀνδρὶ παρασχεῖν ἐπίκλησιν τὸν Αἰνόβαρθεον, ὃπερ ἐστὶν χαλκοπέδων.

Consulatibus septem. Imo octo, ut docent Fasti Capitolini. Cf. VELL., II, 10.

Duplici. Cn. Ænobarbus censor fuit cum L. Metello A. U. 639; eademque potestate functus est filius A. U. 662 cum L. Crasso oratore.

Per trinas personas. H. e. ut tres perpetuo tenore et continua serie dicerentur *Cnæi*; et mox totidem *Lucii*.

CAP. II. *Sacerdotum.* Confundit h. l. Suetonius patrem et filium. Nempe pater triumphavit de victis Allobrogibus, filius legem tulit de sacerdotiis, tribunus plebis, ann. 650.

Cæsarem. Cf. *Cæs.*, XXIII et XXXIV.

Destituit. Vide CÆSAR., *Bell. Civ.*, II, 22. Clam dimissum dicit Dio, XII, 22 : Καὶ διακωχὴν τινα, ὡς καὶ τῷ Καίσαρι, ἐπειδὴν ἔλθῃ, προσχωρήσοντες, ποιησάμενοι, τὸν τε Λομίτιον ὑπεξέπεμψαν.

Occubuit. Cæsar, ub. sup., III, 99 : « L. Domitius, ex castris

in montem, quum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus. » Cf. LUCAN., VII, 599 sqq.

CAP. III. *Necis.* Appian., *B. C.*, v, p. 703 : Ἦν γὰρ Ἀννόβαρος τῶν κατερωσμένων τε ἐκ δίχης ἐπὶ Γαίῳ Καίσαρι φόνου, καὶ προγεγραμμένων ἐπὶ τῇ καταδίωξί.

Lege Pedia. Vell., II, 69 : « Lege Pedia, quam consul Peditus, collega Caesaris, tulerat, omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. »

Retinuit. Cf. VELL., II, 72.

Tradidit. Cf. APPIAN., v, p. 703, et VELL., II, 72 et 76.

Honores. A. U. 722 consul fuit cum C. Sosio.

CAP. IV. *Entorem.* — *Emtor familiae* dicebatur, qui, quum *per aes et libram* testamentum fiebat, adhibitis quinque testibus, per imaginariam quamdam mancipationem, certa juris solemnitate, hereditatem emebat, nuncupato interea in hunc modum testamento.

Bello. Tacit., *Annal.*, IV, 44 : « Domitius exercitu flumen Albi transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum : easque ob res insignia triumphu adeptus est. »

CAP. V. *Juvenis.* Addidit *juvenis*, quod de C. Caesare imperatore cogitare aliquis poterat, eodem nomine mox cap. VI memorato.

Mercede palmarum. H. e. victoriae praemio, quod illis promiserat.

Adulteriorum. Cf. TACIT., *Annal.*, VI, 47.

Lepida. De hac vide TACIT., *Annal.*, XII, 64.

Pyrgis. Oppidum fuit Etruriae inter Graviscae et Caere. Cf. STRABON., v, p. 156, et CELLAR., *Geog. Ant.*, II, 9, p. 735.

Genita. A. U. 781. Tacit., *Annal.*, IV, 75 : « Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam, quum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit, etc. » Cf. DION., LXI, p. 696.

CAP. VI. *Ex oriente sole.* Quod inter praesagia, quae Neroni imperium portenderunt, commemoratur a Dione, l. c., p. 690.

Patris vox. Haec fuit vox illa Domitii, teste Dion., *ibid.* : Ὅτι ἀδελφῶν ἴστω ἀνδρα τὸν ἀγαθὸν ἐκ τε ἐμοῦ καὶ ἐκ τῆς μητρός γεννηθῆσαι.

Dies lustricus. Macrobi., *Saturn.*, I, 16 : « Est autem *dies lustricus*, quo infantes lustrantur et nomen accipiunt : sed is maribus nonus, octavus est feminis. » Ritus usitatos describit Pers., sat. II, 71.

Crispi Passieni. De hoc Plin., *H. N.*, xvi, 44 : « In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus, bis consul, orator : Agrippinæ matrimonio, et Nerone privigno postea clarior. »

Refugisse. Cf. TACIT., *Annal.*, xi, 11.

CAP. VII. *Undecimo.* Adoptatus est C. Antistio, M. Suilio coss., ann. 803. Tacit., *Annal.*, xii, 25. Scribendum igitur *duodecimo*, ut Lipsio ad h. l. visum, vel etiam *tertio decimo*, ut Oudendorpio ad Nostr. Facillimus error in numeris xi, vel xii, vel xiii.

Fratrem. Cf. TACIT., *Annal.*, xii, 41.

Deductus. A. U. 805, ex Tacito, *ibid.*

Pro Bononiensibus. Tacit., l. c., 58 : « Eodem (sc. Nerone) oratore Bononiensi coloniæ, igni haustæ subventum, centies sestertii largitione. »

Pro Rhodiis atque Iliensibus. Vide *ibid.*

Nec multo post. A. U. 807, ex Tacit., ub. sup.

CAP. VIII. *Septimamque.* — *Medio diei*, in Tacit., *ibid.*, 69.

Raptim appellatis militibus. H. e. post brevem ad milites orationem.

CAP. IX. *Laudavit.* Quomodo Claudium laudaverit Nero, narrat Tacit., *Annal.*, xiii, 3 : « Die funeris.... quamquam oratio a Seneca composita multum cultus præferret. »

Matri. Tacit., *ibid.*, 2 : « Propalam in eam honores cumulabantur, signumque more militiæ petenti tribuno dedit *optimæ matris*. Decreti et a senatu duo lictores, Flaminium Claudiale. » Cf. XIPHIL., lxi, p. 690 : Καὶ τὸ μὲν πρῶτον.... καὶ βασιλεῦσιν ἐπέστελλον.

CAP. X. *Omisit.* Cf. TACIT., *Annal.*, xiii, 10 et 11; et SENEC., *de Clement.*, 1, 11.

Vectigalia. Tacit., l. c., 50 : « Eodem anno (812) crebris populiflagitationibus, immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet.... sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuerunt senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus respublica sustineretur, deminuerentur. »

Cuique. Uti Valerio Messalæ, ex Tacit., *Annal.*, xiii, 34.

CAP. XI. *Juvenales.* Hos instituit, test. Tacit., *Annal.*, xiv, 15, causam docet Xiphil., lxi, p. 698 : ἕτερον αὖ εἶδος ἐορτῆς ἤγαγεν ἐπεκλήθη δὲ Ἰουβενάλια, ὡσπερ τινὰ νεανισκείματα, καὶ ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ

γενεῖω αὐτοῦ· καὶ γὰρ τοῦτο τότε πρῶτον ἐξήρατο, καὶ τὰς γὰρ τρίχας ἐς σφαίριον τι χρυσοῦν ἐμβάλων, ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ.

Tribuit. Idem narrat Tacit., *Annal.*, xv, 32; addit autem : « Namque ad eum diem indiscreti inibunt, quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit. »

Afranii. De quo Quintil., *Inst.*, x, 1 : « Excellit togatis; utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus mores suos fassus. » Horat., *Epist.*, 11, 1, 58 :

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro.

Agri. Cf. XIPHIL., LXI, p. 698.

CAP. XII. *Proscenii.* Locus erat ante *scenam* porrectus. Cf. BUISSON., *de Theat.*, 1, 26.

Noxiorum. Sc. ex iis qui in ludum venatorium, aut ad bestias sententia iudicis damnati erant.

Exhibit. De hoc queritur Tacit., *Annal.*, xv, 32 : « Feminarum illustrium senatorumque plures per arenam fœdati sunt. » Cf. JUVENAL., sat. vi, 189.

Quibus. Ephebis scil.

Juxta cubiculum. H. e. suggestum in quo cubabat.

Quinquennale. Cf. TACIT., *Annal.*, xiv, 20. Xiphil., LXI, p. 699 : Ἰπὲρ δὲ δὴ σωτηρίας τῆς τε διαμονῆς τοῦ κράτους αὐτοῦ (οὕτω γὰρ περ προέγραψεν), ἀγῶνα πενταετηρικὸν κατεστήσατο, Νερώνεια αὐτὸν ἐνομάσατο.

Dedicatisque. Cf. TACIT., l. c., 47; et EUTROP., vii, 9.

Ipsorum. Eorum qui cum eo contenderant.

Buthysiæ. Quod erat magnum et solemne sacrificium.

CAP. XIII. *Introitum.* A. U. 819. Xiphil., LXIII, p. 717 : Ὁ Τριδάτης ἐς τὴν Ῥώμην εὐχ. ὅτι τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοῦ Οὐλοιστάτου, τοῦ τε Παλλέρου, καὶ τοὺς τοῦ Μενεβάζου ἀγῶνα, ἀνέχθη.

Templa. Non ædes modo deorum in Foro positas intellige, quum etiam curia, basilicæ, comitium templa sint. De re Cf. XIPHIL., l. c., 717.

Signa... vexilla. — *Signa* sunt legionum, *vexilla* centuriarum. Vide VEGET., 11, 13.

Dextro. Nempe honoris causa.

In Capitolium. Imo in *Jovis Capitolini gremium*. Cf. DEMPSTER. ad ROSIN., *Ant. Rom.*, x.

CAP. XIV. *Primum*. A. U. 808, cum L. Antistio Vetere.

Secundum. A. U. 810, cum L. Calpurnio Pisone.

Novissimum. A. U. 813, cum Cornelio Lentulo Cosso.

Tertium. A. U. 811, cum Marco Valerio Messala.

CAP. XV. *Continuis.... ageret*. Ernest. et Oudendorp. dicunt Neronem omisisse veterem morem *continua oratione* sc. *actione* aliquam causam perorandi, ubi oratoris artificia magis valerent, quam iudicii veritas; contra *singillatim quæque egisse*, h. e., de singulis causæ capitibus, productis testibus, litteris, aliisque iudicii instrumentis; idque *per vices*, utraque parte alternatim audita.

Numerum. Sc. legibus præscriptum.

Præposuit. Cf. Tacit., *Annal.*, XIV, 28.

Caniniū Rebili. Vide in *Cæs.*; LXXVI.

Dignitatis. Repete *nonnullis* e sequentibus.

CAP. XVI. *Excogitavit*. Post Urbis incendium. Cf. Tacit., *Annal.*, XV, 43.

Afflicti. Primus Nero christianos suppliciiis afflixit, teste Oros., VII, 7.

Suppliciiis. Tacit., *Annal.*, XV, 44 : « Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. »

Relegatæ. Tacit., *Annal.*, XIII, 25 : « Discordi populo et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia repellerentur. »

CAP. XVII. *Pertusæ*. H. e. *perforatæ*. Paul. *Sentent.*, v, 25 : « Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis, *ad mediam partem perforatæ*, triplici lino constringantur, atque impositum supra linum cære signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter prolatae nihil momenti habent.

Signaturis. H. e. testibus, qui signaturis essent, *vacuæ* heredum nominibus ostenderentur, quos nosse testium non intererat.

Mercedem. Contra legem Cinciam, de qua Tacit., *Annal.*, XI, 5 : « Consurgunt patres, legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. »

Pro subselliis. Nihil aliud sunt *subsellia* quam *judices*, docente Pitisc. ad h. l.

Fierent. Cf. Tacit., *Annal.*, xiv, 28.

CAP. XVIII. *Polemon.* De hoc Joseph., *Ant. Jud.*, xix, 7 : *Καὶ Πολέμων τὴν Πέντεν κενταμένεσ; δυνασταίαν.* Cf. Aurel. Vict., *de Cæsare*, 5.

CAP. XIX. *Caspia portas.* Quæ sunt angustia Tauri montis. Cf. Strab., xi, p. 300, et Cellan., *Geogr. Ant.*, iii, 18.

CAP. XX. *Terpnum.* Cujus habitum induisse Neronem dicit Philostr., v, 2.

Chartam. H. e. laminam, ut in Plin., *H. N.*, xxxiv, 18 : « Nero princeps lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonstravit rationem. »

Cibisque. Cf. Plin., *H. N.*, xix, 6.

Blandiente. H. e. *hortante*; sic Justin., xxiv, 4, 6 : « Hortante successu. »

Fusca. Μέλαν φόνισμα dicitur a Xiphil., lxi, p. 699 : *Καὶ τὰ καὶ ἑρῶν καὶ μέλαν φόνισμα ἔχων, ὥστε καὶ γήλοτα ἔμα καὶ δάκρυα πασι κινῆσαι.*

Occulta. Gell., xiii, 30 : « Nosti, inquam, magister, verbum illud scilicet e Græcia vetus : Musicam, quæ sit abscondita, eam esse nulli rei. » Cf. Lucian., *Harm.*, xv, 33.

Tinniturum. — *Subbibere* est græce ὑπεπίνειν, quod quasi quemdam jocum facit cum ὑπέπικνόν τι ἔχῃν. *Aliquid sufferi tinnire.* — Cf. Turneb., *Advers.* xxviii, 18.

Neque eo segnius. Cl. Hase : « Neque eo secius. »

Juventutis. — *Augustales* dieti sunt. Cf. Xiphil., lxi, p. 699.

Lævis. Muller. : *læves* seu *leves*. H. e. nondum barbati pueri, qui nondum, ut equites, annulos gestabant.

CAP. XXI. *Diem.* H. e. quinquennio, quod suis ludis legitimum præscripserat, nondum exacto.

Statione. — *Statio* et *stationarii* et *excubiæ* vocabantur milites qui in teatro aut in circo, ludorum tempore, agebant ad comprimendas populi turbas. Tacit., *Annal.*, xiii, 24.

Principio. H. e. *πρῶτον*.

Consularem. Xiphil., lxi, p. 721. Rufus ille consul fuit A. U. 798. Joseph., *Ant. Jud.*, xx, 1. Cf. Voss., *de Hist. Lat.*, i, 27.

Privatis. H. e. a magistratibus editis, qui comparati cum principe, *privati* dicuntur.

Quodam. Fuit hic Larcus Lydus. Xiphil., l. c., p. 724.

Personatus. Ita Vindex apud Xiphil., *ibid.* : Εἶδον, ὃ ἄνδρες, εἶδον τὸν ἄνδρα ἐκεῖνον ἐν τῷ τοῦ θεάτρου κύκλῳ καὶ ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, ποτὲ μὲν κινῶσαν ἔχοντα, καὶ ὀρθοστάδιον, καὶ καθάρους, ποτὲ δὲ ἐμβάτας καὶ προσωπίειν.

Parturientem. Xiphil., *ibid.*, p. 725 : Εἶδον αὐτὸν κύοντα δὴ, τίκοντα δὴ, κ. τ. λ.

Opis gratia. Καὶ προσδραμῶν ἔλυσεν. Xiphil., *ibid.*

CAP. XXII. *Prasinum.* H. e. inter aurigas *prasinæ factionis*. Vide in *Calig.*, LV.

De Hectore. Sc. tracto circum Iliacos muros.

Greges. Dubitant de aurigisne intelligunt *græges*, an de equis : putare licet de utrisque.

Aurigare. Cf. TACIT., *Annal.*, XIV, 14.

Petit. A. U. 819.

Cassiopen. Fuit Cassiope Epiri urbs : ejusdem nominis et oppidum in Corecra insula. Plin.; *H. N.*, IV, 12, dicit fuisse ibi templum Jovis Cassii.

CAP. XXIII. *Admoneretur.* Xiphil., ub. sup., p. 723 : Ὁ δὲ Ἥλιος πόλλ' αἰεὶ μὲν καὶ πρότερον ἐπιστείλας αὐτῷ, παραινῶν ὅτι τάχιστα ἀνακεκοσμηθῆναι ὡς δ' οὐκ ἐπέθετο, ἦλθεν αὐτὸς εἰς τὴν Ἑλλάδα ἐβδόμη ἡμέρᾳ, καὶ ἐξεφύθησεν αὐτὸν, εἰπὼν μεγάλην τινα ἐπιβουλὴν ἐν τῇ Ῥώμῃ παρασκευασθαι κατ' αὐτοῦ.

Dignus. Juvenal., sat. VIII, 224 :

Hæc opera atque hæc sunt generosi principis artes.

Itaque... funere elati. Cf. TACIT., *Annal.*, XVI, 5, et XIPHIL., LXIII, 15.

Judicum. Tacit., l. c. : « Sententias judicum opperiebatur ficto pavore. »

CAP. XXIV. *Ita legi obediebat.* Tacit., *Annal.*, XVI, 4 : « Ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret; ut nulla oris aut narium excrementa viscerentur. »

Baculum. H. e. sceptrum.

Hypocrita. — *Tragedus* canebat, i. e. modulate pronuntiabat;

histrionum vel hypocrita vel pantomimus saltabat et gesticulabatur; et præter hos aderat *tibicen*. Gronov. ad Liv., VII, 2.

De præconio. Nempe de præconum arte et vocis magnitudine. *Coronatus est*. Ita Xiphilin., LXIII, p. 721.

CAP. XXV. *Muri*. Agones quibus hic tribuebatur honor, dicti inde *Iselastici*. Vide BULENGER., de *Circo*, LV, et FABR., *Agonist.*, II, 10.

Olympiacam.... Pythiam. — *Olympiacam oleaginam, Pythiam lauream* gerens.

Ceterarum. Intell. *coronarum*, ut *pompa coronarum* sit pompa coronas gestantium, sueto usu, de quo vide OUDENDORP.

Tiulis. Sc. in tabellis hastis affixis, teste Xiphil., ub. sup., p. 723.

Augustianos. De quorum numero et plausu, Dio, LXI, p. 699; Tacit., *Annal.*, XIV, 15 : « Tum primum conscripti sunt equites romani, cognomento *Augustanorum*. Hi dies ac noctes plausibus personare, formam principis vocemque deum vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari honoratique agere. »

Maximi. De Circo maximo Cf. NARDIN., *Rom. Vet.*, VII, 1 et 2.

Sparso. Etiam ab Othone, ex Plutarcho, in *Galba*, p. 1061.

Lectos. Assentiendum Ernestio, qui ad morem provocat spolia donaque in cubiculis suspendendi et imagines carissimorum hominum ibidem constituendi.

Phonasco. Vide *Aug.*, LXXXIV.

CAP. XXVI. *Post crepusculum*. Cf. Tacit., *Annal.*, XIII, 25.

Constituta. H. e. forum, ut ita dicam, prædatorium, castrorum instar, domi constituit. Nam *quintana* fuit proprie *pars castrorum*, ubi res venales.

A quodam. Fuit ille *Julius Montanus*, test. Tacit., l. c., et Xiphil., LXI, p. 693.

Publico. Cf. Tacit., *Annal.*, XV, 37.

CAP. XXVII. *Mellita.... rosaria*. Hunc locum varie tentatum a viris doct. sic interpretatur Cl. Hase : « Uni *mellita absorptio* quadrigies sestertio constitit; alteri *rosaria* vel potius *rosacea* (h. e. aqua rosacea) condita pluris aliquanto. »

CAP. XXVIII. *Ingenuorum pædagogia*. Turpi sensu *pædagogia* sunt loca ubi pueri alebantur stupri causa; ac *ingenui* quidem pro *exoletis*.

Flammeo. Pannus erat quo nuptæ vultus tegebatur. Festus : « *Flammeo* amicitur nubens, ominis boni causa, quod eo assidue utebatur *flaminica*, i. e. *flaminis* uxor, cui non licebat facere divortium. »

Conventus. Vide *Cæs.*, VII.

Sigillaria. Vide *Claud.*, XVI.

CAP. XXIX. *Conficeretur*. — *Confici* dicitur Nero, ut bestia, quam simulabat. Sed honesto usu turpissimam rem Sueton. obtigit. Vide *PITISC.*, ad h. l.

CAP. XXX. *Deparcos*. H. e. immodice parcos.

Largiendi. Tacit., *Hist.*, I, 20 : « Bis et vicies millies sester-tium donationibus Nero effuderat. »

In Tiridaten. Vide supra, XIII.

Canusinatis. H. e. indutis vestibus lana canusina factis, quæ fuit nobilissima, teste Plinio, *H. N.*, VIII, 48.

Mazacum. Mauritanie populus : *Step. Byz.* Μάζακες, οἱ Λιβύης Νεμάδες. Horum equi celeberrimi, *Nemes. Cyneq.* :

Quemque coloratus *Mazax* deserta per arva
Pavit, et assiduos docuit tolerare labores.

CAP. XXXI. *Auream*. Cf. *PLIN.*, *H. N.*, XXXVI, 15.

Effigie. *Plin.*, *H. N.*, XXXIV, 7 : « Zenodorus... Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit. »

Haberet. Tres porticus intellig. latitudine, non longitudine sese excipientes, singulas per milliarium sive mille passus extensas.

Stagnum. De quo *Mart.*, *Epigr.*, I, 2 :

Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Albulis. Vide *Aug.*, LXXXII.

Dedicaret. Ritus enim sacros peragere, antequam domum habitarent, apud veteres solemne fuit.

Fossam. Cf. *TACIT.*, *Annal.*, XV, 42.

Equitis romani. Hic fuit *Cesellius Bassus*, auct. *Tacit.*, *Ann.*, XVI, 1.

CAP. XXXII. *Ut e libertorum.... contingeret.* Quum libertorum, quibus liberi non essent, hereditas ex semisse antiquitus ad patronos pertineret, non modo ad dextantem eam Nero extendit, sed hereditatis etiam jure non suos modo libertos complexus est, sed quibuscumque nomen ulla de causa esset cum sua gente congnatum, ut *Julium, Octavium, Claudium, Antonium, Domitium.* In hoc consentiunt DD. Viri.

Studiosis juris. Ita Gell., XII, 13.

Revocavit. — *De quo solvi sibi jussit* præmia cum delatis coronis a civitatibus olim oblata, ut fere conjicias *revocavit.*

Amethystini. Plin., H. N., XXI, 8 : « Alium (colorem) in amethysto, qui in viola; et ipse in purpureum, quemque ianthinum appellavimus. » Cf. PLUTARCH., *Sympos.*, III, 1; et SALMAS., *Exercit. Plin.*, p. 398.

Præclusit negotiatores. Quum negotiatores contra vetitum vendidissent amethystinum et tyrium colorem, eorum tabernas *clausit*, nec inde eos prius discedere aut merces deportare passus est, quam extorsisset pecuniam qua pœnam redimerent.

Detrahit. Tacit., *Annal.*, xv, 45 : « Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provincie eversæ, sociique populi, et quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis, etc. »

CAP. XXXIII. *Cibum.* Dio, LX, p. 689 : ὁ Νέρων οὐκ ἀπάξεν ὑψίστης ἰσχύος ἕπος κατέλαπε τούτῳ γὰρ μόνητος Θεῶν ἔρῳμα ἔλεγεν εἶναι, ὅτι καὶ ἰατῖνος (sc. Claudius) διὰ τοῦ μόνητος θεῶς ἐργήσῃ.

Jocabatur. Dicere videbatur Nero Claudium desisse *morari* seu manere inter homines, quum intelligi vellet eum per mortem desuisse *delirare*, nam græce *μορός* fatuum significat : inde *morus*, ut in Plaut., *Men.*, IV, 2, 1 :

Ut hoc utimur maxime more moro.

Aggressus est. Cf. Tacit., *Annal.*, XIII, 15, seqq.

Legem. Sc. Sullæ dictatoris de sicariis, quæ complectebatur *veneficia*, repetitam a Julio Cæsare.

Præsentaneum. II. e. quod præsentem repentinamque inferret mortem.

Morbo. Quid sit vide sup. in *Cæs.*, XLV.

Translatitio. Quod modicum dicit Tacit., ub. sup. : « Nox ca-

dem necem Britannici et rogam conjunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. »

CAP. XXXIV. *Expulit.* Cf. TACIT., *Annal.*, XII, 18.

Litibus. Agr'ppinam litibus inquietavit Junia Silana ex Tacit., l. c., XIX.

In secessu. Tacit., *Annal.*, XIV, 3 : « Nero vitare secretos ejus congressus; abscedentem in hortos, aut tusculanum vel antiatem in agrum, laudare, quod otium lacesseret. »

Statuit. Tacit., l. c. Xiphil., LXI, p. 695 : Μεθεῦσα δὲ ταῦθ' ἡ Σεβίνα ἀνέπεισε τὸν Νέρωνα, ὡς καὶ ἐπιβουλεύουσάν αὐτὴν εἶ, αὐτὴν διελέσκει.

Præmunitam. Tacit., *ibid.* : « Ipsa præsumendo remedia munierat corpus. »

Commentus est. Inventore Aniceto, ex Tacit., *ibid.*

Quinquatruum. Cf. TACIT., *Annal.*, XIV, 4. De *Quinquatruum* festo, vide *Aug.*, LXXI.

Evasisse. Tacit., *ub. sup.*, 5 : « Nando, deinde occursu lenuncolorum, Lucrinum in lacum vecta, villæ suæ infertur. » Cf. XI-PHIL., *ub. sup.*

L. Agerinum. Cf. TACIT., *ub. sup.*, 7.

Occidi. Patrandum scelus Aniceto commisit, teste Xiphil., *ub. sup.* : Καὶ ἐπὶ τὴν μέτρα τὸν Ἀνίκητον εὐθὺς μετὰ τῶν ναυτῶν ἀπέστειλε τοῖς γὰρ δερυφόροις ὥστε ἐπίστευσε τὸν θάνατον αὐτῆς.

Laudasse. Xiphil., *ub. sup.*, p. 696 : Αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι καὶ αὐτὴν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας, καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπισκέψατο καὶ τέλος, πολὺ καὶ τοῦ φόνου ἀναισιώτερον ἔπος ἐφθέγγατο εἶπε γὰρ, ὅτι ὥσθ' ἦδεν ὅτι κατὰν μητέρα εἶχεν.

Gratulationibus. Cf. TACIT., *ub. sup.*, 10.

Amitæ. Nempe Domitiæ. Vide *sup.*, v. *Sublatam veneno dicit* Xiphil., *ub. sup.*, p. 697 : Δεμιτίαν τὴν τηθίδα φαρμάκῳ δολοφονήσας.

Se positurum. Quasi significare vellet in se differendæ mortis nullam fore causam.

Invasit. Xiphil., l. c. : Τὰ ἐν ταῖς Βαίαις τῇ τε Ῥαβεννίδι θαλάσση κτήματα αὐτῆς ἀφείλετο.

CAP. XXXV. *Equiti romano.* Sc. Rufo Crispino, ex quo filium generat.

Messalinam. Cf. TACIT., *Annal.*, XV, 68.

Bis consulis. Alterum consulatum gessit ann. 728 cum Augusto VII. De prioribus non constat. Cf. PICI., *Annal.*, tom. III, p. 490 et 510.

Triumphalis. Cf. VELL., II, 127.

Trucidavit. Cf. TACIT., l. c. : « Neronis odium... miserantur. »

Aspernatus. Xiphil., LXII, p. 706 : ὁ Νέρων ὀκτακούσων τὴν Αἰγυπτῶ-
ταν ἀπεπύθετο μὲν πρότερον διὰ Σαλλῶν τὴν Παλλακίδαν. Cf. TACIT.,
Annal., XIII, 12.

Anicis. In primis Burrho, teste Xiphil., *ibid.*

Sterilem. A. U. 816. Tacit., *Annal.*, XIV, 60 : « Exturbat
Octaviam sterilem dietitans. »

Relogavit. Nempe in Campaniam, addita militari custodia.

Occidit. Tacit., ub. sup., 64 : « Restrigitur vinculis, venæque
ejus per omnes artus exsolvuntur; et quia pressus pavore sangui-
nis tardius labebatur, præfervidi balnei pavore enecatur. »

Sub crinine. Cf. TACIT., *ibid.*, 60.

Occidit. A. U. 819. Cf. TACIT., *Annal.*, XVI, 6. Εἴτε ἐκδόν, εἴτε
ἐκων, Xiphil., LXII, p. 714.

Tulit. A. U. 817, Memmio Regulo et Virginio Rufo coss., teste
Tacito, *Annal.*, XV, 23.

Infantem. Quartum intra mensem, ex Tacit., l. c.

Aulum Plautium. Reinesius, *Epist. ad Rupert.*, 27, hunc A.
Plautii qui sub Claudio Britannos devicit filium esse putat. Vide
Calig., XVII et XXIV.

Ducatus et imperia ludere. H. e. ducis et imperatoris nomine
inter ludendum a pueris appellari.

Tuscum. Se. Cæcinam, de quo Tacit., *Annal.*, XIII, 20 :
« Scriptos esse ad Cæcinam Tuscum codicillos. »

Burrho. Tacit., *Annal.*, XIV, 51 : « Concessit vita Burrhus, in-
certum valetudine, an veneno. Valetudo ex eo conjectabatur,
quod in se tumescentibus paulatim faucibus, et impedito meatu,
spiritum finiebat. »

Libertos. *Ibid.*, 65 : « Eodem anno (816) libertorum potissi-
mos veneno interfecisse creditus est. »

CAP. XXXVI. *Destinavit.* Tacit., XV, 47 : « Fine anni vulgan-
tur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non
alias crebrior, et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni
expiatum. »

Pisoniana. A. U. 819. Vide TACIT., *Annal.*, XV, 48 sqq.

Vinciana. De hac nihil constat.

Imputarent. H. e. pro beneficio imputarent.

Capsariis. Qui pueris in scholam euntibus capsulam cum libellis portabant.

CAP. XXXVII. *Civitatibus.* H. e. civitatum legatis qui Romæ morarentur.

Stationem. — *Stationes* erant loca publica ubi stare et confabulari solitum. Plin., *Epist.* 1, 13 : « Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendi fabulis conterunt. » *Stationes* fuerunt quoque municipiorum, *dictæ*, quod legati municipiorum illic versarentur.

Jurisconsulto. De hoc Tacit., *Annal.*, XII, 12 : « Ea tempestate Cassius ceteros præminebat peritia legum. »

Pæto Thrasææ. Tacit., *Annal.*, XVI, 21 : « Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasæa Pæto et Barea Sorano. »

Jecit. H. e. excidere sibi passus est : jacere cunis hoc sensu vide apud Cic. *ad Att.*, II, 7, et Tacit., *Annal.*, XV, 50.

CAP. XXXVIII. Πυρί. Hunc verum frequenter Tiberio in ore fuisse narrat Dio, LVIII, p. 636. Fabricius ad h. l. Sisyphi vel Bellerophonti Euripidei esse suspicatur.

Incendit Urbem. Cf. TACIT., *Annal.*, XV, 38, et XIPHIL., LXII, p. 708.

Ut. Plerique proscribendam duxere particulam *ut*.

Compulsa. Cf. TACIT., *Annal.*, XV, 39.

Numerum. Tacit., l. c., 41 : « Domuum et insularum et templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit, etc. »

E turre Mæcenatiana. Aliter Tacit., *ibid.*, 39 : « Eo in tempore Nero, Antii agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui, ejus qua palatium et Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. » Nostr. sequitur Xiphil., ub. sup., p. 709.

Ἄλωσιν. Xiphil., *ibid.* : Καὶ τὴν σευθὴν τὴν κισσαροδικὴν λαβὼν, ἤσεν ἄλωσιν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγεν, ἴλιον ὡς δὲ ἑωρᾶτο, Ῥώμης.

Egestionem. Cf. TACIT., ub. sup., 43.

Exhaustit. Xiphil., ub. sup., p. 709 : Χρήματα δὲ ὁ Νέρων παμπληθῆ καὶ παρὰ τῶν ἰδιωτῶν, καὶ παρὰ τῶν δόμων, τὰ μὲν εἰς ἐπὶ τῆς προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ, τὰ δὲ παρ' ἐκόντων δῆθεν ἡργυρολόγησε.

CAP. XXXIX. A. U. 819. Tacit., *Annal.*, XVI, 13.

In rationem Libitinae venerunt. Proprie : In acceptarum pe-

cuniarum librum, quem conficiebant qui Veneris Libitinæ thesauro præponebantur. H. e. *mortui sunt*.

Clades. Cf. Tacit., *Annal.*, xiv, 29 sqq.

Oppida. Sc. Camulodunum et Verulamium.

Magna... cæde. Ex Tacit., l. c., 33, *septuaginta millia perierunt*. Xiphil., ub. sup., p. 700, dicit *octoginta millia* : Μυριάδες ἐπὶ τῶν τε Ρωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν ἐβάρησαν.

Legionibus. Cæsennio Pæto duce, teste Tacito, *Annal.*, xv, 6.

Retenta. Sc. virtute Corbulonis, *ibid.*, 9.

Tulisse. *Ibid.*, 67 : « Ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, insolens erat. »

Sustulit... sustulit. Lusus in voce *sustulit*, qui priori sede *ne-cavit* significat; posteriori vero *humeris extulit*.

Cornua. H. e. arcum.

Domus. Sc. *domus aurea* quæ propter laxitatem non esse in Urbe Roma, sed Romam capere videbatur. Plin., *H. N.*, xxxiii, 3 : « Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis Urbem. »

Cap. Xl. *Gallie*. Burmann. : Gallicis.

Vindice. Xiphil., lxiij, p. 724 : Γαίης ἰσθμῶς Ἰόνδιξις... συναθροίσας τοὺς Γαλάτας πολλὰ πεπονήτας τε ἐν ταῖς συχναῖς εἰσπραξίαις τῶν χρημάτων καὶ ἐτι πάσχοντας ὑπὸ Νέρωνος καὶ ἀνάγκης πείθειμα, μακρὰν διεξήθη κατὰ τοῦ Νέρωνος βῆσαν, λέγων δεῖν ἀποστῆναι τε αὐτοῦ, καὶ ἄμα αἰ ἐπιστῆναι.

Τρέφει. Xiphil., l. c., p. 726 : Ἔς τοῦτο γὰρ ἀνάγκης ἐπαύθη, ὥστε καὶ πιστεῦσαι, ὅτι ἄλλως τε ἰδιωτεῦσαι καὶ προσεῖτι καὶ κηραφθῆναι δύνασται.

Retuleros. Ut Polycrati annulum retulerant. Cf. Cic., *de Finib.*, v, 30.

Cap. Xli. *Incroptum*. Nempe a Vindice, docente Philostr. Apollon., v, 3 : Ἐστὶ (sc. Vindex) γὰρ Νέρωνα εἶναι πάντα μῆλλον ἢ κήραφθῆναι καὶ κηραφθῆναι, μῆλλον ἢ ἑσσεῖσθαι.

Consultatione. H. e. raptim rogatis sententiis.

Organa hydraulica. Instrumenta musica, in quibus, æque impulsu, voces suavissima modulatione edebantur. Illa invenit Ctesibius Alexandrinus, teste Athen., iv, p. 174. Cf. Vitruv., iv, 6. Eadem perfecit Archimedes. Vide Tertull., *de Anima*, xiv. « Specta — erant omnia. »

Cap. Xlii. *Collapsus*. Plutarch., in *Galb.*, p. 1055 : Ἀμα τὸ πρῶτον εἶπε τὰ περὶ Γάβρων ἱστορίας ἐκλαυρούσας καὶ ἀριστάς, ἀνέτριψε τὴν τράπεζαν.

Suis. H. e. haud bene eum facere, quod, dum ipse negotiis

publicis detentus in scenam prodire, atque de palma cum eo certare nequeat, utatur eo tempore ad favorem populi voce comparandum.

CAP. XLIII. *Consules*. C. Silius Italicus (poetam) et M. Galerius Trachalus.

CAP. XLIV. *Tribus urbanas*. H. e. plebem urbanam.

Dispensatoribus. Vide *Aug.*, XXVII.

Amanuensibus. Vide *Cæs.*, LXXIV.

Repræsentare fisco. H. e. fisco solvere.

Asperum. H. e. non tritum.

Pustulatum. H. e. pulsatum, vel purum.

Aurum ad obrussam. H. e. igne probatum : *obruſſam* vel *obryzam* latine dicunt auri experimentum, quod igne sumitur, ex græco ὀβρύζα. Cf. *PLIN.*, *H. N.*, XXXIII, 3. Inde per translatus, *Cic.*, *Brut.*, LXXIV : « Quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda, tanquam *obruſſa*, ratio. » Ita *Seneca*, *Epist.* XIII.

CAP. XLV. *Lucranti*. Al. *lucrantium*, quod sic interpretatur *Cl. Hæse* : « Invidia ex annonæ caritate lucrantium ipsi quoque *Neroni* accrevit. »

Pulverem. De quo *Plin.*, *H. N.*, XXXV, 13 : « Non multum a pulvere puteolano distat arena e Nilo, tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis. Inde certe *Patrobio*, *Neronis* principis liberto, advehebatur. »

Cirrus. Al. *currus*.

Traderet. Scil. vel *cirrum*, vel *agonem*, h. e. imperium. Al. *traheret*.

Ego... meruisti. Hoc diversa explicuerunt : omnino assentior *Cl. Hæse* dicenti : « Suspenderat ejus statuæ homo de plebe ascoeram, qua abundum jam esse in exilium et miseriam *Neroni* significaret, quoniam mendici gestare eam solebant, addiditque : « Ego, cui nulla potestas in civitate, sed justum de te judicium, quid potui, nisi hoc? sed tu, si leges valent, ut matricida culeum meruisti. » *Torrent.* : *ego quod potui, supple feci*.

Gallos. Lusum in *Gallis*, populi et avium nomine.

Vindicem. Lusum et in *Vindice* esse patet.

CAP. XLVI. *Asturconem*. Sc. equum, cui ab *Asturia* nomen. Cf. *PLIN.*, *H. N.*, VIII, 42.

Patefactis. Ita *Xiphil.*, LXIII, p. 726

Cientis. Al. ciens.

Sculptura. Al. sculptura.

Nuncupatione. De qua vide LIPS., *Excurs. ad Tacit. Annal.*, XVI, 22.

Claves. Quod, in solemnī votorum nuncupatione, pro sinistro habebatur omen, docente Sagittario, *de Jan. vet.*, xxxv.

Auguste. Quum viderentur dicere : « Hoc Auguste tu facies, » scil. ut scelerati pœnas dent, intelligi volebant : « Facies ipse exitum sceleribus tuis dignum.

Versu. Aliter Niphil., LXIII, p. 727 : Νέρων μὲν δὴ τοιαῦτα ἐτραγῶδιαι, καὶ τὸ ἕπος ἐπιθεῖς συνελθὼς ἐννεονέαι. Quem versum minus aptum sic exhibet :

Οὐκ ἄρα τὸν θανόν μ' ἀνομιε σύγγαμμοι, πάτερ.

CAP. XLVII. *Duos scyphos.* Cf. PLIN., II. N., XXXVII, 2.

Hortos Servilianos. Hos non longe a ponte nunc *Sisto*, in minore campo ad ripam Tiberis fuisse putat DONAT., *de Urb. Rom.*, III, 23.

Usque adeone. Notum ex Virgil. *Æneid.* XII, 646.

Vel Egypti. Cf. PLUTARCH. in *Galb.*, p. 1053 : Νομαρτίδος Σελίνος... αὐτοκράτορα Γάλλων ἀναγορεύσει.

Stationem. H. e. cohortem quæ ante fores palatii excubabat.

Hospitia. Habitacula, conclavia in domo Neronis.

Spiculum. Al. Spicillum.

Nec inimicum. Quibus adjecisse dicit Aurel. Victor, *Epitome* v : « Dedecorose vixi, turpius peream. »

CAP. XLVIII. *Viam.* Vide STRABON., V, p. 158, et MARLIAN., *Topogr. urbis Romæ*, I, 8.

Quatuor. — Quatuor dicit quoque Joseph., *Bell. Jud.*, IV, 9 : tres autem Niphil., LXIII, p. 726; duos vero ZONAR., *Annal.*, II, p. 189.

Tremore terræ. Niphil., l. c. : Στοιχὸς ἰσχυρὸς ἐγένετο, ὅσπερ καὶ δόξατον παρασημῶν, ἵτι ἢ τε γῆ πᾶσα διατρίβησεται, καὶ αἱ τῶν περιουσιῶν ἐπ' αὐτοῦ ψυχὰί πᾶσαι ἄνα ἐπ' αὐτὸν ἀναθροῦνται.

Castris. Sc. prætoriiis, de quibus vide DONAT., *de Urb. Rom.*, I, 15.

Missicio. Videtur esse a militia prætoriana missus, H. e. veteranus prætorii.

Deverticulum. Ubi incipit semita quæ a publica via digredientem in alicujus villam deducit.

Ad aversum. Nempe parte postica.

Decocta. Hoc dolenter dixit Nero, tanquam diceret : Qualem aquam bibo? non est hæc illa *decocta*, qua ego per delicias uti solebam nivibus refrigerata. Namque, teste Plinio, *H. N.*, xxxi, 3 : « Neronis principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. »

CAP. XLIX. Βάλλει. Ex Homeri *Iliad.*, x, 535.

Icelus. De quo vide *Galb.*, xiv.

CAP. L. *Solium.* H. e. receptaculum reliquiarum, græce πύελος. Cf. PLIN., *H. N.*, xxxv, 12.

Porphyretici. Plin., *H. N.*, xxxvi, 7 : « Rubet *porphyrites* in eodem Ægypto. »

Lunensi ara. Sc. marmore, sic dicto a Luna, Etruriæ oppido. Ibi enim, teste Strabon., v, p. 153, lapides albi et discolors, magno numero et mole; ut columnæ ac grandes tabulæ unico constantes lapide inde excinderentur. Cf. PLIN., l. c., 6 et 7.

Lapide Thasio. Scil. e Thase, una Cycladum. Cf. PLIN., *H. N.*, xxxvi, 6.

CAP. LI. *Synthesinam indutus.* Quæ fuit vestis *cubitoria*.

Sine cinctu. Quod erat mollium et effeminatorum.

CAP. LII. *Composuit.* Cf. TACIT., *Annal.*, xiii, 3; xiv, 16; MARTIAL., *Epigr.*, viii, 70, et ix, 27.

Pugillares. Quinam fuerint, vide in *Aug.*, xxxix.

Transtatos. H. e. ex aliis petitos.

Pingendi. H. e. plasticæ.

CAP. LIII. *Brabeutarum.* Sc. iudicium ludos gymnicos moderantium et victoribus præmia distribuentium : assidebant illi humi ut athletas observarent. Cf. VAN DALE, *Dissert.* viii, 4.

CAP. LIV. *Hydraulam... utricularium.* — *Hydraulæ* erant qui incinebant *organo hydraulico*, de quo vide sup., xli. — *Choraulæ* saltantibus pantomimis accinebant. — *Utricularii* utres inflabant.

Saltaturum. H. e. saltatione imitaturum.

Paridem. Domitiæ libertum, ex Tacit., *Annal.*, xiii, 19.

Occisum. Ideo quod, quum ab eo saltationem doceri cuperet, discere non potuit, docente Xiphil., lxxiii, p. 723.

CAP. LV. *Neroncum.* Sic Tacit., *Annal.*, xvi, 12.

Neropolin. Cf. TACIT., *Annal.*, xv, 40.

CAP. LVII. *Obiit.* De anno et mense mortis Cf. REIMAK. *ad Amphil.*, LXIII.

Pileata. H. e. induta *pileis*, quod libertatis signum fuisse monimus in *Aug.*, XVIII.

Reversuri. Cf. TACIT., *Hist.*, II, 8.

Jactaret. Plures exstiterere Pseudo-Nerones, de quibus vide CAUSAUBON. et PITISC., ad h. l.

IN GALBAM.

CAPUT I. *Defecit.* Niphil., LIU, p. 727 : Ἐσχατες τῶν ἀπὸ τοῦ Αἰνείου καὶ ἀπὸ τοῦ Ἀδριανέου γεγραμμένων.

Livia. Idem narrat Plin. *H. N.*, xv, 30; Dio, XLVIII, p. 389, et Zonar., *Annal.*, II, p. 150.

Ede. Pantheon aliquod Cæsarum fuisse videtur, de cujus situ et conditore nihil constat.

CAP. II. *Domum.* Plutarch., in *Galb.*, p. 1054 : Ἦν δὲ τι καὶ Λιβία τῆς Καίσαρος ἑταίρῃ κατὰ γένος προσήμων ἢ Γάλλας. Ea autem cognatio a noverca Galbæ, Livia Ocellina, nequaquam pertinebat ad Cæsarium domum.

Nobilissimus. Tacit., *Hist.*, I, 49 : « Vetus in familia nobilitas, magnæ opes. »

Q. Catuli. Ita Plutarch., I, c.

CAP. III. *Elogia.* H. e. honores, triumphî in imaginum titulis scripti.

Generis... familia. — *Genus* vocat omnes Sulpicios, *familiam Sulpicio Galbas.*

Consularis. Consul fuit cum L. Aurelio Cotta, A. U. 710.

Eloquentissimus. Cic. in *Brut.*, XXI : « Sed inter hos atate paullum his antecedens sine controversia Ser. Galba eloquentia præstitit. »

Obtincentem. A. U. 604.

Perfidia. Cf. APPIAN. *Hispan.*, p. 288 : Τινῶν προσβουλευμένων... μισθώμενος ἐκέρχεται.

Exstitisse. Cf. APPIAN., ub. sup., p. 288 et 289.

Ob repulsam consulatus. Narrat Hirt., *Bell. Gall.*, VIII, 50 : « Ereptum Ser. Galbæ consulatum, quum is multo plus gratia

suffragiisque valuisset, quod sibi conjunctus et familiaritate et necessitudine legationis fuisset.»

Conspiravit. Cic., *Philipp.* XIII, 16 : « Ser. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis. »

Pedia lege. De qua vide *Neron.*, III.

Facultatis. Hunc tamen *eloquentia clarum* dicit Macrobi., *Satur.* II, 4 : « In Galbam *eloquentia clarum*, sed quem habitus corporis destruebat, M. Lollii vox circumferebatur : ingenium Galbæ male habitat. »

Obiit. Cf. TACIT., *Annal.*, VI, 40.

CAP. IV. *Natus est.* A. U. 751.

Noverca. Nempe Livia Ocellina.

Παράτησις. Al. παραγύσις. Hoc Tiberium dixisse narrat Tacit., *Annal.*, VI, 20.

Procuranti. Propitianti per procuraciones. Seneca, IV, *Quæst.* II, 35 : « Fatum fulmine mutari non potest. Quidni? nam fulmen ipsum fati pars est. Quid ergo *expiationes procuracionesque*, quo pertinent, si immutabilia sunt fata? »

Obscenum. H. e. mali ominis. Festus : « Apud antiquos omnes fere *obsœna* dicta sunt, quæ *mali omniis* habebantur. » De re Cf. PLIN., *H. N.*, VIII, 44.

CAP. V. *Sollicitari.* H. e. persuaderi.

Notata, non perscripta. H. e. litterarum compendiis *perstricta*, non omnibus litteris expressa.

Summa. A. U. 767, kal. jan.

CAP. VI. *Floralium.* De quibus Cf. LACTANT., *de Rel.*, I, 20 : « Flora quum magnas opes... cum pudendis motibus detinentur. » Et ROSIN., *Ant. Rom.*, V, 15.

Præfuit. A. U. 784.

Ordinarium. A. U. 785. *Ordinarii* dicebantur consules qui kal. jan. inibant honorem et nomen anno dabant.

Moderatus. — *Moderari* h. l. est militibus præire, præmonstrare motus omnes, scuto decurrentes regere.

CAP. VII. *Occasionem.* Sc. capiendi imperii.

Expeditionis. Cf. *Claud.*, XVII.

Africam. Plutarch., in *Galb.*, p. 1054 : λέγεται... Διόνως ἀνθύπατος γενόμενος σὺν ὀλίγοις ἐπανεθῆναι.

CAP. VIII. *Quindecimviro.* Quibus sacris præfuerint vide in *Cæs.*, LXXXIX.

Titios. De his Tacit., *Annal.*, I, 54 : « Quondam T. Tatinus retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. »

Augustales. Vide supra in *Claud.*, VI.

Ad gestandum. H. e. ut gestaretur.

Oblata est. Sc. a Nerone. Plutarch. in *Galb.*, p. 1054 :

Ἐπίμαθον δὲ ὑπὸ Νέρωνος Ἰθερίας ἄρχων, εὖπω δεδιδαχμένον φεβασθαι τοὺς ἐν ἀξιώμασι μεγάλους τῶν πολιτῶν.

Senem. Cf. XIPHIL., LXIV, p. 728 : Καὶ παῖς... ἔφησαν.

CAP. IX. *Per octo annos.* Ab anno 814 usque ad 821.

Vindicis litteræ. Cf. PLUTARCH., ub. sup., et PHILOSTR. APOLLON., V, 3.

Cunctatus. Verba quibus ad Galbam cunctantem usus est Titus Ovinus refert Plutarch., l. c. : Ὡ Γάλβαν... ἢ Νέρωνα τύραννον.

Cluniæ. Oppidum fuit Hispaniæ, teste Plutarcho, *ibid.*, p. 1055 : Κλουνία Ἰθερικῆ πόλις.

CAP. X. *Evocati.* Dio, XLV, p. 276 : Τὸ τῶν ἡγευμάτων ἢ ἐσκάτων σύστημα, εὖς ἀναγκάτους ἂν τις ἕλληνας, ἔτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας, ἰπ' αὐτῆν αὐθις ἀνεκλήθησαν, ἠνομήσειεν.

Dertosam. De qua Strabo, III, p. 110 : Ἐξ Ταρχῶνος ἐπὶ τὸν πέραν τοῦ Ἰθέρου κατὰ Δερτώσσαν πόλιν.

CAP. XI. *Vindicis.* Semetipsum interficit. Cf. PLUTARCH., in *Galb.*, p. 1055, et XIPHIL., LXIII, p. 725.

Appellationem. — *Cæsaris appellatio* dignitatis non familiæ fuit ex hoc tempore.

Recuperavit. H. e. repetiit habitum civilem et pacificum.

Nymphidio. Plutarch., ub. sup., p. 1056 : Νυμφίδιος Σαβῶνος ἐν Ῥώμῃ τὸν ἄρχον κατὰ μακρὴν, ἀλλὰ συνάβδον ἑμοῦ πάντα πράγματα φέρων, περιέστηεν εἰς ἐκπύην. Mortem ejusdem describit, p. 1059.

Fonteio Capitone..... Clodio Macro. Tacit., *Hist.*, I, 7 : « Forte congruerat, ut Clodii Maeri et Fonteii Capitonis cædes nunciarentur. Maerum in Africa hand dubie turbantem Trebonius Garucianus præcurator, jussu Galbæ; Capitonem in Germania, quum similia cæptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens, legati legionum, interfecerant, antequam juberentur. »

CAP. XII. *Prepositos.* H. e. tribunos militum et centuriones.

Procuratores. H. e. eos qui fiscum curabant.

Equite. Plutarch., ub. sup. : Ἐκάλουσι τοὺς ἵππεις ἰμβραδῶν αὐτοῖς : Γάλβας ὑπίστη. δὲ αὐτοῖς ἰακίωον, ἀλλ' οἱ μὲν εὐθὺς ἀνατραπέυτες, οἱ δὲ φείροντες διεφάρησαν.

Cano. De quo Philostr., in *Apollon.*, v, 7 : Ἐπεχωρίζε τότε τῆ Εὐδῶ Κάνος ἀλληπτής, ἕς ἀριστα δὴ ἀνθρώπων ἐδέκει ἀλλεῖν.

CAP. XIII. *Atellanis.* H. e. actoribus *Atellanarum.*

CAP. XIV. *Candidatus.* Tacit., *Hist.*, I, 13 : « Potentia principatus divisa inter T. Vinium, consulem, et Corn. Laconem, prætorii præfectum. Nec minor gratia Iulo Galbæ liberto, quem annulis donatum, equestri nomine vocabant. » De *Vinio et Lacone*, vide ub. sup., 6 : « Invalidum senem T. Vinius et Corn. Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertie destruebant. » De *Iulo*, ibid., 37.

Quosdam. Inter illos *Cingonius* et *Mithridates Ponticus*, quibus nominatis addit Plutarch. in *Galb.*, p. 1050 : Ἐδέξε μὴ νομίμως, εἰ καὶ δικαίως, μηδὲ δημοτικῶς ἀνηγκέναι πρὸ κρίσεως ἀνδρας οὐκ ἀσήμους. *Jura.* Cf. *Claud.*, XIX.

A Claudio. Vide *ibid.*, XXIII.

CAP. XV. *Officia.* H. e. munera a senatorio et equestri ordine administrari solita, maxime *militaria et provincialia.*

Liberalitates. Vide *Neron.*, XXX, et Cf. *TACIT.*, *Hist.*, I, 20.

Scenici aut æstivici. Plutarch., ub. sup., p. 1060 : Οἱ περὶ σκηνὴν καὶ παλαιστράαν.

Adlici. Al. adipisci, minus recte.

Haloti. Cf. *Claud.*, XLIV.

Tigellini. Vide *TACIT.*, *Annal.*, XIV et XV, *passim*; *Hist.*, I, 72. De hoc Dio, LIX, p. 658 : Καὶ ὁ Τιγελλῆνης ὁ Σωφρόνης, ὡς καὶ τὴν Ἀγριππίναν μεμελεγκῶς.

Præstitit. Cf. *Xiphil.*, LXIV, p. 729, et *PLUTARCH.*, ub. sup.

CAP. XVI. *Non emere.* Tacit., *Hist.*, I, 5 : « Accessit Galbæ vox pro republica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. » Cf. *PLUTARCH.*, ub. sup.

Removens. H. e. exauctorans.

Operæ. Verginio Rufo duce : *Xiphil.*, LXIII, p. 725 : Ρούφος ἄρχων τῆς Γερμανίας ὤρμησε μὲν ὡς καὶ τῶ Βίνδιαι πολεμῆσων. De re Cf. *PLUTARCH.*, ub. sup., p. 1062.

Recusarunt. Cf. *TACIT.*, *Hist.*, I, 12 : « Paucis post kal. januarius diebus... mollius acciperetur. » Et *PLUTARCH.*, ub. sup.

CAP. XVII. *Pisonem.* Plutarch., ub. sup., p. 1063 : Νεανίαν ἐν τῇ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν εὐφυῖα τὸ κόσμιον καὶ αὐστηρὸν ἐμφανέστατα ἔχοντα. Cf. *TACIT.*, *Hist.*, I, 14 : « Piso, M. Crasso et Scribonio genitus... adoptanti placebat. »

Adoptavit. Sic Tacit., ubi sup., c. 18.

Mentione facta. Ita Plutarch., ub. sup.

CAP. XVIII. *Tusculanam.* H. e. Tusculi consecratam, vide ub. sup., IV.

Excidisse. De hoc auspicio, Sil. Ital., XVI, 269 :

Talia cœlicolæ casuro tristia regno
Signa dabant, sævique aderant gravia omina fati.

Avolasse. Quod omen erat magni terroris tristissimique eventus.

CAP. XIX. *Monuit.* Tacit., *Hist.*, I, 27 : « XVIII kal. februar. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem prædicit; audiente Othone (nam proximus adstiterat), idque ut lætum e contrario, et suis cogitationibus prosperum interpretante. » Cf. PLUTARCH., ub. sup., p. 1064.

Periculum. Xiphil., LXIV, p. 730 : Οἴκει μείναι, καὶ μηδαμῆ μολοῦσθαι ἀσφαλεῖς.

Cognoscit. Cf. TACIT., I. c., 29 : « Ignarus — adulationis. »

Plerisque. Maxime Celso Mario et Lacone : Plutarch., ub. sup. : Κέλσου καὶ Λάκωνος παρερμάντων. Vinius manendum intra domum censebat, test. Tacit., I. c., 32.

Falsis. Cf. TACIT., I. c., 34 : « Vix dum egresso Pisone... falso vulgaverint. »

Militi. Quem nominat Plutarch., ub. sup. : Ἰούλιος Ἀππίκιος τῶν τοῦ ἀσπίων ἐν τοῖς δευτεροῦσι στρατευόμενος. Sic Tacit., I. c., 35.

Responderit. Plutarch., *ibid.*, p. 1065 : Ὁ δὲ ἐλέψας πρὸς αὐτὸν. τίς σε, εἶπεν, ἐκέλευσε; τοῦ δὲ ἀνθρώπου τὴν πίστιν εἰπόντος καὶ τὸν ἔρκον ἐν ὤμῳ, κ. τ. λ.

Paganorum. Quinam fuerint, vide in *Aug.*, XXVII.

Ibi equites... contrucidarunt. Cf. TACIT., I. c., 40, et PLUTARCH., ub. sup.

CAP. XX. *Vos mei.* Cf. TACIT., I. c., 41; ZONAR., *Annal.*, II, p. 190 : Τοῦτο μόνον εἰπὼν καὶ τὴν κακὴν ἐποίησα;

Videretur. Scil. e republica, ut dicit Tacit., I. c. Plutarch., ub. sup. : Εἰ τοῦτο τῆς δῆμῳ Ῥωμαίων ἀμεινὸν ἴσθιν.

Conatum. Imo Sempronium Densum centurionem Galbæ tulisse opem affirmant Plutarch., ub. sup., p. 1065, et Xiphil., LXIV, p. 730.

Germanicianorum. Sc. eorum qui in Germania meruerant, ut

in *Tib.*, xxv; in *Othon.*, viii; et in *Vesp.*, vi. Damnandum ergo quod volunt al. *Germanicorum*, seu *Germanorum*.

Ad lacum Curtii. Sic Tacit., l. c., et Plutarch., ub. sup. De *lacu Curtii*, vide sup., *Aug.*, LVII.

Miles. Sc. Fabius Fabulus.

Ad Othonem. Plutarch., l. c. : Τῆς κεφαλῆς ἀνακομισθείσης ἀνακραγεῖν λέγουσιν· οὐδὲν ἐστὶ τοῦτο, ὃ συστρατιῶται, τὴν Πείσωνός μοι κεφαλὴν δείξατε.

Ætate. Turpem significationem in *ætatis* vocabulo esse persuasum habeo.

Ἔτι. Ex Homer., *Iliad.*, v, 254.

Patrobii. Tacit., l. c., 49 : « Caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis, punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum, et cremato jam corpori admixtum est. »

Redemtum. Dono datum dicit Plutarch., ub. sup., p. 1066 : Τὴν δὲ Γάλβα κεφαλὴν τοῖς Πατροβίου καὶ Ουιτελλίου δούλοις ἐδωρήσαντο.

Argius. Tacit., l. c., 49.

Truncum. A Prisco Helvidio sublatum, teste Plut., ub. sup.

Dedit. Noctu; Plutarch., *ibid.* : Ἔθαψε δὲ νυκτὸς ἄρχειος.

CAP. XXI. *Articulari morbo.* H. e. chiragra et podagra. De morbo, vide CELS., IV, 24 : « In manibus... tentant. »

CAP. XXII. *Cibi... stantibus.* H. l. sic interpretatur Cl. Hase : Inter cœnam usque adeo abundantis cibi fuit, ut congestas *super manus* (h. e. ante se, ante locum ubi sumserat cibum) reliquias circumferri juberet (scil. circum mēsas et convivas, ostentandi causa quantum fauces et venter valerent); *spargique* sive in unum locum colligi, ad admirationem convivarum, et ut ipse acto labore delectaretur, *ad pedes stantibus*, h. e. ad lectum sive pedes ministrantibus (dativo posito pro ablativo).

CAP. XXIII. *Anno.* Xiphil., LXIV, p. 730 : Ἐξῆσε Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἐβδομήκοντα. Zonar., *Annal.*, II, p. 191 : Γάλβα μὲν ζήσαντι ἔτη δύο καὶ ἐβδομήκοντα, καὶ ἡμέρας τρεῖς καὶ εἴκοσιν... οὕτως τέλος ἐγένετο.

Mense septimo. Xiphil., l. c. : Ἦρξε μῆνας ἐννέα καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς. Zonar., l. c. : Ἄρξαντι δὲ μῆνας ἐννέα καὶ ἡμέρας τρισκαίδεκα.

Trucidatus est. Cf. TACIT., *Hist.*, II, 55 : « Populus... sanguine infecerat. »

IN OTHONEM.

CAP. I. Ferentino. Tacit., *Hist.*, II, 50 : « Origo illi e municipio Ferentino. » Quod erat oppidum Etruriæ : inter Fesulas et Fescenniam fuisse creditur. Cf. PLIN., *H. N.*, III, 5, et CELLAR., *Geogr. Ant.*, II, 9, p. 725.

Aliud est Ferentinum Latii in Hernicis, de quo Cellar., *ibid.*, p. 807.

Urbanos. H. e. in Urbe geri solitos; scil. ædilitatem, præturam, consulatum.

Camilli. Nempe Scriboniani, de quo vide *Claud.*, XIII.

Principia. Locus in castris post prætorium et quæstorium nobilissimus. Cf. SIGON., *de Ant. Jur. Prov.*, II, 6, et LIPS., *de Mil. Rom.*, v, 4.

Splendida. Scil. quod equestri genere orta erat, cui convenit vocabulum *splendidus*.

CAP. II. Consulibus. A. U. 785.

Morum. Tacit., *Hist.*, I, 13 : « Gratus Neroni æmulatione luxus. »

Restitutionem. Sc. in senatum, quo motus fuerat vir ille ob repetundarum crimen. Cf. *Cæs.*, XLIII.

CAP. III. Exclusisse. Cf. PLUTARCH. in *Galba*, p. 1061 : Οὐδὲ αὐτῆς διὰ τὸ φιλακλίλαστον.

In Lusitaniam. Cf. TACIT., *ub. sup.*

Per decem annos. Ab A. U. 811 ad annum 821.

CAP. IV. Accessit. Plutarch., *ub. sup.* : Ἀποστάντες δὲ Γάλλα, πρῶτες αὐτὸς προσεχώρησε τῶν ἡγεμόνων. Idem Tacit., *Hist.*, I, 13.

Seleuci. Quem Ptolemæum vocant Tacit., *ub. sup.*, 22, et Plutarch., *ub. sup.*, p. 1063.

Dividebat. Cf. TACIT., *Hist.*, I, 24, et PLUTARCH., *ub. sup.*, p. 1062.

Alium alia via. Tacit., *ub. sup.*, 23 : « Contubernales appellando, alios agnoscere, quosdam requirere, et pecunia aut gratia juvare : inserendo sæpius querelas, et ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi. »

Cnidam. Scil. Cocceio Proculo speculatori, teste Tacito, *ub. sup.*, 24.

CAP. V. Cf. TACIT., *Hist.*, I, 13, et PLUTARCH., ub. sup., p. 1062.

Æris alieni. Tacit., *ibid.*, 21 : « Interea Othonem, cui, compositis rebus, nulla spes, omnē in turbido consilium, multa simul exstimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. » Cf. PLUTARCH., ub. sup. : ὁ δὲ Γάλβας. ὀφλήμασι βεβαπτισμένον.

Dispensatione. H. e. dispensatoris officio. Vide Aug., LXVII.

Quinque. Tacit., ub. sup., 25 : « Susceperē duo manipulares imperium populi romani transferendum et transtulerunt. »

Nec adeo multi. Scil. triginta, auct. Zonar., *Annal.*, II, p. 190 : ὁ δὲ Ὄθων ὁ Μάρκος ὁ Σαλούιος ἀγανακτήσας, ὅτι μὴ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ Γάλβα υἰοθετήθη, ἐπανάστη αὐτῷ τριάκοντα μῖνους στρατιώτας ἐτοιμασάμενος.

CAP. VI. *Medium.* Scil. inter Pisonis adoptionem et Galbæ cædem.

Die. Fuit a. d. XVIII kal. februar. ex Plutarcho, ub. sup., p. 1064.

Milliarium aureum. In capite romani fori fuit statutum. Conf. PLIN., *H. N.*, III, 5, et DION., LIV, p. 526.

Haruspiciis. Vide sup., *Galb.*, XIX.

Convenerat. Cf. TACIT., *Hist.*, I, 27.

In castra. Scil. prætoria.

Strictosque gladios. Cf. TACIT., *ibid.* : « Ibique tres et viginti speculatores... ex eventu sumturi. »

Trucidarent. Cædem Galbæ narrat Tacit. *ibid.*, 19 et 20; cædem vero Pisonis, *ibid.*, 43.

Testatus est. Cf. TACIT., *ibid.*, 37, 38, ubi dat Galbæ orationem.

CAP. VII. *Senatum.* Tacit., *Hist.*, I, 47 : « Vocat senatum prætor urbanus, certant adulationibus ceteri magistratus. Accurrunt patres, decernitur Othoni tribunitia potestas, et nomen Augusti, et omnes principum honores. »

Petit. Cf. TACIT., l. c.

Nero. Primum in theatris. Plutarcho., in *Othon.*, p. 1067 : Τοῖς δὲ πολλοῖς χαριζόμενος οὐκ ἔφευγε τὸ πρῶτον ἐν τοῖς θεάτροις Νέρων προσαγαρεύεσθαι. Cf. TACIT., ub. sup., 78.

Diplomatibus. Missis in Hispaniam, teste Plutarcho, *ibid.*

Jacens. Ita Xiphil., LXIV, p. 731 : Καί μετὰ τοῦτο... χαμαικείμενον Ἀύλοῖς. Xiphil., l. c., p. 731 :

Τί γάρ με ἔδει μακροῖς ἀύλοῖς ἀύλειν ;

Addit : ἔστι δὲ τοῦτο δημοῦδες ἐς παροιμίαν φέρειν ἐπὶ τῶν ἔξω τι τοῦ προσφύρου σφίσι ποιούντων.

CAP. VIII. *Tempus*. Plutarch. in *Galb.*, p. 1062 : Καταλαμβάνει δ' αὐτὸν ἔτι μέλλοντα καὶ θεουλούμενον ἐκτραγέοντά τὰ Γερμανικά.

Auctor. Cf. TACIT., ub. sup., 74.

Obtulit. Vide TACIT., l. c., et XIPHIL., LXIV, p. 732.

Ducibus. Vitellii duces fuerunt Aulus Cæcina et Fabius Valens. Cf. PLUTARCH., ub. sup., et TACIT., *ibid.*, 61.

Expertus est. Pecunia inter illis divisa. Plutarch., *ibid.* : Τῆ δὲ ὑστεραίᾳ δωρησάμενος ἅπαντας κατ' ἄνδρα χίλιας καὶ διακοσίας καὶ πεντήκοντα δραγμαῖς, εἰσῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον, καὶ τὸ μὲν πλῆθος ἐπήνεσεν ὡς πρὸς αὐτὸν εὖνοιον καὶ πρόθυμον. Cf. XIPHIL., ub. sup., p. 731.

Per classarios. Cf. TACIT., *ibid.*, 80.

Excitaverunt. Tacit., *ibid.* : « Fremit miles, et tribunos centurionesque proditiōnis arguit : tanquam familiæ senatorum ad perniciem Othonis armarentur. Pars ignari et vino graves; pessimus quisque in occasionem prædarum; vulgus, ut mos est, cujusque motus novi cupidum; et obsequia meliorum nox abstulerat : resistantem seditioni tribunum, et severissimos centurionum obtruncant : rapta arma, nudati gladii, insidentes equis Urbem ac Palatium petunt. » Cf. XIPHIL., ub. sup., et PLUTARCH., *ibid.*, p. 1067.

Destiterunt. Ab Othone exorati. Plutarch., ub. sup. : Τότε μὲν εὖν ἔρθος ἀπὸ τῆς κλίνης πολλὰ παρηγορήσας καὶ δεηθείς, καὶ μηδὲ σακρότων φεισάμενος μάλιστα ὑπέπεμψεν αὐτούς. Cf. TACIT., l. c., 82 : « Militum impetus... neque innocentes. »

Sed et motis. — *Moveri* dicebantur ancilia, quando per Urbem a Saliis carmina canentibus et solemnī saltatu tripudiantibus ferebantur; *condi* vero, quando in templum Martis reponerantur. *Movebantur* autem per triginta dies. Cf. POLYB., *Excerpt. legat.*, XXIII, et DIONYS. HAL., *Ant. Rom.*, II, p. 130.

Die. H. e. ix kal. april., qui *dies sanguinis* dicebatur.

Cultores. Nempæ Galli, sacerdotes Cybeles.

Auspiciis. Quæ exhibet Tacit., *Hist.*, I, 86 : « In vestibulo Capitolii omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat; erupisse cella Junonis majorem humana speciem; statuam D. Julii in insula Tiberini amnis, sereno et inmoto die, ab Occidente in Orientem conversam; prolocutum in Etruria bovem; insolitos animalium partus, et plura alia, rudibus seculis etiam in pace

observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur.» Cf. PLUTARCH. in *Othon.*, p. 1068 : Ἐν Καπιτωλίῳ... ἀφ' ἐσπέρας μεταστραφέντα πρὸς τὰς ἀνατολάς.

Tiberis. Cf. TACIT., l. c. : « Sed præcipuus... cladium vertebatur; » et PLUTARCH., ub. sup. : Ἦν μὲν γὰρ ὄρα... ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν.

CAP. IX. *Statuit.* Tacit., *Hist.*, II, 40 : « Æger mora, et spei impatiens. »

Brixelli. Cf. TACIT., l. c., 33.

Alpes. Scil. maritimas, ex Tacito, ub. sup., 12.

Castoris. Supp. templum. Tacit., *ibid.*, 24 : « Ad duodecimum a Cremona, locus *Castorum* vocatur. » Ita Oros., VII, 8.

Vicit. Nempè per legatos.

Betriacum. De loco Tacit., ub. sup., 23 : « Inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus jam romanis cladibus notus infaustusque, etc. » De prælio, vide EUMDEM, 40-44.

Fuisset. Cf. TACIT., *Hist.*, II, 41 et 42; PLUTARCH., in *Othon.*, p. 1071.

CAP. X. *Angusticlavius.* Sub imperatoribus plebeii qui ad tribunatum perveniebant, dicebantur *angusticlavii*; vel postquam in equitum numerum relati fuerant. Qui vero ex equestri aut senatorio ordine *tribuni* fiebant *laticlavii* dicebantur. Cf. LIPS. ad Tacit., *Annal.*, II, 4, et RUBEN., *de Re Vestiari.*, I, 8 et 14.

Detestatum. Quod ipse docet apud Plutarch., in *Othon.*, p. 1073 : Οὐκ ἔστι πρὸς Ἀννίβαν, οὐδὲ Πύρρον, οὐδὲ Κίμβρους ὁ πόλεμος ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας· ἀλλὰ Ῥωμαῖοις πολεμοῦντες, ἀμφοτέρω τὴν πατρίδα καὶ νικῶντες ἀδικοῦμεν καὶ νικώμενοι.

Incubuerit. Plutarch., ub. sup. : Εἷς τῶν ἀφανεστέρων ἀνατείνας τὸ ξίφος καὶ εἰπὼν ἴσθι, Καῖσαρ, οὕτως ὑπὲρ σου παρατεταγμένους ἅπαντας, ἀπέσφαξεν ἑαυτόν. Cf. paulo aliter narrantem ΧΙΡΗ., LXIV, p. 731.

Aiebat. Scil. pater meus.

Conjecturum. Tacit., ub. sup., 47 : « Hunc, inquit, animum, hanc virtutem vestram ultro periculis obijcere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. »

Fratrem. Nempè *Titianum*; vide sup., 1.

Filium. Hunc solum memorat Tacit., ub. sup., 28, qui eum vocat *Salvium Cocceianum*.

Cohortatus. Tacit.; ub. sup., 48 : « Ut cuique ætas aut digni-

tas, comiter appellatos, irent propere, neu remanendo iram victoris asperarent, juvenes auctoritate, senes precibus movebat. »

Ex copia presentis. Plutarch., ub. sup. : Οὐχ ὡσπερ ἀλλοτριῶν ἀφειδῶν, ἀλλὰ τὸ κατ' ἀξίαν καὶ τὸ μέτριον ἐπιμελῶς φυλάττων.

CAP. XI. *Exorto.* Cf. Tacit., *Hist.*, II, 49 : « Post quæ, dimotis... minitabantur; » et PLUTARCH., ub. sup., p. 1074 : Γενόμενος δὲ ἀπὸ τούτων... καταλιπόντες.

Eos. Inter quos *Verginium* annumerat Tacit., l. c.

Post hoc. Plutarch., ub. sup. : ἤδη δὲ ἐσπέρας εὐσης. De re cf. Tacit., l. c.

Quievit. Cf. Tacit., ub. sup. : « Tum allatis pugionibus... audiverint. » Plutarch., ub. sup. : Ὡστε τοὺς κατευναστάς αἰσθάνεσθαι θάρρους αὐτοῦ καθεύδοντας.

Ictu. Tacit., l. c. : « Ingressi liberti, servique et Plotius Firmus, prætorii præfectus, unum vulnus invenere. » Cf. Tacit., l. c., et PLUTARCH., ub. sup., p. 1075.

Anno. Tacit., l. c. : « Hunc finem vitæ habuit septimo et vicesimo ætatis anno. » Accuratius Xiphil., LXIV, p. 733 : Τοῦτο τὸ τέλος τῷ Ὄθωνι ἐγένετο, ζήσαντι ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ἔτη, ἔνδεκα ἡμερῶν δέοντα. Diserte Cl. Hase, h. l. : Respicendum morem Nostri, annum nativitatis mortisque calculo comprehendere soliti.

CAP. XII. *Male pedatus.* H. c. distortis pedibus.

Linteæ. — *Linteis* vestibus uti solebant Isidis sacerdotes, Herodot., II, p. 116. Unde eos vocat *gregem linigerum* Juvenal., sat. VI, 533; et *tubam linigeram* Ovid., *Met.*, I, 747 :

Nunc dea lanigera colitur celeberrima turba.

Vitæ. Dio, LXIV, p. 733 : Κακιστά γε μὲν ἀνθρώπων ζήσας, κάλλιστα ἀπέθανε. Cf. PLUTARCH., ub. sup.

A rogo. Tacit., ub. sup., 49 : « Quidam militum juxta rogam interfecere se, non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris, et caritate principis.

Tulit. Plutarch., ub. sup. : Ἀπολιπὼν δὲ μὴ χεῖρονας, μηδ' ἐλάττους τῶν τὸν βίον αὐτοῦ ψεγόντων, τοὺς ἐπαινοῦντας τὸν θάνατον.

IN VITELLIUM.

CAPUT I. *Q. Eulogii*. Qui fuit libertus Q. Vitellii, docente Casaubono.

Fauno... rege. Tertio loco post Saturnium regnasse dicit Justin., XLIII, 1.

Vitellia. De Vitellia nihil constat.

Coloniæ. Liv., v, 29 : « Vitelliam coloniæ romanam in suo agro Æqui expugnant. »

Æquiculus. Idem qui Æqui ; vide CELLAR., *Geog. Ant.*, II, 9, p. 782.

Nucerie. Seu Luceriæ, urbis Apuliæ. Cellar., *ibid.*, p. 882.

CAP. II. *Cassius Severus*. De quo vide *Claud.*, XVI.

Sectionibus. — *Sectiones* erant emptio bonorum hastæ subjectorum. Vide ERNEST., *Clav. Cic.*, ad hanc vocem.

Cognituris. — *Cognituræ* erant præmia delationum, teste GRO-
NOV., *de Pecun. Vet.*, IV, 3, et SALMAS., *de Mod. Usur.*, XVI.

Exercentis. Non *pistoris*, sed ex furnis vulgo locandis quæ-
stum facientis, quo modo recte interpretatur Wolfius.

In consulatu. A. U. 785.

Caruit ordine. H. e. senatu motus est. Vide TACIT., *Annal.*, II, 48.

Condemnavitque. Vide *Tiber.*, VIII.

Arreptus. Cf. TACIT., *Annal.*, v, 8 : « Relatum inde de P. Vitellio.... vitamque ægritudine animi finivit. »

Ex consulatu. Consul fuit A. U. 787 cum Fabio Persico, teste Tacito, *Annal.*, VI, 28, et Dione, LVIII, p. 636.

Præpositus. Cf. TACIT., *ibid.*, 32, et Dion., LIX, p. 661 :
Ὁ γούν Βιτέλλιος ὁ Λούκιος, οὐτ' ἀγενής, οὐτ' ἄφρων ὢν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ἐν
τῇ Συρίᾳ ἀρχῆς ὀνομαστός γενόμενος.

Pellexit. Vide *Calig.*, XIV.

Ordinarios. Quinam fuerint consules *ordinarii* diximus in *Galb.*, VI.

Consulatus. A. U. 796 et 800.

Censuram. Cf. TACIT., *Hist.*, I, 9.

Eo. Scil. Claudio.

Britannica. Vide *Claud.*, XVII.

Ingenii. Sic Dio, LIX, p. 661 : Βιτέλλιος... τούς άλλους κολακεία ὑπερεβάλλετο.

Instituit. Id vero fecit, ut necem effugeret, docente Dione, *ibid.* : Οὔτος οὖν ὁ Βιτέλλιος... ἐν ταῖς πάνυ φίλοις αὐτοῦ νομισθῆναι.

Relato. Ritus causam indicat Plutarchus, *Quæst. Rom.*, 10 : Ἡ ταπεινοῦντες... ὑπὸ τοῦ σώματος ἐγκάλυψιν καὶ ἀπόκρυψιν.

Circumvertensque se. Plutarch. in *Marcell.*, p. 301 : Οὕτω γὰρ ἔθος ἔστι Ῥωμαίοις προσκυνεῖν τοὺς Θεοὺς περιστρεφομένοις.

Procumbens. — *Procumbere* solebant Romani post omnes ceremonias. Cf. LIV., XXX, 16, et PLUTARCH., in *Numa*, p. 70 : Τὸ δὲ καθίζεσθαι... καὶ σχολὴν ἄγωμεν.

Sæpe facias. Vox adulatoria h. l. : de formula *sæpe facias* inter solennia vota, vide BRISSON., *de Form.*, VIII, p. 721.

CAP. III. *Filiis.* Scil. Aulo et Lucio.

Consules. A. U. 801.

Pietatis. Scil. postquam majestas prius populi romani, mox etiam deorum in principes collata fuerat, *pii* erant servi principum; *impii* qui majestatem eorum læsisse videbantur.

Consulibus. A. U. 768.

Lamentata sit. Cf. TACIT., *Hist.*, 11, 64 : « Dixisse quin etiam... sensit. »

Incrementorum patri. Intell. ut pater ad officia proveheretur.

CAP. IV. *Acceptior.* Cf. TACIT., *ub. sup.*, 71.

CAP. V. *Principum.* Scil. Caligulae, Claudii et Neronis.

Præstitit. Tacit., *Hist.*, 11, 97 : « Integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius egerat. »

Continuato. Mallem : *continuo*.

CAP. VI. *Petroniam.* Nempe filiam P. Petronii Turpiliani.

Galeriam. Hujus mentionem habent Tacit., *Hist.*, 11, 60, et Xiphil., LXV, p. 735.

Marem. Quem *Germanicum* appellavit Tacit., *ibid.*, 69.

CAP. VII. *T. Vinii.* Vide *Galb.*, XIV.

Factionis venetæ. Aurigarum factio, *veneta* denominata a veneto, h. e. cæruleo colore.

Ablocaret. Melius, ut opinor : *ablocarit*.

Pigneraverit. Legendum puto : *pignerarit*.

Interverterat. H. e. in privatos usus verterat.

Formulam... intendisset. H. e. actionem movisset. Vide *sup.*, *Claud.*, XIV.

Caligatorum. — *Caligati*, h. e. *manipulares* opponuntur *ducibus*, sive iis qui gradum aliquem militiæ habebant.

Stabula. H. e. *cauponas*.

CAP. VIII. *Ingressus.* Cf. TACIT., *Hist.*, I, 52 : « Sub ipsas superioris anni.... integre mutaverat. »

Transacto. H. e. initio mensis januarii ann. 822.

Est consalutatus. Cf. TACIT., l. c., 57 : « Proxima legionis primæ hiberna erant.... Vitellio accessit. » Consalutatus autem est a Fabio Valente.

Defecerat. Cf. TACIT., l. c., 56.

Cognomen. Sic Tacit., *Hist.*, I, 62. Plutarch. in *Galb.*, p. 1063 : Τότε δὲ φασιν ὄνομα διάπλεον καὶ τροφῆς ὄντα (scil. Vitellium) μεσεμερι- νῆς, προσελθεῖν, καὶ ὑπακοῦσαι, Γερμανικὸν ὄνομα θεμένων αὐτῶ.

Distulit... recusavit. Tacit., *Hist.*, II, 62 : « Præmisit in Urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Cæsaris non reciperet, quum de potestate nihil detraheret. » Idem, *ibid.*, III, 58 : « Quin et Cæsarem se dici voluit, aspernatus antea : sed tunc superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor juxta audiuntur. »

CAP. IX. *Annunciata.* Cf. TACIT., *Hist.*, I, 62 : « Nuncium de cæde Galbæ.... bellum volvebat. »

Copias. Vide TACIT., l. c., 61 : « Adjuncto Britannico exercitu.... tota mole belli secuturus. »

Advolavit. De tali auspicio vide *Claud.*, VII. Cf. TACIT., l. c., 62 : « Lætum augurium.... prosperæ rei omen acciperetur. »

Corruerunt. Quod tristes casus prænuntiare antiquitus creditum est.

Legatos. Scil. Cæcinam et Valentem; vide *Othon.*, VIII.

CAP. X. *Victoria.* Vide *Othon.*, IX.

Audiit. Cf. TACIT., *Hist.*, II, 57.

Affici. Sic Tacit., *Hist.*, I, 44.

Inchoato. De hoc itinere plura Tacit., *Hist.*, II, 62, 68, 71, 78.

Rapinas. Vide TACIT., *Hist.*, II, 56.

Adiit. Tacit., *ibid.*, 70 : « Inde Vitellius Cremonam flexit, et spectato munere Cæcinæ, insistere Bedriacensibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis concupivit. »

Mausoleo. Per ironiam; modicum enim erat Othonis sepulcrum, teste Tacito, *Hist.*, II, 49. Cf. PLUTARCH., in *Othon.*, p. 1075.

CAP. XI. *Introiit.* Cf. TACIT., *Hist.*, II, 89.

Alliensi die. Qui dies inter funestissimos habebatur. Cf. CIC. *ad Attic.*, I, 5; et ROSIN., *Ant. Rom.*, IV, 2.

Inferias. Tacit., I. c., 95 : « Lætum fœdissimo cuique apud bonos invidiæ fuit, quod, exstructis in Campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. »

Dominico. H. e. de collectione canticorum Neronianorum : ita enim appellabatur ab assentatoribus, vivo Nerone.

CAP. XII. *Administravit.* Tacit., *Hist.*, II, 87 : « Aggregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. »

Liberti. De hoc Tacit., ub. sup., 95.

Muneris. H. e. extremo loco ad digladiandum productum.

Maculam. Cf. TACIT., ub. sup., 57 : « Postulante exercitu..... fœdum mancipium et malis artibus ambitiosum. »

CAP. XIII. *Sufficiens.* Xiphil., LXV, p. 734 : Ἐπει εἰ γε συνδεδυνότες αὐτῷ πάντες κακῶς ἀπέβλασαν.

Aliud alii. Nempe ut apud alium pranderet, apud alium comaret, apud alium comessaretur.

Patinæ. Xiphil., ub. sup. : Μίαν γούν ποτε λοπάδα πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων ἰσκέρασε. Cf. PLIN., *H. N.*, XXXV, 12.

Πολιεύου. Quod erat cognomen Minervæ. Pausan., *Lacon.*, p. 99 : Ἐνταῦθα Ἀθηναῖς ἱερὸν πεποιήκται Πολιεύου καλομένης. Cf. ARISTOPH., *Equit.*, I, 3, 344.

CAP. XIV. *Unum.* Scil. Junium Blæsum.

Vernaculis. H. e. scurris.

Edictum suum. Xiphil., LXV, p. 734 : Βιτέλλιος δὲ, ἐπει ἔτι τῆς πόλεως ἰγνέετε, τὰλλα τε θύματα, ὡσπερ καὶ ἔδωκεν αὐτῷ, καὶ πρόγραμμα ἔταξε δὲ εὖ τοῦ ἀστρολόγου ἐξήλασε.

CAP. XV. *Desciverunt.* Cf. TACIT., *Hist.*, II, 73 sqq.; XIPHIL., LXV, p. 737.

Dilectum. Cf. TACIT., *Hist.*, III, 58.

Cum classe... opposuit. Imo cum sex cohortibus et quingentis equitibus, teste Tacito, *Hist.*, III, 57 : « Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum cum præfectis prætorii relicta, L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit. »

Duces. Scil. Aulum Cæcinam et Fabium Valentem. Tacit., *Hist.*, II, 99

Superatus. Apud Cremonam, ab Antonio primus. TACIT., *Hist.*, III, 2.

Proditus. A Lucilio Basso, Tacit., *ibid.*, 12; a Cæcina, *ibid.*, 13; a Claudio Juliano, *ibid.*, 57.

Pepigit. Cf. TACIT., *ibid.*, 65.

Professus. Tacit., *ibid.*, 68 : « In sua concione Vitellius inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et præsentis mæstitiæ congruentia locutus, *cedere se pacis et reipublicæ causa.* »

Succensoque. Cf. TACIT., *ibid.*, 71 : « Faces in prominentem porticum jecere.... furore principum excindi. »

Consuli. Nempe Cæcilio Simplicio.

CAP. XVI. *Legatos.* Cf. TACIT., *ibid.*, 80.

Vestalibus. — *Ibid.*, 81 : « Obviæ fuere et virgines vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. » De vestalibus ad deprecandum missis, vide *Cæs.*, XII.

Passus est. Cf. TACIT., *ibid.*, 85 : « Vitellius capta urbe... protrahitur. »

CAP. XVII. *Extractus.* Scil. a Julio Placido tribuno cohortis, teste Tacito, *Hist.*, III, 85.

Ludibria. Cf. TACIT., *ub. sup.*; ΧΙΡΗΛ., LXVI, p. 743 : Καὶ οἱ μὲν ἐβράπιζον αὐτὸν, οἱ δὲ τοῦ γενείου ἔτιλλον, πάντες δὲ ὕβριζον, τὰ τε ἄλλα καὶ τὴν ἀσωτίαν αὐτοῦ ἐπιλέγοντες.

Capite. — *Capite comam* captivorum *reducere*, h. e., manu arreptam et retrorsum cum capite trahere solebant veteres, docente Casaubon.

Subrecto. Tacit., *ub. sup.* : « Vitellium infestis mucronibus coactum, modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra, aut Galbæ occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. »

CAP. XVIII. *Fratre.* Scil. Lucio. Tacit., *Hist.*, IV, 2 : « Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris. »

Filio. Sc. Germanico. Tacit., *ibid.*, 80 : « Mucianus Vitellii filium interfici jubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. »

Augurio. Vide *sup.* IX.

IN VESPASIANUM.

Caput I. Reatinus. H. e. oriundus *Reate*, quod erat Sabinorum oppidum. Cf. STRABON., v, p. 157, et CELLAR., *Geogr. Ant.*, II, 9, p. 778.

Evocatus. Iisdem honoribus utebantur evocati, quibus centuriones. Cf. *Galb.*, x.

Factitavit. H. e. fuit *coactor argentarius* : erant autem *coactores argentarii*, qui pecunias in auctionibus cogeabant. Vide *Neron.*, v.

Publicum... *egit.* H. e. procuravit nomine societatis publicanorum.

Urbis. Plutarch., in *Othon.*, p. 1068 : Τῆς δὲ Πόλεως ἑὐλακκὰ φησὶν Ἰσθμίου ἀδελφοῦ Οὐεσπασιανοῦ κατέστησεν (scil. Otho).

Nursiæ. Vide *Aug.*, XII.

Præfectum. Cujus occupationes edocet Veget., II, 10. Cf. LIPS., *Excurs. in Tacit. Annal.*, I, 20.

Operarum. — *Mancipes operarum* erant, qui operas illas conducebant, et majori mercede, quam ipsi dederant, possessoribus agrorum elocabant.

CAP. II. *Consulibus.* A. U. 762.

Cosanis. In Etruria. Cf. STRABON., v, p. 156, et CLUVER., *Ital. Ant.*, II, 2, 21.

Sollemnibus ac festis. H. e. privatim vel publice sollemnibus.

Adeptò. Nimirum frater beneficio principis acceperat latum clavum, quamvis e gente senatoria non ortus.

Anteambulonem. Quia cum fratre prætextato, et laticlavio, albatu solebat esse. Reges autem ipsi prætextati Romæ; clientuli sive *anteambulones* illi albatu. Martial., II, 18, 5 :

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.

Sextoque loco. H. e. ultimus renunciatus est. Docente Cl. Hase, ædilitas pertinet ad ann. 791; prætura ad ann. 792. Istam vero Oudendorp. ann. 793 tribuit.

Conjuratorum. Scil. Lepidi et Gætulici, quos morte affici jussit Caius. Cf. JOSEPH., *Ant. Jud.*, XIX, 1, et DION., LIX, p. 657.

CAP. III. *Sabratensis*. Plin., *H. N.*, v, 3 : « *Sabrata contingens Syrtim minorem.* »

Delicatam. H. e. in *deliciis* habitam, seu amicam.

Latinæque conditionis. H. e. libertam per manumissionem minus justam. Vide *Aug.*, xl.

Recuperatorio judicio. Vide *Neron.*, xvii.

Ferenti. Vide *Othon.*, i.

Cænidem. De hac Xiphil., lxxvi, p. 751 : Ἀυτῆ ὁ Οὐεσπασιανὸς ὑπερέγαυρεῖ πλεῖστόν τε διὰ τοῦτο ἴσχυσε, καὶ πλοῦτον ἀμύθητον ἤθροισεν, ὥστε καὶ νομισθῆναι, ὅτι δι' αὐτῆς ἐκείνης ἐγρηματίζετο.

Antoniæ. Quæ fuit Claudii mater. Vide *Claud.*, i.

A manu. H. e. librariam.

CAP. IV. *Legatus*. Vide *Tiber.*, xix.

In Britanniam. Ita Dio, lx, p. 768. Tacit., *Agric.*, xiii et xiv : « Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, et assumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturæ mox fortunæ fuit. »

Ornamenta. Vide *Aug.*, xxxviii.

Consulatum. A. U. 804.

Defuncti. Intellig. *acti ad mortem* Agrippinæ fraudibus. Vide TACIT., *Annal.*, xiii, i.

Africam. A. U. 816, C. Memnio Regulo et L. Verginio Rufo COSS.

Integerrime. — *Famosum* contra et *invisum* proconsulatum in Africa egisse Vespasianum dicit Tacit., *Hist.*, ii, 97.

Obligari. Tacit., *Hist.*, iii, 65 : « Flavius Sabinus, ætate prior, privatis utriusque rebus, auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. Et credebatur affectam ejus fidem præjuvisse, domo agrisque pignori acceptis. »

Mulio. Sic dicebatur, qui victum sibi quærebat *comparandis mulis* farreque in castra convehendo. Cf. GELL., xv, et MANUT. *ad Cic.*, *de Divin.*, x, 18.

Obdormisceret. Idem evenit in Urbe. Cf. TACIT., *Ann.*, xvi, 5.

Percrebruerat. Cf. TACIT., *Hist.*, v, 13.

Præposito. Scil. Gessio Floro, de quo Joseph., *Ant. Jud.*, xx, 9 : Γέσσιος δὲ Φλώρος ὁ πεμφθεὶς Ἀλβίνου διάδοχος ὑπὸ Νέρωνος πολλῶν ἀνέπλησε κακῶν Ἰουδαίουσ. Cf. TACIT., l. c., 10.

Legatum. Scil. Cestium Gallum. Cf. TACIT., *ibid.*

Alis, cohortibus. H. e. copiis equestribus et pedestribus sociorum.

Majore filio. Scil. Tito.

Provinciam. Scil. Judæam.

Proximas. Intellig. provincias, nempe Ægyptum et Syriam.

Castelli. Cui nomen *Jotapata*. Egesipp., *Exscid. Hieros.*, 111, 2.

CAP. V. In spem imperii. Xiphil., LXV, p. 736 : « Καὶ ὁ Οὐέσπασσιανὸς Ἰουδαίῳις πολεμῶν, πυθόμενος τὴν τε τοῦ Βιτελλίου καὶ τὴν τοῦ Ὀθωνὸς ἐπανάστασιν, ἐβουλεύετο ὅ τι γρηὶ πράξει. »

A frutice. Hoc sic interpretatur Oudendorp. : « Ab ea parte qua frutex, qui e radice annosæ quercus circum trunci infima pullularat, ex ipsa arbore enatus erat, dedit arbor singulos ramos. »

Oppleri. Ita Cedren., p. 162 : Καὶ ὡς ἀμελοῦντα τῶν κωνῶν, τὸν πῦλὸν εἰς τὴν ἐσθῆτα ἐλαθῆναι ἐκέλευσεν.

Summisit. Cf. XIPHIL., LXVI, p. 744.

Resurrexit. Tacit., *Hist.*, II, 78 : « Recursabant animo vetera omina. Cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine, repente prociderat; ac postera die, eodem vestigio resurgens, procerca et latior virebat : grande id prosperumque, consensu haruspicum, et summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa. »

Carmeli dei. Tacit., *ibid.* : « Est Judæam inter Syriamque Carmelus : ita vocant montem deumque, nec simulacrum deo aut templum situm tradidere majores, aram tantum et reverentiam. »

Pollicerentur. Cf. TACIT., *ibid.*, qui narrat id pollicitum fuisse sacerdotem *Basiliden* nomine.

Josephus. De illo ita Euseb., *Hist. eccles.*, 111, 9.

Solveretur....jam imperatore. Xiphil., ub. sup., p. 745 : Ἰώσηπος δὲ ἀνὴρ Ἰουδαῖος, ἀγθεὶς τε ὑπ' αὐτοῦ πρότερον, καὶ δεθεὶς, ἐγέλασε καὶ ἔφη· νῦν μὲν με δῆσεις, μετ' ἐνιαυτὸν δὲ λύσεις αὐτοκράτωρ γενόμενος.

Confluxisse. Cf. TACIT., ub. sup., 50.

CAP. VI. Inscriserunt. Imperatoris recenter creati nomen vexillis inscribere milites solebant. Cf. DION., XL, p. 128.

Numeris. H. e. cohortibus. Sozomen., *Hist. eccles.*, I, 8 : Ἐξ ἐκείνου δὲ καὶ τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμῶς καλοῦσιν, ἕκαστον ἰδίαν σκητὴν κατεσκευάσατο.

Tiberius Alexander. De hoc cf. JOSEPH., XX, 5 : Ἦλθε δὲ Φάδω Τιθήριος Ἀλεξάνδρου διάδοχος, Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ Ἀλαβαρχήσαντος (forsan Ἀραβαρχήσαντος) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, κ. τ. λ.

Juravit. Cf. TACIT., *Hist.*, II, 74.

Rumor dissipatus. Scil. a Muciano; vide TACIT., *ibid.*, 80 : « Nihil æque provinciam exercitumque accendit... in modum penatium diligebantur. »

Ille. Tacit., ub. sup., 76 : « Tibi e Judæa et Syria et Ægypto novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ; sed firmatus usu miles, et belli domitor externi. »

Sagittariorum. Sic Tacit., *Hist.*, IV, 51.

CAP. VII. *Obtineret.* Tacit., *Hist.*, II, 82 : « Titum instare Judææ, Vespasianum obtinere claustra Ægypti placuit. »

Serapidis. De hujus dei cultu vide TACIT., *Hist.*, IV, 83.

Se convertisset. Hoc capit Ernest. de ritu ominis vel auspicii capiundi, cui assentitur Oudendorpius.

Accessit. Dio, LXVI, p. 748 : Τὸ μὲν θεῖον τοῦτοις αὐτὸν ἐσέμνυνεν.

E plebe. Scil. Alexandrina : vide TACIT., *Hist.*, IV, 81.

Crure. — *Manu dicunt* Tacit., l. c. : « Alius manu æger, » et Dio, ub. sup. : Ἐπερον οὐκ ἀρτίχειρα.

Amicis. Imo adulatoribus et medicis, teste Tacito, ub. sup.

CAP. VIII. *Reversus.* A. U. 823.

Consulatus octo. De veteri consulatu vide sup., IV. Docente Cl. Hase, secundum, tertium et quartum continuavit annis 823, 824 et 825; post unius anni intervallum, quintum, sextum, septimum et octavum, annis 826 usque ad 830, et denuo interjecto anno, nonum, ann. 832 gessit.

Suscepit. Secundo consulatu, collega Tito.

Fiducia. Scil. Vespasiani.

Dolore. Scil. Vitelliani.

Classarios. H. e. cohortes renigum.

Pro equite romano. Qui fuerat impositus a Tiberio. Cf. *Tiber.*, XXXVII.

Aggressus. Tacit., *Hist.*, IV, 53 : « Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate fama que inter proceres. »

Admovit. Ita Xiphil., LXVI, p. 749.

CAP. IX. *Pacis.* Joseph., *Ant. Jud.*, VII, 19 : Μετὰ δὲ τοῖς θριάμβουσι καὶ τὴν θεσπαιστότην τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας κατάστασιν, Οὐεσπασιανὸς ἔγνω τέμενος Εἰρήνης κατασκευάσαι.

Amphitheatrum. Ipse cœpit; at Titus summam manum imposuit, itemque dedicavit. Cf. infra *Tit.*, VII.

Amplissimos ordines. H. e. senatorium et equestrem.

CAP. X. *Jurisdictionis.* Nempe, quia propter civiles turbas diu jus dictum non fuerat.

Judicia centumviralia. De his vide *Aug.*, xxxvi.

CAP. XI. *Haberetur.* Hoc ita Claudii senatusconsulto statutum fuerat. Vide *Tacit.*, *Annal.*, xii, 53. Illud vero post Claudii obitum, licentia temporum, observari desiderat.

Esset. Quod jam factum erat A. U. 800, Claudii senatusconsulto. *Tacit.*, *Annal.*, xi, 13 : « Lege lata sævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum senori darent. »

CAP. XIII. *Licinium Mucianum.* De hoc *Tacit.*, *Hist.*, i, 10 : « Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus. »

Clausulæ. Scil. querelarum.

Vir sum. Formula qua utebatur, qui pudicitiam suam prædicabat.

Demetrium. De hoc *Philostr.*, *Apoilon.*, iv, 8 : Παραγενόμενος εἰς τὴν Ῥώμην, ὕστερον ἐθεράπευε τὸν Ἀπολλώνιον. Cf. *Χιρην.*, lxxvi, p. 751.

Post damnationem. H. e. quum in insulas relegatus esset. *Xiph.*, l. c. : Τὸν δὲ δὴ Δημήτριον καὶ τὸν Ὀστίλιον καὶ εἰς νήσους κατέκλεισε.

Canem appellare. *Xiphil.*, *ibid.* : Τῷ δὲ Δημητρίῳ ἐκέλευσεν Οὐεσπασιανὸς λεχθῆναι, ὅτι σὺ μὲν πάντα ποιεῖς, ἵνα σε ἀποκτείνω, ἐγὼ δὲ κύνᾳ ὕλακτοῦντα σὺ φρονέω.

CAP. XIV. *Eum.* Scil. *Vespasianum.*

Sub Nerone. A Phœbo liberto. *Xiphil.*, lxxvi, p. 750.

Morboniam. *Xiphil.*, l. c. : Ἐς κόρακας.

Eadem. Ita *Xiphil.*, l. c., ubi rursus : Ἐς κόρακας ἀπέλθε.

Imperatoriam. H. e. mathematicos, inspecta ejus nativitate, illi prædixisse fore ut aliquando imperaret.

Futurum. *Xiphil.*, lxxvii, p. 765 : Δέγων ὅτι πάντως μὲν μνημονεύσει, καὶ πάντως με ἀντιτιμήσει.

CAP. XV. *Absente eo.* H. e. ante adventum ex Ægypto, quo tempore Domitianus et Mucianus Romæ omnem licentiam et crudelitatem exercebant.

Helvidio Prisco. De quo vide *Tacit.*, *Hist.*, iv, 5, et *Χιρην.*, lxxvi, p. 750.

In prætura. Quam gesserat A. U. 823.

Transmiserat. Imo semper male dixerat. *Xiphil.*, ub. sup. : Καὶ ἑλασφημῶν αὐτὸν οὐκ ἐπαύετο

Altercationibus. Quas denarrat Arrian. in Epict., 1, 2 : Ταῦτα εἶδε καὶ Πρίσκος Ἐλουτίδιος... ἐμὸν ἐξελεθεῖν μὴ λυπούμενον.

Redactus. H. e. privatis ab eo assimilatus.

CAP. XVI. *Cupiditas. Quam Mucianus incendebat. Xiphil., ub. sup., p. 745 : Ὁ δὲ Μουκιανὸς καὶ χρημάτα ἀμύθητα πανταχόθεν... αὐτὸς ἐκτῆσατο.*

Venditare. Per Cœnidem concubinam. Xiphil., ibid., p. 751.

Usus est. Xiphil., ibid., p. 749 : Κάκ τούτου καὶ τὸ μάλιστα διέδειξεν, ὅτι τὰς συλλογὰς τῶν χρημάτων οὐκ εἰς τὰς ἑαυτοῦ ἡδονὰς, ἀλλ' εἰς τὰς τοῦ δήμου χρήσας ἐποιεῖτο.

CAP. XVIII. *Colossi. Quem Neroni Zenodorus fecit. Cf. Neron., xxxi.*

Sineret... pascere. H. e. operarios ex opera quotidiana victum quætere. Notante enim Cl. Hase, inventio machinarum victum eripit operariis.

CAP. XIX. *Theatri. Cf. Aug., xxix.*

Recta. Supple cæna. Cf. Aug., lxxiv.

Dapsile. H. e. laute.

Per kalendas martias. Tunc celebrabantur Matronalia, quæ quodam modo Saturnalia feminarum erant. Cf. PRISC., ad h. l., et ROSIN., Ant. Rom., iv, 7, p. 257.

Alexandrini. De illorum dicacitate, Herodian., iv, 9 : Πεφύκασιν δὲ πως εἶναι φιλοσοφώμενος καὶ λέγειν εἰστόχος ὑπεργρηγὸς ἢ παιδίας, ἀπερρίπτουντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκοπεῖσιν. Cf. SENECA, ad Helv., xvii, et XIPHIL., ub. sup., p. 749.

Cybiosacten. H. e. ταρχέμπερον seu ἀνελεύθερον. Cf. STRAB., xvii, p. 547.

Unius. Nempe Seleuci.

CAP. XX. *Quadrata. H. e. neque longa, neque brevis, sed inter utrumque temperata. Cels., ii, 1 : « Corpus habilissimum quadratum est. »*

Nitentis. H. e. cum nisu exonerantis alvum.

In sphæristerio. Locus erat balinei variis accommodatus exercitiis.

CAP. XXI. *A secreto. H. e. postquam quieti vacaverat.*

CAP. XXII. *Semper alias. MS. alter super aleas.*

Transigebat. Xiphil., lxxvi, p. 750 : Καὶ γὰρ ἔσκωπτε δημοτικῶς, καὶ ἀντεσκώπτετο ἡδέως.

Prætextatis. H. e. obscenis.

Flaurum. Sic *Floram* deam *Flauram* dixerunt, non a floribus, sed ἀπὸ τῆς φλαυρότητος, quia vilis et propudiosa fuerat meretrix.

Perductæ. Scil: ad stuprum.

Dispensatore. Qualis sit vide in *Aug.*, LXVII.

CAP. XXIII. *Nato*. Cui *natura* (sensu obsceno) improba sive magna erat.

Ἐγγυς. Ex Homer. *Iliad.*, VII, 213.

Κέρουλος. Diserte Cl. *Hase*: « Quum Cerulus ingenuum se tulisset, Lachetis sumto nomine, Vespasianus mortui bona, ut liberti Ceruli, quamvis Laches vivus fuisset, ad se perventura, artemque illam parum profuturam homini dicebat, accommodato versu Menandri. (*Collect. Clerici*, p. 248),

Ἐπὶ τὴν ἀπεθάνοντα, αἰδοῖς ἐξ ἀρχῆς ἔσθ.

Ita ut Lachetis Cerulique nomina adderet. »

Dispensationem. H. e. dispensatoris munus.

Offenderetur. Ita Xiphil., LXVI, p. 751.

Summæ. Πέντε καὶ ἑξασί μισθιάδων, teste Zon., *Ann.*, II, p. 195.

Jocis. Aurel. Viet. *Epit.*, IX, 17: Serijs joca, quibus delectabatur, admiscens interit. »

CAP. XXIV. *Consulatu suo nono*. A. U. 832.

Cutilias. Plin., *H. N.*, XXXI, 2: Cutiliæ in Sabinis gelidissimæ, succo quodam corpora invadunt, ut prope morsus videri possit, aptissimæ stomacho, nervis, universo corpori. » Cf. *Dionys. Hal.*, *Ant. rom.*, I, p. 12. *Cotiscoliae* dicuntur in Strabon., v, p. 158.

CAP. XXV. *Aut filios*. De uno filio hoc dixisse narrat Xiphil., ub. sup.

IN TITUM.

CAPUT I. *Cognomine paterno*. Eutrop., VII, 16: « Huic Titus filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus. »

Insigni anno. A. U. 794. Vide *Calig.*, LIX.

Septizonium. Quod non confundendum cum magnifico monumento Septimi Severi, cui idem a figura nomen.

CAP. II. *Metoposcopum*. Sic vocabatur qui ex facie hominum addivinabat, et privatim ex inspectione frontis quid cuique eventurum esse prædicebat. Cf. PLIN., *H. N.*, xxv, 10.

Mox. Nempe quum ad imperium pervenisset.

CAP. III. *Latine græceque*. Suidas : καὶ τῇ μὲν Λατίνων ἐπιχωρίῳ γλωττῇ πρὸς τὰς τῶν κοινῶν ἑλληνικοῦ διοικήσεις· ποιήματα δὲ καὶ τραγωδίας Ἑλλάδι φωνῇ διεποιεῖτο.

CAP. IV. *Titulis*. H. e. inscriptionibus quæ declarabant quas ob causas statuæ positæ essent.

Cohortium. Vide *Galb.*, xiv.

CAP. V. *Missus*. Tacit., *Hist.*, II, 1 : « Titus Vespasianus e Judæa, incolumi adhuc Galba, missus a patre, causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus juventam ferebat. »

Arcesseretur. Tacit., *ibid.* : « Sed vulgus, fingendi avidum, disperserat accitum in adoptionem. »

Consulit. Tacit., *ibid.*, 4 : « De navigatione primum consuluit : postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat, cæsis compluribus hostiis, etc. »

Cujus. Scil. *spei*, nondum enim imperii.

Cepitque. Joseph., *Bell. Jud.*, VII, 18 : Ἐάλω μὲν οὕτως Ἱεροσόλυμα ἔτει δευτέρῳ τῆς Οὐεσπασιανῶν ἡγεμονίας, Γερπιαίου μάλιστα ἐγδοῆ.

CAP. VI. *Potestate*. Vide PLIN., *Pref. Hist. Nat.* ad Titum, et HARDUIN., *ibid.*

In septem consulatibus. Nempe ann. 823 et 825 ; mox quadriennio continuo ab ann. 826 usque ad 830 ; septimum ann. 832.

Quæstoris. De hoc officio quæstoris vide *Aug.*, LXV.

Administratam. H. e. administrari solitam.

Summissis. Sic Aurel. Vict. *Epit.* x.

Aulum. — *Alicenum* vocant Tacit., *Hist.*, I, 52, et Xiph., LXVI, p. 752.

Jussit. Aurel. Victor, I. c. : « Cæcinam consularem adhibitum cœnæ, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices uxoris suæ, jugulari jussit. »

CAP. VII. *Amorem*. Tacit., *Hist.*, II, 2 : « Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus ; sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. »

Pollicitus. Xiphil., LXVI, p. 748 : Προσεδοκᾶτο δὲ γαμηθήσεσθαι αὐτῷ· καὶ πάντα ἤδη ὡς καὶ γυνὴ αὐτοῦ εὖσα ἐποίει.

Dimisit. Cf. XIPHIL., ub. sup., et AUREL. VICT. *Epit.* x.

Delicatorum. H. e. τῶν ἐρμεμένων, qui dicuntur *enervatorum greges* in Aurel. Vict., l. c.

Prolixius H. e. benignius.

Amphitheatro. Xiphil., ub. sup., p. 757 : Καὶ ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις οὐδὲν ἐξαίρετον ἔπραξε, τὸ δὲ δὴ θέατρον τὸ κυνηγετικόν, τὸ τε θαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ ἱερώσατο.

Navale praelium. Quod describit Xiphil., *ibid.* : Τὸ γὰρ θέατρον... καὶ τῆ τρίτῃ ναυμαχίᾳ τρισχιλίων ἀνδρῶν.

CAP. VIII. *Præterita.* Cf. XIPHIL., ub. sup., et ZONAR., *Annal.*, II, p. 195.

Perdidi. Themist., *Orat.*, VI : Τίτος ὁ γενναῖος, οὐ τι λαμπρὸν καὶ μέγα ἔκλεινο ῥῆμα, ἑπὶ τῆμερον οὐκ ἐθασίλευσα' οὐδένα γὰρ εὖ ἐπέκισα.

Cavillatus est. H. e. diversæ factionis gladiatores salse risit.

Conflagratio. A. U. 832. Quam conflagrationem describit Zon., *Ann.*, II, p. 196 : Τότε κτύπος ἐξαίσιος... καὶ δύο πόλεις τὸ τε Ἐρκουλάκειον καὶ τοῦς Πεμπησίους, ἐν θεάτρῳ τοῦ δήμου καθημένῳ, καταχωσθῆναι.

Incendium. A. U. 833. Xiphil., ub. sup., p. 756 : Πῦρ δὲ δὴ ἕτερον ἐπέγειον, τῷ ἔξῃς ἔτει, πολλὰ πᾶν τῆς Ρώμης, τοῦ Τίτου πρὸς τὸ πάθος τὸ ἐν τῇ Καμπανίᾳ γενόμενον ἐκδημήσαντος, ἐπενεύματο, κ. τ. λ.

Duxit. Xiphil., *ibid.* : Ὁ δ' εὖν Τίτος τοῖς μὲν Καμπανεῖς δύο ἀνδρας ἐκ τῶν ὑπατευκότων οἰκιστὰς ἔπεμψε.

Nisi sibi. Illa sibi perisse Titus dicebat, quum damnum in se reciperet, non vectigalibus novis et extraordinariis resarciendum curaret.

Mandatores. Qui delatores instruebant subornabantque ad accusandum.

Veteri. Scil. e temporibus Tiberii.

Subjici. Pitisc. perperam : *bestiis* vinctos. Intellig. cum Cl. Hase : *hastæ* vel *præconi.*

Statu. H. e. conditione ; scil. utrum ingenuus fuerit, an libertinus, an servus.

Certos annos. Nempe *quinquennium*, quod postea edicto præscripsit Nerva.

CAP. IX. *Fratrem.* Scil. Domitianum.

Ex professo. H. e. palam.

CAP. X. *Sabinos.* Nempe aquas Cutilias et Reatinum suum in Sabinis.

Mansionem. Intell. locum, ubi in itinere primo pernoctavit.

Plagulis. H. e. velis lecticæ.

Uno. Quum Domitianum suo non minus quam reipublicæ exitio servasset.

CAP. XI. Cunctis. Cedren., p. 179 : Τεσσούτες δὲ θρῆνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ αὐτοῦ κατέσχε τὴν Ῥώμην, ὡς ἐν χρόνῳ πολλῷ τοῦτον ἀπομνημονεύοντες, καὶ τὰς ἀρετὰς αὐτοῦ ἀναλογιζόμενοι, δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους κλαίειν, ὡσπερ οἰκίῳ πάθει κατεχόμενος ἕκαστος.

Congessit. Eutrop., vii, 14 : « Senatus, obitu ipsius circa vesperam nunciato, nocte irrupit in curiam, et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo unquam egerat, nec præsentī : inter divos relatus est. »

IN DOMITIANUM.

CAPUT I. Designato. A. U. 804.

Ad Malum Punicum. Quod vico nomen vel a malo Punico ibi efficto, vel ab arbore tali ibi plantata, quod latinitas non ferre videtur.

Sabino. Tacit., *Hist.*, iii, 69 : « Vitellianus miles custodia socii clausos circumdedit, eoque, concubia nocte, suos liberos Sabinus et Domitianum, fratris filium, in Capitolium accivit. »

Pernoctavit. Ibid., 74 : « Domitianus, prima irruptione apud ædituum occultatus, solertia liberti, lineo amictu turbæ immixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem juxta Velabrum delituit. »

Isiaci. H. e. Isidis sacerdotis; intell. ergo : *linteo habitu.*

Consalutatus. Tacit., ub. sup., lxxxvi.

Honorem præturæ. Tacit., *Hist.*, iv, 3 : « Prætura Domitiano et consulare imperium decernuntur. »

Abduxit. Xiphil., lxxvi, p. 746 : Καὶ τῷ ἔρωτι τῆς Δομιτίας τῆς Κερβεύλωνος θυγατρὸς προσέχων ἐτύγχανε ταύτην γὰρ Λυκίου Δαμίου Διμιλιανῶ τοῦ ταύτης ἀνδρὸς ἀποσπάσας, τότε μὲν ἐν ταῖς ἐρωμέναις ἐποτιήσατο, ὕστερον δὲ καὶ ἔγαμεν.

Dicitante. Ibid., p. 745 : Ὅστε τὸν Οὐεσπασιανὸν ἐπιστεῖλαι ποτε τῷ Δομιτιανῷ, ἔτι χάριν ἔχω σοι, τέκνον, ὅτι με εἰς ἄρχειν, καὶ οὐδέπω καταλέλυκας.

CAP. II. *Expeditionem*. A. U. 823.

Adaquaret. Cf. TACIT., *Hist.*, IV, 86.

Equo albo. Zonar., *Annal.*, II, p. 194 : Συνέπεμψε δὲ σφισιν αὐτὰ καὶ ὁ Δομιτιανὸς ὑπατεύων ἐπὶ κρήνης.

Unum. A. U. 826.

Poeticæ studium. Tacit., *Hist.*, IV, 86 : « Studiumque litterarum, et amorem carminum simulans. »

Imperii. — *Consortem imperii* illum dicit Titus, sup. IX; sed hoc voluntarium erat, non ex testamento debitum.

Juvv. Xiphil., ub. sup., p. 758 : Ἐτι γὰρ ζῶντος αὐτοῦ (sc. Tito, ἐκ τοῦ τοῦ Πομπ. ἀγρίππιδος, καὶ ἐς τὸ στρατόπεδον εἰσῆλθε, τὴν τε ἐπίκλησιν, καὶ τὴν ἰσχυρίαν τοῦ ἀυπατατοῦς ἐλάθει. θεὸς αὐτοῖς ἔσαν παρ' αὐτῶ ἀδελφεῖς αὐτοῦ ἰδεθῶσαι.

Consecrationis. Qua referrebat inter deos.

CAP. III. *Configere*. Etiam ante principatum, teste Xiphil., ub. sup., p. 749.

A Vibio Crispo. De hoc Quintil., *Instit.*, X, 1 : « Vibius Crispus compositus et jucundus, et delectationi natus; privatis tamen causis quam publicis melior. Cf. JUVENAL., sat. IV, 81.

In secundo suo consulatu. Quum numerare soleat Suetonius non *ordinarios* modo consulatus, sed etiam *suffectos*, intelligi non potest, nisi primus ordinarius (*secundus* idem, si primum *suffectum* annumeraris), docente Cl. Hase.

Alteroque anno. Neutiquam esse potest *insequenti* sive *proximo* post secundum consulatum (privatus enim adhuc, quomodo *Augustam* uxorem salutare potuit?), sed *altero imperii anno*, id quod elucet ex capitis exordio *inter initia principatus*.

Histrionis. Quem a Domitiano occisum dicit Xiphil., LXVII, p. 759 : Τὸν Πάριον τὸν ἄρχιστῆν ἐν μέσῃ τῆ ἰδῶ δὲ αὐτὸν φρονέουσα.

Repudiavit. Ab Urso impulsus; Xiphil., *ibid.*

CAP. IV. *Praelium duplex*. Ita Xiphil., ub. sup., p. 762.

Ad lychnuchos. Ad quos et convivia exhibuit. Xiph., *ibid.*, 763.

Paria. Subintellig. gladiatorum.

Fecit et. A. U. 841.

Centum missus. H. e. ut centum currus e carceribus emitterentur.

Corripuit. Ut quinquies tantum singula curricula circum metam agerentur, non septies, quo tempus melius sufficeret ad centum missus.

Instituit. A. U. 839.

Chorocitharistæ. Qui voces citharasque ad concertum jungebant.

Psilocitharistæ. Qui cithara sine voce canebant.

Virgines. Cf. XIPHIL., LXVII, p. 762.

Flavialium. H. e. gentis *Flaviæ* sacerdotum, quos una cum templo patri ac fratri sacraverat Domitianus.

Minervæ. Xiphil., ub. sup., p. 759 : Θεὸν μὲν γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν ἐς τὰ μάλιστα ἤγαλλε· καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Παναθηναῖα μεγάλως ἐόρταζε· καὶ ἐν αὐτοῖς ἀγῶνας καὶ παιητῶν καὶ λογογράφων, μονομάχων τε κατ' ἔτος, ὡς εἰπεῖν, ἐν τῷ Ἀλβάνῳ ἐποίει.

Certamina. De quibus Juvenalis, sat. x, 114 :

Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis

Incipit optare, et totis quinquatribus optat.

Sacro. — *Septimontium* dies festus appellatur, teste Festo, mense decembri, qui dicitur in Fastis *Agonalia*, quod in septem mensibus fiunt sacra. Plutarch., *Quæst. Rom.*, LXVIII, docet quare hoc festum institutum fuerit : Τὸ δὲ Σεπτιμύτιον ἄγουσιν ἐπὶ τῷ τὸν ἔβδωμον λόφον τῆ πόλει προσκατανεμῆσθαι, καὶ τὴν Ῥώμην ἐπτάλοφον γενέσθαι. Cf. ROSIN., *Ant. rom.*, IV, 6, p. 296.

Intra popularia. Subaudi *subsellia*.

CAP. V. *Arserat.* Statim ab excessu Vespasiani. Plutarch., *Poplic.*, p. 104 : Ἄμα γὰρ τῷ τελευτῆσαι Οὔεσπασιανόν, ἐνεπρήσθη τὸ Καπιτώλιον.

Custodi. Ob vitam in oppugnatione Capitolii a Vitellianis suscepta mire servatam. De re, Cf. TACIT., *Hist.*, III, 74.

Vocatur. Quia inchoatum a Domitiano Nerva perfecit et dedicavit.

Deustis. Scil. incendio Neronis.

Exstructus est. Nempe a Trajano. Cf. PLIN., *Panegy.*, LI, et XIPHIL., LXVIII, p. 772.

CAP. VI. *In Cattsos.* A. U. 837.

Duplicem triumphum. Quem falsum dicit Tacit., *Agric.*, xxxix : « Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur. » Cf. XIPHIL., LXVII, p. 762 : Ὁ αὐτὸς Δομιτιανὸς... τῷ Δεκεβάλλῳ δούξ.

Motum. A. U. 844.

Occisum. A Lucio Maximo, docente Xiphil., ub. sup., p. 764 :
 ὄν (sc. Antonium) Λούκιος Μάξιμος κατηγονίστατο καὶ καθέδην.

Cap. VII. Sportulas. Vide *Neron.*, xvi.

Rectarum cœnarum. Vide *Aug.*, lxxiv.

Aurati purpureique. Aliter Xiphil., ub. sup., p. 760 : Τὸ μὲν χρυσεῖον, τὸ δὲ ἀργυρεῖον ἐνεμάσασα.

Castrari. Ita Philostrat. *Apollon. Vit.*, vi, 17. Hoc fecisse in contumeliam Titi narrat Xiphil., ub. sup., p. 759.

Negligi arva. Causam aliam, scil. seditionum materiem ex vini abundantia adfert Philostrat., *Apollon. Vit.*, vi, 17.

Novellaret. H. e. novas vites plantaret.

Castra prohibuit. Scil. metu seditionum, quæ sæpe oriuntur, quum in eadem castra duæ legiones coeunt.

Ad signa. — *In principis* (vide ad *Othon.*, i) milites certam partem stipendii et pecuniæ e donativis acceptæ deponere solebant, quæ reddebatur iis finita militia.

Aureos ternos. H. e. ad tres aureos, sive septuagenos quinos denarios, quos accipiebant quarto quoque mense milites, adjecti aureum unum, sive quinque ac viginti denarios. Cf. ZONAR., *Annal.*, ii, p. 196.

Cap. VIII. Ambitiosas. — *Ambitiosæ sententiæ* sunt studiosius dictæ ad comparandum favorem eorum quibus consulebatur iudicio.

Perfusoris assertionibus. — *Assertio* est vindicatio in libertatem; *perfusoria*, qua per fraudem et calumniam *perfunditur* (σφγ-γύεται) dominus servi, adeoque deceptis iudicibus condemnatur.

Nummarios. H. e. nummis seu pecunia corruptos. Ita Cic. *ad Att.*, i, 13 : « Excitandis exagitandisque nummariis iudicibus. »

Sordidum. H. e. pecuniæ cupidissimum.

Morum correctione. Hanc perpetuam sumsit, teste Xiphil., lxxvii, p. 760 : Τιμωτὰ; διὰ τίτου.

In equite. H. e. inter equites.

Inhibuit. Restituendo Rosciam legem, quæ sensim elanguerat : novam autem non tulit. De re cf. MARTIAL., v, 8 :

Edictum Domini Deique nostri
 Quo subsellia certiora fiunt,
 Et pueros eques ordines recepit.

Virum. Hunc nominat Xiphil., ub. sup., p. 765 : Κεκλιμένον ἔκου-
 ρήνον ἀπέλασεν ἐκ τοῦ συνεδρίου, ὅτι ὤρχεϊτο.

Probrosis. H. e. quæ adulterii probrum in se admiserant.

Scantinia. Al. Scatinia, quod æque rectum. Lex autem illa *de nefanda Venere* lata est a Scatinio quodam, A. U. 526.

Priora... posteriora. Ex sequentibus satis patere videtur *priora* et *posteriora* ad Domitiani principatum pariter referenda esse, ita ut *prius capitale modo supplicium statueret*;... *postea*, quum parum se profecisse clementia vidisset, *more veteri*, in convictas animadverteret, h. e. : « Virginem defodi, stupratores virgis ad necem cædi juberet. » De hoc *more veteri* Cf. DION. HAL., *Ant. Rom.*, II, p. 127, et PLUTARCH., in *Num.*, p. 67.

Viro. Haud scio an Valerio Liciniano, de quo Plin., *Epist.*, IV, 11.

CAP. IX. *Reos, qui*. H. e. quorum nomina ante quinquennium ob æs alienum ad iudices delata, proposita adhuc in ærario penderent, re nondum dijudicata... quanquam h. l. non de ærarii tantum debitoribus, sed diuturnis omnino reis sermonem esse Casaubono concedendum et Ernestio.

Clodium legem. De hac nihil constat.

Subsiviva. H. e. partes eas quæ velut reliquæ post divisionem superfuerunt et de quarum possessione controversiæ intercedere solebant.

Fiscales calumnias. H. e. falsas delationes ad commodum fisci adversus cives intentas.

CAP. X. *Paridis*. De quo vide sup., LIV.

Figuras. H. e. oblique in se dicta.

Munerario. H. e. Domitiano, qui munus edebat.

Parmularius. H. e. qui Threcum armaturæ favet; Threces enim parmam gerebant

Salvidienum Orfitum. Cf. PHIL., *Apoll. Vit.*, VII, 14, et VIII, 3.

Acilium Glabrimonem. Cf. XIPHIL., LXVII, p. 766.

Ælium Lamiam. Juvenalis, sat. IV, 154 :

... Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Ἐὐτακτῶ. Dicebantur εὐτακτεῖν qui conservandæ vocis causa omni libidine abstinebant, id quod se quoque facere per jocos Lamia dicebat, cui Domitianus uxoris usum eripuisset.

Θεοεῖς. Hoc varie interpretantur docti viri : Cl. Hase assentior,

cui rectissimus sensus videtur : Num tu etiam ad matrimonium
 rae hortaris, ut fratris tui exemplo uxorem mihi abducas?

Salvium Cocceianum. Vide sup. *Othon.*, x.

Junium Rusticum. Imo : L. Junium Arulenum Rusticum. Cf.
 Lips. ad Tacit., *Agric.*, 2 et 45.

Philosophos. Philostr., *Apollon. Vit.*, VII, 2 : Φιλοσοφία δὲ εὖτω
 τι ἐπτηξεν, ὡς ἀπολαθόντες τὸ σῆμα, οἱ μὲν ἀποδράναι σφῶν ἐς τὴν Κελτῶν
 ἰσπίραν' οἱ δὲ ἐς τὰ ἔργα Λιβύης τε καὶ Σουθίας' ἔνιαι δ' ἐς λόγους ἀπενε
 γήθησι ἔμμεσῶλους τῶν ἀμαρτημάτων. Cf. Tacit., *Agric.*, 2.

Flavium Sabinum. Filium Flavii Sabini, fratris Vespasiani.

Civilis belli. Ab Antonio moti. Vide VI.

Tribunum laticlavium. De tribunis laticlaviis vide *Othon.*, x.

Impudicos. Impudicum se probavit *Julius Calvester*; et ita li-
 beratus est, auct. Xiphil., LXVII, p. 764.

CAP. XI. *Actorem summarum.* H. e. exigendis pecuniis et in
 rationem referendis præpositum.

De cama. Partes de cœna amicis mittebant veteres.

Consularem. Consul fuit A. U. 847 cum L. Nonnio Asprenate.
 Cf. Tacit., *Hist.*, IV, 68.

Gestanti. Pro *gestato*, h. e., in eadem sella *gestatoria* iter fa-
 cienti.

More majorum. De quo vide *Neron.*, XLIX.

CAP. XII. *Adjecerat.* Vide IX.

Oneribus. H. e. comparandi: pecuniis ad publicas impensas nec-
 cessariis.

Judaicus fiscus. H. e. tributum duarum drachmarum singulis
 judæis impositum ut patrios ritus servarent, teste Xiphil., LXVI,
 p. 748. A Tito illud constitutum est. JOSEPH., *Bell. Jud.*, VII, 6.

Improfessi. Sive judaice originis essent, sive *περιήλυτοι*, sed ta-
 men non erant professi hanc suam sectam.

Origine. Intelligit Cl. Hase de christianis, quos sub Domitiano
 gravi persecutione vexatos et plerumque cum judæis illo tem-
 pore confusos constat.

Cœnidi. Vide *Vespas.*, III.

Generum fratris. Nempe Flavium Sabinum.

Albatos. H. e. albis tunicis indutos.

CAP. XIII. *Epulæ.* Vide IV.

Capitolino certamine. Intell. de *quinquennali certamine Jovi*
Capitolino quod a Domitiano fuerat institutum. Vide IV.

Palfurum Suram. De hoc schol. ad Juvenal., *xv*, 53 : Palfurium Sura consularis in agone cum virgine lacedæmonia sub Nerone luctatus est. Post inde a Vespasiano senatu motus, transivit ad stoicam sectam, in qua quum prævaleret et eloquentia et artis poeticæ gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit : quo interfecto, senatu accusante, damnatus est.

De oratoribus. H. e. *ex oratoribus, sive ut unus de oratoribus quibuscum certabat.*

Formalem. H. e. cum formulis titulisque solennibus conscriptam.

Ponderis certi. Quod exprimit Stat., *Silv.*, *v*, *1*, 190 :

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus.

Cf. Lips., *de Magn. Rom.*, *III*, 9.

APKEI. H. e. satis est, neque plures arcus aut janos tibi erigi pati debes.

Consulatus xvii. Nempe additis *sex* illis quos privatus gessit. Continuavit autem octavum usque ad quartum decimum ab anno 835 ad 841, h. e. *septem medios*. Postea consul fuit *xv*, ann. 843; *xvi*, ann. 845, et *xvii*, ann. 848.

Triumphos. Scil. de Catts et Dacis. Vide *vi*.

CAP. XIV. *Amicorum... uxoris.* Ita Xiphil., *Lxvii*, p. 766, et Zonar., *Annal.*, *II*, p. 197.

Vineis. Vide *vii*.

Gratiam facere. H. e. remittere.

Θυσμένω. Quod capro vitis minitatur apud Evenum, in *Anthol. Jacobs*, vol. *I*, p. 97 :

Κῆν με φάγγης ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρπεφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι, τράγε, θυσμένω.

Latine reddidit Ovid., *Fast.*, *i*, 357.

Phengite lapide. Hunc describit Plin., *H. N.*, *xxxvi*, 22 : « Nerone principe, in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento *phengites* appellatus. »

Custodias. H. e. custodiæ datos.

Existimabatur. Cui etiam crimini vertit, quod Neroni opem

non tulisset. Xiphil., LXVII, p. 766 : Ἐπικαλέσας αὐτῷ, ἔτι μὴ ἤμυνε τῷ Νέρωνι.

CAP. XV. *Flavium Clementem*. Flavii Sabini, fratris Vespasiani, filium.

Suspicio. Cf. XIPHIL., ub. sup.

Exitium. Philostr., *Apollon. Vit.*, VIII, 10 : Ἐώθειν οἱ Θεοὶ Δομητιανὸν ἤδη τῆς τῶν ἀνθρώπων προεδρίας· ἔτυχε μὲν γὰρ Κλήμεντα ἀπεικτονῶς ἀνδρα ὑπατόν.

Arbor. Vide *Vespas.*, v.

Prænestina. Vide *Tiber.*, LXIII.

Colebat. Vide IV.

Interfici. Imo vivum exuri, auct. Zonar., *Annal.*, II, p. 197.

Latino. Hoc mimi nomen est. Vide JUVENAL., sat. I, 36 ; MART., I, 5, et IX, 21.

CAP. XVI. *Exterritus*. Haud scio an quod somniasset Junium Rusticum, quem occiderat, stricto ad se venire gladio. Xiphil., LXVII, p. 767 : Καὶ ἄλλα τε αὐτῷ σημεῖα ἐγένετο, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ ὕπνῳ τὸν τε Πέσπιτον ζῆσαι προσιέναι οἱ ἔδεξεν.

Haruspicem. Scil. Larginum Proculum, ex Xiphil., *ibid*.

Condemnavitque. At necato Domitiano, salvus evasit Larginus Proculus, *ibid*.

Hactenus. Intell. profluat sanguis, neque majus in me fiat sanguinis profluvium.

CAP. XVII. *Obtulit*. Narrat Philostr., VIII, 10, quid Stephanum impulerit ad Domitianum conficiendum : Στέφανος τοίνυν ἀπελευθέρως τῆς γυναικὸς... ὤρμησε μὲν ἴσα τοῖς ἐλευθερωτάτοις ποτὲ Ἀθηναίοις ἐπὶ τὸν τύραννον.

Conspirationis indicium. H. e. se velle indicare eos qui conspiraverant.

Cornicularius. H. e. *corniculis* equites ob virtutem insignitos. *Altiorem* militiæ gradum habebant *corniculariū*. Fuisse autem *cornicularios* etiam vigilum et cohortium urbanarum et præfecti adeo prætorio docet Oudendorp.

Saturius. Xiphil., ub. sup. : Σιγυρός vel Σιγύριος : Martial., IV, 79 : *Sigerius*. Corruptum ergo nomen in Nostro.

Colluctatum. Luctam Domitiani cum Stephano sic describit Philostr., ub. sup. : Ὅδ' ἐρρωμένως μὲν καὶ ἄλλως τὸ σῶμα, γεγενῶς δὲ περὶ τὰ πέντε καὶ τετραράκοντα ἔτη, ξυνεπλάκη τρωθεῖς, καὶ καταβαλὼν

τὸν Στέφανον, ἐπέκειτο τοὺς ὀφθαλμοὺς ὀρυττῶν, καὶ τὰς παρεῖας ξυντριβῶν
 πυθμένι χρυσῆς κύλικος, κ. τ. λ.

Octobris. A. U. 849.

Phyllis. *Eam Domitiani corpus furatam esse dicit Xiphil.,*
 LXVII, p. 768 : Καὶ αὐτοῦ τὸ σῶμα Φυλλίς ἢ τροφὸς κλέψασα ἔθαψεν.

Julie. De hac vide XXI.

CAP. XVIII. *Remacruerant.* H. e. ad priorem maciem redierant.

Οὐχ ἐράας. Ex Homeri *Iliade*, XXI, 108.

CAP. XIX. *Evaderent.* *Vict. Epit.*, II, 5 : « Sagittarum tam
 doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul
 positi spicula transvolarent. »

CAP. XX. *Curasset.* Ita *Vict.*, l. c.

Commentarios et acta. — *Commentarius* est quem de vita sua
 summatim breviterque composuit Tiberius. — *Acta* autem *acta*
publica.

Metius. Vide *Vespas.*, XIV, et *Domit.*, x.

CAP. XXI. *Profestis diebus.* *Macrob.*, *Sat.*, I, 16 : « Numa ut
 in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit, dies-
 que omnes aut festos, aut *profestos*, aut intercisos vocavit : festi
 diis dicati sunt, *profesti* hominibus, ob administrandam rem pri-
 vatam publicamque concessi; intercisi deorum hominumque
 communes sunt. »

Matianum malum. *Macrob.*, *Sat.*, II, 15 : « Sunt autem ge-
 nera malorum, Amerinum, *Matianum.* » Cf. *COLUMELL.*, *de Re*
Rust., v, 9. *Matium* commemorat *Plin.*, *H. N.*, xv, 14 : « Qui
 primus ex equestri ordine, divi Augusti amicus, invenit nemora
 tonsilia. »

CAP. XXII. *Clinopalen.* *Vict. Epit.*, II, 7 : « Furens libidine,
 cujus fœdum exercitium Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat. »

Develleret. H. e. depilaret.

Filiam. Nempe Juliam.

CAP. XXIII. *Exspostulatis.* Cf. *Vict. Epit.*, XII, 14.

Affligi juberet. *Plin.*, *Paneg.*, LII : « Illæ autem auræ et in-
 numerabiles, strage et ruina, publico gaudio litaverunt.

Elocuta est. Cf. *Vict. Epit.*, XIII, 10.

NOTÆ

IN LIBRUM DE ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS.

CAPUT I. *Adnotum est. Gronov., adnotatum est.*

CAP. II. *Mallotes. H. e. cui patria Mallos. Steph. Byzant. :*

Μάλλες, πόλις Κιλικίας.

Lampadio. Hujus meminit Gell., XVIII, 5.

Ut Lælius... prædicant. In MSS. : « Ut L. Ælius Lucilii satiras familiaris sui, quas legisse se, etc., prædicant. » Hanc lectionis varietatem, quæ corrupto loco medelam affert, gratus accepi ab eruditiss. Egger., meo quondam discipulo, nunc in Sancti Ludovici collegio professore.

Gener Quinti Ælii, Servius Clodius. Leg. « Generque Ælii, Servius Clodius.

CAP. III. *Ælius. Cf. Cic., de Clar. Or., LVI, et GELL., XVI, 8.*

Præconinus. Plin., H. N., XXXVII, 1 : « Vulgato Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si Scipio a patre ejus interemtus esset. »

Præconium fecerat. H. e. præco fuerat.

Stilo. Gell., XX, 21 : « Qui doctissimus eorum temporum fuerat, L. Ælius Stilo. »

Solebat. Ita Cic., ub. sup.

In exsilium. De hoc exsilio vide OROS., V, 17.

Servius. Hunc memorat Cic. ad Fam., IX, 16 : « Ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, diceret : hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum et consuetudine legendi. » Cf. GELL., XIII, 22.

Vixerit. Plin., H. N., XXV, 4 : « Tradit M. Varro Servium Clodium, equitem romanum, magnitudine doloris in podagræ coactum, veneno crura perunxisse, et postea caruisse sensu omni : æque quam dolore in ea parte corporis. »

Daphnidem. — *Daphnides* fuit dictus a domino suo Q. Lutatius Catulo, qui illum manumiserat.

Togata. Quænam sit, vide in *Cæs.*, xxii; unde sic diceretur docet Dio, xlvi, p. 326 : Ἀνωτίω δὲ τὴν λοιπὴν Γαλατίαν, τὴν τε ἐντὸς τῶν Ἄλπεων, καὶ τὴν ὑπὲρ αὐτάς δεσθῆναι. Ἐκαλεῖτο δὲ ἐκείνη μὲν Τογάτα, ὅτι εἰρηνικωτέρα παρὰ τὰς ἄλλας ἐδόκει εἶναι, καὶ ὅτι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐγρῶντο ἦδη.

CAP. IV. *Bibaculo.* Hunc memorant Quintil., *Inst.*, x, 1, et Macrob., *Saturn.*, II, 1.

Valerium Catonem. Vide infra xi.

Ethologias. H. e. morum descriptiones. Cf. QUINT., *Inst.*, I, 7, et SENEC., epist. xcvi. Græce ἠθολογία. Cf. HERMOGEN., *Progymn.*, IX; THEON., p. 85; ARPHTHONIUS, p. 101.

Traderentur. Vide QUINTIL., *ibid.*

CAP. VI. *Opilius.* Hujus meminit Symm., epist. I : « Enimvero neque Panætio Africanorum Secundus, neque Opilio Rutilius, neque Cineæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Ponticus, liberalium disciplinarum pretia solverunt. »

Damnatum. Ascon. in *Cic.*, p. 37 : « Hujus Mucii quæstor, Rutilius Rufus damnatus est, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua. »

Qui, quia. H. e., ut *qui*; — *quippe qui*.

CAP. VII. *Gniphio.* Quintil., *Inst.*, I, 6 : « Sicut Antonius Gniphio, qui robur quidem, et ebur, atque etiam marmur fatetur esse, verum fieri vult ex his robura, ebura, marmura. »

Scytobrachionis. Vel quia altero *brachio* debilis factus, effigiem brachii e corio, aliave re levi facta, vel quia *brachium* debile in corio gestaverit. Vide CASAUB. et Voss., *de Hist. Græc.*, IV, 5.

Temporum ratio. Vetustum admodum scriptorem fuisse declarant verba Athen., XII, p. 515 : Ἰστορεῖ ὁ Ξάνθος ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένης ἱστορίας συγγεγραφὸς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων. Hic autem Xanthus fuit ante Ephorum et Herodotum. Cf. CASAUB. et Voss., ub. sup.

Cicronem. Macrob., *Saturn.*, III, 12 : « Antonius Gniphio, vir doctus, cujus scholam Cicero post laborem fori frequentabat. »

Atteius. Vide infra x.

CAP. VIII. *Annalium... elenchorum.* Intell. *indices annales.*

CAP. IX. *Perialogos.* Certum est vocem latinam corruptam esse

ex περι ἀλόγων, vel περι ἀλογίας: nam vocem περιάλογος formare non audeo. Susplicari etiam licet περι αὐτοῦ λόγος. Bipontini dederunt περιαλόγος.

Plagosum. Horat., *Epist.*, II, 1, 70:

... Memini quæ plagosum mihi parvo
Orbilium dictare.

Marsus. Poeta epigrammaticus, de quo Martial., I, 50, 3:

Protinus aut Marsi recitas aut scripta Catulli.

Cf. EUMDEM, VIII, 82, 7, et OVID., *de Pont.*, IV, 16, 5.

Interrogatus. Cf. MACROB., *Sat.*, II, 6.

CAP. X. *Eratosthenes.* De quo vide STRAB., XVII, p. 576.

Primus... vindicavit. Hoc Apollodoro Cumano tribuit Clemens Alexand., *Strom.*, I, p. 309: Ἀπολλόδορος δὲ ὁ Κυμαῖος, πρῶτος τοῦ κριτικῶ εἰσηγήσατο τὸν οὐνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ἐνταῦθα δὲ Ἐρατοσθένης τὸν Κυρηναῖόν φασιν ἑπειδὴ ἐξέδωκεν οὕτως βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς.

CAP. XI. *Ticida.* Poeta fuit epigrammaticus cujus meminist Ovid., *Trist.*, II, 433. Eadem ætate inclaruit qua Cinna, Catullus et Cornificus. Vide CRINIT., *de Poet. latin.*, II, 33.

Cinna. Poeta fuit epigrammaticus. Cf. CRINIT., *ibid.*, 30. De hoc Ovid., l. c., 435:

Cinna quoque hic comes est, Cinnaque procacior Anser.

Custodis... Priapi. Pro custode *Priapo*, et in ipso hoc genitivo est lepos, docente Cl. Hase.

Cor. Apud Latinos de prudentia dicitur.

Zenodoti. De quo Suidas: Ζηνόδοτος Ἐφέσιος ἐποποιὸς καὶ γραμματικὸς, μαθητὴς τοῦ Φιλετᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγενῶς τοῦ πρώτου, ἔς καὶ πρῶτος τοῦ Ὀμήρου διαρθρωτὴς ἐγένετο, καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προϊστάη, καὶ τοῦ παιδᾶς Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν. Cf. Voss., *de Hist. Græc.*, I, 11.

Jecur. — *Jecur*, eadem ingenii significatione positum, sensum fere mutato vocabulo geminat.

CAP. XIV. *Epistola.* Nempe *ad Fam.*, IX, 10.

Ad Atticum. XII, 26.

CAP. XV. *Libertus.* Cf. PLIN., *H. N.*, XXV, et GELL., XVII, 16.

Lastaurum. Hesych. : Λάσταυροι... καὶ πόρνοι τινες ὄντες.

Lurconem. H. e. capacis gulæ hominem et bonorum suorum consumptorem, monente Fest. Lucilius :

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

CAP. XVI. *Galli*. Vide in *Aug.*, LXVI.

CAP. XVIII. In *pergula*. Vide *ibid.*, XCIV.

Smyrnæ. Illud intelligit Pitisc. de Cinnæ poemate de quo Catullus, XCVI, 1 :

Smyrna mei Cinnæ, nonam post denique messem
Quam cæpta est, nonamque edita post hiemem.

Cl. *Hase* contra, de orbe Smyrna, rebusque Smyrnæorum.

Sextii. Legere mallet *Septimii*, de quo Horat., *Od.*, II, 6, 1, et *Epist.*, I, 1, 9, 1.

CAP. XX. *Hyginus*. Hieron. in *Chron. Euseb.* ad ann. 2008 : « C. Julius Hyginus, cognomento Polyhistor, insignis grammaticus, habetur illustris. »

Alexandrum. Suidas : Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, ὃς πολυῖστον ἐπεκλήθη καὶ Κορνήλιος.

CAP. XXI. *Melissus*. Hujus meminit Ovid., *Pont.*, IV, 16, 30 :

Et tua cum Socco Musa, Melisse, levis.

Asserente. H. e. in libertatem vindicante.

Insinuatus est. H. e. in gratia positus est.

Trabeatas. Scil. quia in illas introduxit *trabeatos*, seu *jus trabeæ* habentes.

CAP. XXII. *Caput ad lævam*. Præceptum videtur fuisse gladiatorium.

CAP. XXIII. In *Bucolicis*. Eclog. III, 50 :

Audiat hæc tantum, vel qui venit, ecce, Palæmon.

CAP. XXIV. *Marcus Valerius Probus*. Quem memorat Gell., I, 15. De illo Hieron. in *Chron. Euseb.* ad ann. 2072 : « Probus Berytius eruditissimus grammaticorum Romæ agnoscitur. »

NOTÆ

IN LIBRUM DE CLARIS RHETORIBUS.

CAPUT I. *Per casus.* Quintil., *Instit.*, v, 10 : « Casus, qui et ipse præstat argumentis locum, sine dubio est, ex insequentibus, sed quadam proprietate distinguitur : ut si dicam, melior dux Scipio quam Annibal : *vicit Annibalem.* »

Θείσις... ἀντισχευάς... κατασχευάς. De his tribus cf. HERMOGEN., *Progymnasmata*, v et xi; THEON., p. 64 et 81; APHTHONIUS, p. 72, 77 et 108.

Portitores. H. e. telonarii qui portum obsidentes omnia sci- scitantur, ut ex eis vectigal accipiant.

CAP. II. *Gallus.* Cf. Hieron. in *Chron. Euseb.* ad ann. 1929, et SENEC., *Controv.* II, proœm.

Cicero. In deperditis epistolis.

In oratione. Quæ intercidit.

CAP. III. *Subscripsit.* Intell. orationes quas in foro patronus haberet.

CAP. IV. *Nuncione.* Al. Nursino, seu Nucерino.

CAP. V. *Extrivisse.* Ita Statius pro *extrivisse*, h. e., disperdisse oculos in computationibus et libidine cum Antonio.

Stili. Tecte hic ad alium stilum respici certum est.

In Philippicis. Nempe Philipp. II, 17.

Ut, in quem vellet. Cicero : « Ut in te, quæ vellet, diceret. »

Tanta mercede. In Cic. et vulg. : *pro tanta mercede.*

CAP. VI. *Planci.* De quo Hieron. in *Chron. Euseb.* ad annum

1992 : « Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis. »

Existimaretur. Seneca, *Contr. Præf.*, III : « Albutius, non quomodo non esset scholasticus, quærebat, sed quomodo non videretur. »

Centumvirali. De lite centumvirali vide *Aug.*, xxxvi.

Negotium afflixit. H. e. ut lis perderetur fecit.

Laudantium. Scil. auditorum, maxime ex discipulis quorum corona perorantem magistrum cingebat.

NOTÆ

IN VARIORUM VITAS.

P. TERENTII VITA.

CAPUT I. *Fenestella*. Historiarum scriptor, de quo vide LACT., *de Fals. rel.*, I, 6; SENEC., *Epist.* 108; MACROB., *Saturn.*, I, 10; CENSOR., *de Die nat.*, XXII. Obiisse novissimo Tiberii Cæsaris principatu dicit Plin., *H. N.*, XXXIII, 2. Cf. VOSS., *de Hist. lat.*, I, 19, et GYRALD., *de Poet. dial.*, XL.

Dum lasciviam. Hos versus ita refinxit Wolfius :

Dum lasciviam et laudes fucosas petit :
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus :
Dum se ad Furium cœnare et Lælium pulchrum putat :
Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis suæ... ipseus...
Suis oblatis rebus ad summam inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium Græciam (au Græciæ?) in terram ultimam :
Mortuus est in Stymphalo Arcadiæ oppido : nil Publius
Scipio illi profuit, nil Lælius, nil Furius,
Tres per id tempus qui agitabant nobiles facillime :
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem ut esset quo referret obitum domini servolus.

CAP. II. *A Lælio*. Cic. *ad Attic.*, VII, 3 : « Secutus sum Terentium cujus fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi. »

Scipione. De illo Vell., I, 13 : « Tanti elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ et auctor et admirator fuit, ut Polybium, Panætium, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit, semper inter arma ac studia versatus. »

CAP. III. *Temporius*. H. e. maturius, vel celerius, ut in Colu-

mell., VIII, 4 : « Et ante crepusculum propter cibi spem temporius ad officinam redeunt. » Cf. OVID., *Metam.*, IV, 197.

CAP. IV. *Santra*. Qui scripsit de vitis præstantium virorum : hujus meminit Hieron. in præf. lib. *de Scriptor. Ecclesiast.* Cf. VOSS., *de Hist. lat.*, III, p. 719.

Homine docto. Cic., *de Clar. Orat.*, XX : « C. Sulpicius Gallus maxime omnium nobilium græcis litteris studuit, isque et oratorum numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. Jam enim erat auctior quædam splendidiorque consuetudo loquendi. »

Q. Fabio Labeone. De hoc Cic., *ub. sup.*, XXI : « Et una Ser. Fabius Pictor, et juris et litterarum et antiquitatis bene peritus : Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus. »

M. Popillio. Cf. Cic., *ub. sup.*, XIV.

CAP. V. *Afranius*. Togatarum et Atellanarum scriptor. Vide in *Neron.*, XI.

Dimidiata. Quia mediam tantum partem Menandri suis scriptis repræsentat; nempe lenitatem et elegantiam, non vim comicam qua penitus caret, auct. Cl. Hase.

HORATII VITA.

Ut ipse tradit. — *Sat.*, I, 6, 45 :

Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Emungentem. — *Cubito emungere* se salsamentarii solebant. Auctor *Rhet. ad Herenn.*, IV, 54 : « Ut si salsamentarii filio dicas : Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. » Ita Diog. Laert. in *Bion.*, IV, § 46 : Ἐμοῦ ὁ πατήρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπεμυσσόμενος· διεδήλου δὲ τὸν ταρχίμπερον. Cf. PLUTARCH., *Sympos.*, II, 1.

Meruit. Ut dicit ipse, *Od.*, II, 7, 9 :

Tecum Philippos, et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula.

Cf. *Epist.*, II, 2, 29.

Scriptum quæstorium. H. e. officium scribæ quæstoris.

Extremis. Sunt, qui addant *judiciis.* — *Extremis vitæ temporibus*, explicavit Burmann.

Convictor. Ita Casaubon. Alii : *victor.*

Purissimum. Wolff. : *putissimum.*

Opinatus est. Oudendorp. : *ominatus est.*

Quum tot. Horat., *Epist.*, II, 1.

Consulibus. A. U. 689.

C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo consulibus. A. U. 746.

LUCANI VITA.

Detecta conjuratione. Vide Tacit., *Annal.*, xv, 47 et 55.

Nominavit. Sic Tacit., *ibid.*, 56.

Exaravit. Cf. Tacit., *ibid.*, 70.

Memini. H. e. Suctonii ætate pueri et adolescentis prælecta fuisse adhuc poemata Lucani.

C. PLINII VITA.

Novocomensis. Immo *Feronensis* : confunditur cum juniore Plinio, qui *Novocomensis*, et cujus avunculus fuit. Idem error est Hieronymi, *Chron. Euseb.*, ad ann. 2125.

Comprehendit. Plin., *Epist.*, III, 5 : « Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia quæ cum Germanis gessimus bella collegit. »

Oppressus est. Vide Plin. *Epist.*, ub. sup.

D. JUNII JUVENALIS VITA.

Satira. Scil. quæ septima est.

Quod non dant. Juvenal., *SAT.* VII.

AULI PERSII VITA.

Natus est. A. U. 787.

Decessit. A. U. 815.

Cornuti. De quo Suidas : Ὁ Κορνοῦτος Λεπτίτης φιλόσοφος... Γεγονῶς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸ αὐτοῦ, ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσσνίῳ, ἔγραψε δὲ πολλὰ φιλοσοφὰ τε καὶ ῥητορικὰ.

In philosophiam est. Unde *præceptor Persii Cornutus* dicitur in *Euseb. Chron.* ad ann. 2083.

Bassum. Ad illum satiram sextam scribit Persius. De Basso, Quintil., *Instit.*, x, 1 : « Si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus. »

Tricesimo. Immo vicesimo octavo.

Rex habet. Sat. 1, 117.

E. GROS.

FINIS.

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not
remove
the card
from this
Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU

